


~~214. 107~~

~~4~~

2-19 3-6-11-2



Dupl.



20-2-11

Explicación	Asistencia
CANADA	
A	
Fecha	39
Número	169

APPARATVS 11-12705
LATINI SERMO-
NIS SECUNDA PARS
per Chronographiam, &
Profopographiam.

AUCTORE MELCHIORE
de la Cerda Societatis IESV,

Hispani eloquentiae

De la Libreria profesore de S. Gregorio



AD PHILIPPVM. III.
Hispaniarum, et Indiarum
Principem.

HISPALI

Excudebat Rodericus Cabrera.

Anno 1598.

INDEX ALPHABETICVS CAPITVM CHRONOGRAPHIAE
 et Prosopographiae diu taxat singulorum: numerus paginam indicat.

Adversa tempora valetudini.	202	Christus Iesus in caelum ascēdēs.	352
Aestas.	15	Chirurgi.	263
Agitatio taurorū.	161	Confirmationis Sacramētum.	352
Annulus ferreus.	187.	Apes.	10.
Apum fructus.	11	Apum laus.	12
Argentaria.	295	Ascēsus Domini in caelorum sedes.	135
Auctiones.	298.	Aurora.	7
Autumnus.	17.	B	
Bacillorum ludus.	182	Bacchanalia.	101
Bacchanalia.	101	Bombylatio simulata.	211
Bombylatio simulata.	211	Bombyx.	19.
Bombyx.	19.	C	
Cadaveris cōburēdi carimonia.	436	Cadaveris cōburēdi carimonia.	436
Caedendi virgīs.	306	Caligo generi hominum offusa post primi parentis ruinam.	71
Caligo generi hominum offusa post primi parentis ruinam.	71	Cæna domini.	122.
Cæna domini.	122.	Carcer.	303
Carcer iterum descriptus.	304	Cardinalis primus in ecclesiā adven- tus.	409
Cardinalis primus in ecclesiā adven- tus.	409	Castra.	230
Castra.	230	Castra Romana.	231
Catarrhus.	27.	Coenotaphia.	116
Coenotaphia magnificētissima.	116	Christi Iesu natalitia.	48
Christi Iesu natalitia.	48	Christi Iesu natalitiis porticus exstru- ctæ.	56
Christi Iesu natalitiis porticus exstru- ctæ.	56	Christi Iesu natalitiis vestes, et pran- dia.	53
Christi Iesu natalitiis vestes, et pran- dia.	53	Christi Iesu natalitiis dona missa.	56
Christi Iesu natalitiis dona missa.	56	Christi Iesu Circuncisi feriae.	95
Christi Iesu Circuncisi feriae.	95	Christus Iesus comprehensus.	125
Christus Iesus comprehensus.	125	Christus Iesus virgīs casus.	127
Christus Iesus virgīs casus.	127	Christus Iesus spinis coronatus.	123
Christus Iesus spinis coronatus.	123	Christus Iesus Crucem humeris por- tans.	129
Christus Iesus Crucem humeris por- tans.	129	Christus rediēs in hanc lucem.	131
Christus rediēs in hanc lucem.	131	Christus Iesus rediēs in hanc vitā.	133
Christus Iesus rediēs in hanc vitā.	133		
		D	
		Delicta.	299.
		Depositū.	295
		Dies.	1.
		Dies laetus.	2
		Dies tristis.	2
		Dies subtristis.	3
		Dies beato Stephano sacer.	83
		Dies beato Iohanni Evāgelist. sacer.	85
		Dies sacrae Eucharistiae anniversa- rius.	139
		Dies quinquagesimi. 1. feria pētec.	37
		Dies beato Iohanni Baptist. sacer.	145
		Dies beato Petro sacer.	145
		Direptio Civitatis.	239
		Dissecandi in partes.	319
		Disfidium, seu rixæ juveniles.	220
		Disfidium, seu rixæ pueriles.	222
		Dona feriis natalitiorū missa.	56
		E	
		Emtio, et venditio.	287
		Escae maioris Ieiunii.	105
		Exsilium.	309
		Exauguratio sacerdotis.	413
		Exequiæ Pontificis.	423
		Exequiæ Annae Reginae.	429
		Exequiæ veterum Romanorū.	433

F.
 Ferie quarta hebdomadae majoris. 13
 Foliapicta. 169 Funibulus. 172
 Funera Romanorum. 433
 Funus effertur. 421 Furtum. 299
G.
 Gladiatorius ludus. 168
H.
 Hastati. 318. Hastiludii. 157
 Hebdomada maximi Iejunii res. 107
 Humilis. 448 Hyems. 29
 Hyemalis tempestas. 33
I.
 Iactus globularum. 207
 Idolitria orbē terrarū invadēs. 73
 Inundatio. 33 Instrumēta. 275
 Iudicia. 272
 Iurisperitus, advocatus. 276
 Iustificatio. 359
L.
 Lactaria. 106 Latrones. 301
 Libidinosus. 452
 Libidinosamulier. 454
 Locatio, et conductio. 288
 Iudi viriles. 147
 Ludus annuli ferrei. 187
 Ludus annularis. 159
 Ludus bacillorum. 182
 Ludus currendi. 197
 Ludus foliorum pictorum. 169
 Ludus globuli propiciendi. 207
 Ludus mali, seu ligni superadi. 166
 Ludus saltandi. 190
 Ludus schachidos. 179
 Ludus scopi feriendi. 164
 Ludus sphæresis. 198
 Ludus tesserarum. 200
 Iudi Trojani. 147
 Ludus tridicularum. 183
 Lufio acicularum. 202

Lufio ad comectum serobi cull. 191
 Lufio albaorum. 195
 Lufio bombylationis simulata. 211
 Lufio capiendorū adversariorū. 216
 Lufio globuli jaciendi. 207
 Lufus Gallinae simulatae. 192
 Lufio judicialiū simulationū. 208
 Lufio latebrarum. 201
 Lufio ligulae abscondendae. 206
 Lufio ligularum promovendarū. 206
 Lufio nūmorū jaciendorum. 202
 Lufio officiorū. 193
 Lufio orbicularis. 194
 Lufio palliorum surripiendorū. 314
 Lufio palmaris. 204
 Lufio papilionis. 209
 Lufio parium, et imparium. 191
 Lufio reginae simulatae. 213
 Lufio scrobiculi. 191
 Lufio triremiū simulatarum. 196
 Lufio trochali. 263
 Lufio Trojanorū simulationis ludorum. 209 Lufio turbinis. 190
M.
 Magistratus. 287
 Magistratus ratio reddenda. 287
 Maiae. 216
 Mala ruinā Adami cōsequuta. 71
 Mandata dominorum. 290
 Mandatorum altera ratio. 290
 Mandata ad negotia. 291
 Medendi usitata ratio. 252
 Medicus revifens aegrotum. 254
 Medicamentorum numeratio. 255
 Medicina adhibita aegrotō. 255
 Mercatores pannorum. 283
 Mercatores fericorum. 385
 Mercatus communis. 386
 Miles gloriosus. 446
 Militaris lustratio equestris. 223

Militaris lustratio pedestris. 224
 Missae sacrificium. 401
 Missae audiendae religio. 404
 Missio sanguinis, scuphlebotomia. 257
 Monachorum professio. 388
 Morositas aegrotantium. 259
 Mars. 415
 Mortuus intra breve tempus. 420
 Matus Castellae. 216
 Mulier libidinosā. 455
 Mutuum. 393
 Mysterium sanctissimae Triados. 257
N.
 Navalis cursus. 48
 Natalis dies Christi Iesu. 48
 Natalitiorum dona. 56
 Nataliorum feriis exstructae porticus. 53
 Nox. 3 Noctis brevia descriptio. 7
 Nundinae. 279
O.
 Officia. 193
 Oppugnatio Castrorū. 236
 Ovatio. 248. **P.**
 Palmaria. 111
 Papilio. 59
 Parricidae. 316
 Patibulum Aftygitanum. 317
 Permutationes. 295
 Personati. 155 Pestilentia. 23
 poena comburendorum. 314
 poena dissecandorū in partes. 313
 poena exsulum. 309
 poena forcipum candentium. 311
 poena fugitivorum. 315
 poena hastatorum. 318
 poena infamā subeuntium. 307
 poena lenorum, et lenarum. 308
 poena raptandorum. 312
 poena reorum laesae majestatis. 317
 poena triremibus addictorum. 308

poena virgarum. 306
 poenarū constituendarū ratio. 318
 poenitentis forma. 109
 poenitentia. 381
 Praecepta tuendae valetudinis. 260
 Praecones. 302
 Praelium terrestre. 234
 precatio domini in horto. 124
 Professio monachorum. 388
 Promittens aliquid. 452
 Pugna navalis. 242
Q.
 Quinquagesimae diei, idest pentecostes feriae. 137
R.
 Ramalia. 111 Rapinae. 302
 Regalia. 97
 Religionis beneficium. 362
 Rixae puerorum. 222
 Rixae adalescentum. 22
 Rudimēta christianae doctrinae. 342
 Ruina primi Parentis. 65
 Ruinae primi parentis mala cōsequuta. 68
S.
 Sacra Synaxis. (gio. 393
 Sacrae Synaxis accipiūdae reli- 406
 Sacra Synaxis effertur in aegrotantium domos. 467
 Saltus. 190
 Salutare lavacrum. 336
 Senatores. 270.
 Societas. 289
 Sodalitia. 118
 Sodalitas Nazareorum. 121
 Scribae. 276
 Spinea Corona. 128
 Stephani protomartyris feriae. 83
 Superbus. 44
 Supplicia improborum. 389
 Suspendium. 310

T		Castus.	456
Tabernae inſitoriae.	281	Coenae nobilium.	405
Tempora Philippi ſecundi Regis Hiſpaniarum.	36	D	
Tempeſtates Autumni.	18	Deſidia.	501
Tempeſtas hyemalis.	33	E	
Tēpeſtatis brevior deſcriptio.	32	Ebrius.	465
Terraemotus.	20	F	
Terraemotus brevior deſcriptio.	23	Fabrica corporis humani.	507
Teſtes. 274. Teſtamenta.	277	H	
Tonſores.	263	Heluones.	464
Torneamentum equeſtre.	155	Homo hyemis tēpore veſtitus.	506
Torneamentum pedeſtre	155	Humiliſ.	448
Triremibus addictorū poenae.	308	I	
Triumphus Romanorum.	274	Ientacula puerorum.	471
Tutela.	296	Infantis effictio.	503
Tutorū, et curatorū rationes.	297	Invidus.	478
V		Invidia invadit in aulā regiā.	479
Ver.	8	Invidia invadit in aulicos.	484
Veſtes, et prandia natalitiorum.	53	Invidia adorta magnates regno.	487
Virgae Domini.	227	Invidia mercatorum.	(rū.) 493
Vituperatio adoleſcentis.	445	Invidia adorta academias.	497
		Iracundus.	457.
		L	
		Liberalis.	450
		Libidinoſus.	453
		Libidinoſi altera deſcriptio.	454
		Libidinoſa mulier.	455

INDEX PRO SOPO
graphiae.

A Ethiops.	507	M	
Adoleſcentis effictio.	505	Miles glorioſus.	
Adoleſcentis laus.	441	P	
Adoleſcentis vituperatio.	442	Patiens.	465
Adoleſcētis in rē bellicā ſtudiū.	445	Prādia nobiliū.	465
Anticoenia puerorum.	471	Promittens aliquid.	452
Anus. 506		Puer turbulentus.	458
B.		S	
Bacchus.	443	Senis effictio.	505
		Somnians.	474
		T	
		Superbus.	447
		Temperantes.	477
		Temperantia religioſorū.	470
		V	
		Vomens.	476.

Errata.

inſigere, non inſligere, et ſic alibi. 112 poſt rectū de eſt tacere. 188. trāſmirat ibidem. 188 Integri 238 adde in ante quos. 299 in titulo Caſtro-rū lege civitatis. 240 lege ſpoliantē. 330 dimidium lineae repetitur. 409.



CHRONOGRAPHIAE

LIBER PRIMVS.

DIES.



THOPOGRAPHIAM Chronographia cōſequitur a diebus inſtituēda. Dies nulli non generi hominum laetiſſimus eſt, et jucundiſſimus propter commoditates, et utilitates innumerabiles, quas praebet in omni genere negotiorū, ſtudiorumque verſandi. Deus enim conſultor, et providus vtilitatum, et opportunitatum omnium, dierum, noctiumque viciffitudines partitus eſt: quae tribuunt aliud agendi tempus, aliud quieſcendi. Vt primū enim lucere coeperit, bajuli, mercenarii que cōducti praestāt operas, mercatores contrahunt, et negotiantur, agricolae terram colunt, ſacerdotes faciunt rem divinam, templa celebrari videntur ingredientium, et exeuntium concursu mortalium, ab audiendis ſacris, et precibus adhibendis, iudices ſtatim temporibus exercent iudicia, ſequē adiri patiuntur. juris peritus, de

A jure

juredicundo respósurí: res litteraria colitur, ludi fiunt, spectacula dantur. Quid? luce diei non equitamus? non brutis animantibus ad vehendum, ad arandum, ad onera comportanda mansuefactis, et condocesactis utimur? non videmus, ut pisces summis in aquis natent? aves medium praetervolēt aëra? Multitudo, varietas, et pulcritudo rerum, quae jacebant in tenebris, atra quadam caligine circumfusae, claritate diei, quam Sol efficit suá luce longe, lateque diffusa, vestitus omnes camporum, amoenitates vallium, hortorum oblectamenta, rerum urbanarum insignia tot, et ornáméta mortalium oculis usurpantur. Neque rem ullam magis aegrotantes, praesertim gravibus, periculosisque morbis conflictati, quã diem videre cupiunt. Quid cum plures dies laetissimos, et celeberrimos, quos homines laxius proferre voluissent, cum amicis agere valeamus? Denique die ipso idoneum tempus, et locum opportunum, ad omnes res agendas magis, quam nocte, capiemus.

DIES LAETVS.

EX diebus multos esse videm⁹ laetissimos, et clarissimos, eclaro, serenoque caelo, quacunq̃ ex parte aperto patentique, luce Solis diffusa latissime: qui sua claritate rerum omnium species, et formas laetiores reddidit, et nitidiores. Omnia nitent, omnia splendent. Vrbes, agri, montes, jucunditate quadam, suavitateque perfusi multo nitidiores gestire visi sunt.

DIES TRISTIS.

Aliorum vero dierum, quis non moestitiam, et horrorem reformidat, in quibus omnia videntur, et apparent horribili forma, aspectuq; terrifico? Caelum nebulosum est et caliginosum; terra vaporibus excitatis, quasi ex recenti fossione fumigare videtur, vrbes, mótes, aedificia, désa caligine cir-

circumfunduntur. Saepe flant venti vehementes, et aduersi, quibus aër frigidus, et calidus huc, et illuc flat, labia, faciem, et aures adurens, aut deformibus obducens livoribus. Non raro tonante caelo, crebrisque ignibus micante, multo gradinis, et nimborum tráitu, procellae tempestatelque commoventur: caelum ut ruere velle videatur, et obruere civitatem universam. Dies sic profecto Februarii visi sunt; qui crebris, et variis mutationibus cient, et perturbát omnia, subitoque serenato caelo pacant, atque tranquilliant. Itaque necesse quidem est, ut singulis paene mométis, sit tum serenitas, tum perturbatio caeli.

DIES SVBTRISTIS.

SAepe neque clarus illuxit, neque tristis dies omnino: sed in eo terra, quasi contracta videtur, et vicissim hilarata: quod accidit ortu Solis, atque recessu. Nam modo brevissimis aliquot intervallis, saepe momentis quoque minimis, Sol exoriens laetificat, modo abscedens cōtrahit terram: et terra ex his mutationibus, et varietatibus temporum accipit varias, dissimilesque formas: ut hilaritatem, quae mirifice delectat, et omnia mirabili suavitate perfundit, abscessu Solis amittat, et subito speciē pulcritudinis arreptam, ortu jucundissimo accipiat. Ita contractio, et quasi moestitia quaedam, et suavitas, et hilaritas causa Solis orientis, et occidentis erit in terra.

NOX.



Nox diē consequitur, quã efficit umbra terrae Soli officiens, quae tépora quietis impertitur animatiú universo generi: quae mente praedita sunt, et rationis expertia. Nam homines

a laboribus quiescunt, capiunt somnum iustum, ac necessarium corporibus: ipsa bruta quiescendo reficiuntur; et utrumque vires colligit ad operas sequentis diei. Non equus hincire, non mugire bos, non rugire leo, non aliae magnam noctis partem immanes, feraeque; belluae fremere in solitudine, sed suis in latibulis jacere, dormire, si somno satiatae jacent, solita porrectione, contractioneque, huc, et illuc versare, torquere, flectere membrorum immanitatem suorum. Non aves sese spargere, ac diffundere medias in regiones aëris, non ulla loca transmittere, non in aliis insidere, non ad fontes descendere, non denique persequi suos humiles, medios, aut altissimos a terra volatus id solum appetentes, quod ad temporis rationem accommodatum apparet: ut nidis illae se suis contineant expectantes primum sine dubitatione diluculum, ut inde circumfuso volitantes aëri sese committant: ut simulatque illuxerit, perstrepere, modulari, garrere, jam tunc jucundissime incipiant. Omnia tranquilla sunt, et quietae, neque murmur, aut strepitus audiri visus est, praeter arborum folia, si ruri dormieris, aura quavis huc, et illuc ventilata: praeter fremitus maris horribiles, praeter vectorum flatibus vehementes. Sed ne nox obscuritate, tenebrisque suis horrida fuisset omnino: cum serena fuerit, ut caelum patens, et apertum sit, quam nocturna caeli facies syderibus distincta clarissimis collucet? quanta aspicitur varietas ineuntis Lunae, crescentis, mediae, plenae, decrescētis, senescētis, atque exeuntis jam tandem suo confecto cursu? Praefert illa faciem suam plenissima faciendis itineribus nocturnis illucentem: cum diurna propter calorum magnitudinem aestus tempore non fiant. Silent igitur, et conticescunt omnia, plenissima quietis, et tranquillitatis noctu: quique multum vigiliant, non vigilias longiores, quam ad mediā noctem suscipiunt propter infirmitatem, imbecillitatemque humanae naturae: contra quam si contempderis, diurnis conficiendis operibus, propter somnum, qui te gravior quam ante, si natu-

ram

ram non expleveris, complectetur, prorsus ineptus videberis. Fabri ferrarii, multique alii opifices, vigiliis antelucanis commune genus hominum superant: cum diebus profectis horas duas ante primum diluculum surgentibus illis officinae suae malleorum ictibus concrepent: atque tota vicinia perstrepant. Atque ne noctis discrimina dijudicare nesciremus, provisum fuit signis horologiorum, quibus horarum tempora singularum internoscuntur. Cum media nox est, vix duodecimae signum ultimum exauditur, cum templorum cymbalis sacrarum familiarum populi, cunctaeque civitates ad matutinas preces personant. Quid? quod hyemali tempore, hora quinta, verno autem, tertia, antequam lucere incipiat, cum jam jam imminere videtur, et adesse aurora, eisdem cymbalis albentis caeli signa dantur notissima? Haec enim tempora expectari solent, et observari diligenter ab studiosis, ab opificibus, ab operariis, a viatoribus: ut hi se comparent ad itinera sua, reliqui usitata pensa repetendi tempus venisse jam, et praesens esse recognoscant. Quod si signis hujusmodi non praemoneretur officia sua mortales, tamen illos gallorum cantus exsuscitaret: qui silentio noctis faventes faucibus, rursus cantu, plausuque prementes alas media nocte canunt: ante lucem vero depulso de pectore, et in omne corpus diviso, et modificato cibo, cantus edunt quiete satiatos a somno multitudinem operariorum, et opificum excitantes. Qui delicati sunt citius, et cubitum eunt, et surgunt serius, multamque in diem dormiunt. Qui aleatores, qui collutores foliorum pictorum sunt, quam multa de nocte revertuntur domum, neque janua recipiuntur praecipua, sed pseudothyro, intromissi per aliquem, qui cum clave vigilas expectat: cum jam omnes praeter famulos aliosque cubuerint. Atque hi nisi post lucem a famulis excitati non surgunt: cum prope meridies est, et tempus prandendi: quos non pudet magnam diei partem dormire, et quod tempus a natura datur negotiis agendis, capere somnum. En-

A 3 dymio-

dymionis curis omnibus solutos ac liberos, et utroque porrecto crure, et si quando somnum intermiserint, ad eundem repetendum in unum, et in alterum se versare latus, in culcitra pluma tenuissima inferta, lecto mollissime strato, jacere medias inter sindones interjectos, in pulvinaribus acu pictis acquiescente capite, coopertos corpora lodicibus, et conchyliatis peristromatibus. Ac ne quidquam sit, quod somnum adimat, ne per rimulas fenestrarum lucem sese in cubiculum inferentem de lecto homines isti videre possint, lectum circumquaque cortinis praetentis, et explicatis, vel conopaeis circumcludunt hyeme, et fenestras occludunt, et obstruunt penitus aulaeorum, quae lucem prorsus eripiant, oppositu communi. Ne vero quis somnum interrumpat, quantum famuli adhibent diligentiam, qui sunt a cubiculo? Nunquam illi pro foribus cubiculi intermittunt esse semper in custodia collocati, ut omnes sensim, et suspenso gradu pedem ponant, ne gradus ab illis factus, etiam unus persentiri possit, et retento spiritu, nunquam non animum, et aures attendendo, si stertant, si vigilent, si quiescant. Cum vero vel sponte sua fuerint experrecti, vel a famulis excitati: quae desidia? qui torpor hominum, ut hebescere videantur, languere prorsus? quam difficiles? quam sui displicentes? dum somnum adhuc excutiendum curant multa pandiculatione, oscitatione multa? Illi palpebras occlusas vix aperire possunt, abstergere, refricare non cessant oculos, si valeant inhaerentem purgare lippitudinem: cuius dum molestiam non amovet, similes caecorum nulla lucis usura fruuntur: quin apertis continuo fenestris claritate Solis offenditur, et obscuratur lumen oculorum. Quod si sunt heluones, si epulones intemperantissimi, et epulis inferti, repletique, vino plurimo cubitum abierunt obruti, nullum totam noctem somnum oculis videre possunt: et contra vim, gravitatemque cruditatum intus in alveo confertissimo gravissime confligentem contendunt ructantes, sudantes, tanquam boves opimi. Illi par-

partes in omnes versare sese, uno modo, vel altero, proni, resupini, a latere dextro, vel sinistro, recubare, tentare modos omnes, et rationes quiescendi, nec ulla tota nocte capere intervalla requietis in aurora jam imminente, vel incuntem usque diem. Quam epularum luxuriam, et intemperantiam anxietatibus ventris, molestiis totius corporis, et perturbatione maxima, denique doloribus oculorum, nulla ex parte metiedam cuncti recte iudicabunt. Anguntur omnes singulorum horarum enumeratione, et insequetis expectatione diei.

BREVIOR NOCTIS DESCRIPTIO.

Brevius a nobis hoc, qui sequitur, modo eadem nox describetur. Nox diem consequitur, quae obscura tenebris omnia circumfundit: et in ea mortales, et bruta animantia capiunt somnum, et quietem necessariam. Omnia plenissima sunt quietis, et tranquillitatis. Non strepitus auditur ullus praeter fremitus maris, et agitationes fluctuum, praeter vim aliquam ventorum, aut sonos foliorum, quae huc, et illuc flans aura ventilare solet lenissimo, suavissimoque susurro. Adde fragores fontium, et torrentium, qui prolabantur ex summis montium jugis. Atque aves nidis se continent, aurorae expectantes incutis ortum. Sed ne homines in tenebris corpus offenderent, et nox obscuritate sua horrida fuisset omnino; Deus Optimus, ac Maximus, fulgore Lunae, multitudine, et varietate siderum clarissimorum providit generi mortalium: quibus nocturnam caeli faciem distinctam, et ornatum aspicimus.

AVRORA.

Nocte jure quidem suo hac in exercitatione sequi debet aurora, quae tenebras, quas nox reprobis humanis offuderat, ortu suo disjicit atque dispellit: qua cum statim incipit albere caelum sideribus occultatis, et Luna non jam apparere,

A 4: quae

quae luce sua noctis tenebras illustrare videbatur. Quae ipsa nitens mirabili specie, atque pulcritudine, colore roseo, puniceoque, exoritur praenuntia Solis aurora? Illa pl^o quae aurato pallio se proferens exhilarat sua iucunditate terram, et herbas, atque flores rore matutino spargens, nitore plusquam argenteo pingit, atque distinguit agros, et guttulis sensim defluentibus, quasi granulis argenteis formas rerum omnium sparsas perfusasque coronat. Aura vero quam suavis? quam salutaris? quam lenissime fiat? et inter arborum amoenitates, inter crepitus foliorum lenissimos, inter aquarum susurros, inter suavitates, et concentus aviculatum, inter viriditates herbarum, et pulcritudinem florum, atque varietatem captatur. Ut alias praeteream laudes, et commoditates matutini temporis, vel unam quis non videat opportunitatem vacandi litteris, memoriaeque mandandi quae sunt ediscenda necessario, facilitatem illam, et agilitatem ad res omnes agendas promptam, et expeditam, paratissimis membris, et totius corporis partibus ad suum munus fungendum probe affectis.

VERNVM TEMPVS.



A B hyemali tempore in verum, quod statim pro foribus est, ingrediamur. Vere in eunte omnia virent in agris, et amoenissime florēt, vestitu viridissimo camporum, pulcritudine, varietateque florum, vallium amoenitate, nitore collium, iucunditate motuum, nemorum aspectu, hortorum cultu, diversitate arborum, floribus partim exortis, partim germinantibus, et illorum afflatu suavissimo, lenitate aeris, prospectu multiplici iucundissimo, et amoenissimo. Quae hyeme nudata tellus horrebat, verno tempore tepiditate frondescere videtur, et sese partim in florem inducere, partim profundere viriditates, et partim ostendere feracissimos, et ad terre colonis futurae spem ubertatis amplissimam.

Quae

Quae squalida fuerant, agrorum spatia, nitere jam, et splendere, totamque pingi faciem, et aspectum terrae suis quasi pigmentis respersum, et colorum insignibus ac luminibus illustrari gratissima varietate distinctis aspiciamus. Ad quas perfrundas depulsa frigorum magnitudine, nec molestis calorum saevientibus, inter calores, et frigora temperatio verni temporis interjecta Zephyro flate lenissimo, sua incredibili suavitate mortales invitat, atque pertrahit decrescentibus praesertim torrentibus, qui per saxa praecipitanti proolvebatur in valles infimas, et jam rivulorum clarissimorum instar loca sua praeterfluunt, cum leniter, tum clare lapillos nostris oculis objicientes perlucidos, et omni candore nitidiores. Atque ab hoc tempore, quae clauderantur hyemis asperitate, maria patent, atque transmittuntur. Dies laetiores sunt, et iucundiores. Cum caelorum aspectus, tum aura salutaris est, et flatus suavissimus. Nunquam magis affecti videntur homines ad obeunda sua negotia, ad res alacritate summa gerendas atque vernis diebus: cum neque contrahantur in angustias dierum hyemalium, neque laxentur, et protrahantur ad aestivorum spatia longinquiora: sed cursum teneant medium inter brevitatem hyemis, et inter aestatis longitudinem. Dies enim istiusmodi plus temporis idonei concedunt, et accommodati ad id efficiendum, et assequendum: quod quisque perficiendum, et obtinendum curaverit. Nam quamquam longiores sint aestivi dies, multa tempora propter aestus magnitudinem ab agendas negotiis alienissima sunt: et hyemalia ita brevibus horarum angustiis astringuntur, ut ingressum agere, res necessarias ante saepe nox opprimat, quam opus institutum perficere potuerit: et in ipsa saepe meditatione, commentationeque muneris obeundi necessitas mortalibus allata sit cum iactura rei familiaris. totum negotium in alterum diem differendi. Surgunt igitur maturius verno tempore mortales, valent multo melius, negotiantur, et agunt res suas opportu-

B nius

nus. Non idem impediuntur aquis, non frigoribus torpent, neque conficiuntur caloribus. Intimis recreantur sensibus, reficiuntur, rusticantur, delectantur. Ipsa etiam animalia nunquam magis gestiunt, et nova quadam, et inaudita luxurie, quae in ubertate summa inest herbarum, elata, tripudiat et exultant immodice, cursu recto, transversoque, crebro quasi conflictu, alternis appetitionibus speciem, et adumbrationem ante oculos humanorum statuendo spectaculorum. Quibus non inferiora praebent aves aeris totius regione spectacula submissius a terra, vel altius provolantes. Sed quid plura? cum cetera gestire visa sunt, et sese efferre, novam faciem, novam formam aeris amoenitate suscipere.

A P E S.




Voniam ad hoc tempus spectant Apum labores, et examina, verno intervientes tempore, quod praecipuum est illarum, id nunc ostendamus. Apes sua solertia praebet speciem reip. bene constitutae. Quae rotundae sunt valdeque pulchrae: fuci, vespaque longiores, atque deformiores videntur. Cum hyeme jaceant, et in suis alveariis abditae delitescant, quia contravim gravitatemque hyemis contendere non possunt: vere incunte, cum fabae florere coeperint, ad operis sui praeclarissimi studium incumbunt. Per quos dies nulli liberum est ab opere vacare. Primum illae favos conftruunt, ceram fingunt, domos ac cellulas faciunt: denique mella conficiunt, atque componunt. Ipsae tecta alvearii lacrymis, et succis arborum gummosa vi diffuentium liniunt. Laciunt enim fundamenta, crustula saporis amari, eum se contra bestiarum aliarum morsus, et aaviditatem munierint, quam multi commosim appellarunt: quam dulcior alia consequitur, a qua ceram primordia ducuntur, quam aliqui culices dicunt: tertiam addunt ad firmitatem stabilitatemque favorum, haec propolis a nonnullis nuncupatur: quo triplici quasi vallo favorum tutiores, et a frigoribus, et a reliquis injuriis esse possint. Sed quomodo

nam flores recentiores ad ceram, et ad favos fingendos delibandi necessitas apibus imponitur: cum copiam agri propinquiores non suppeditat, vel quia jam cum stros apes exhausterunt, aut florum, quibus sibi opus est, inopia multa laborant, mittuntur exploratrices in remotiora loca pluribus vestita floribus: quae praeterea speculantur, et observant. Quas quoniam aliquando explorantes tenebris, et caligine sua nox opprimit in expeditione, ad quam missae fuerant, excubias agunt resupinae: neminum pluvia, vel rore alae madefiant, et exorto Sole expeditae, solutaeque libenter volare possint, et celeriter ad suas operas praestandas. Atque excubiae spectant ad vigilem castrorum, omnibus noctu quietantibus in primum usque diluculum: quo albente, uno, gemino, vel triplici bobo, caeteras apes excitat. Quae, si dies clara futura sit, atque serena, vel caelum affectum videatur ad excedendum (imbreres enim, et aquas cum praefagiunt, alveis se continent) ordine mirabili prodeunt ad opus faciendum. Id enim temporis, hae colligere flores, aliae aquam in ore guttasque corporum lanugine suorum comportare, oneratis obviam procedere ternae, vel quatuor ternae, suscipere venientium onera singulae: quemadmodum operas partitae fuerint, navare operam, aliae construere domos, illae omnibus expolire modis, multae favos apte convenienterque componere, non paucae fulcire cellas ruinosas, quarum primas non multo, postremas quoad possunt plurimo melle complent. Quibus operibus intentae quanto non ordine solent, et solertia, sed etiam quanta muditia, et elegantia, nequid spurce fieri videatur, operas praestant: quaeque aliae congesserunt, emittunt aliae, forasque projiciunt. Cum autem mella maturescere coeperint, quatae curae fuit apibus fucos abigendi? Multae singulos aggressae conficiunt.

FRUCTVS APVM MEL, ET CERA.

Quod opus? quam nitidum est et illustre? quam ad gustatum dulce? quam ad usus humanos necessarium? nihil melle ipso dulcius est sapore suo: reliquae res tum sapere visae sunt, cum conditiones mellis adhibentur. Illud colore flavo visum habet



bet, aspectuq; aureo splendore fulgētē. Favi qua sunt specie? quo sunt illustri colore? qua saepe crassitudine? Videmus fa- vos insignes, et illustres, nitētes et splendētes admodū, valde pictos, et elaboratos operis artificiosi varietate mirabili, cū- ctos ex omni parte quasi vermiculatos, et incrustatos, lu- minibus plurimis distinctos oculorū, et ipsius mellis vi, co- piaque completos ingenti: quod redundat insuper, et sese diffundit satis superque, semper toto manante favo, mellif- que profluente liquore pretiosissimo. Hinc ceram apum opere effectam ad usus humanos, ad vitam nostram multis commodis augendam, in quāto pretio propter aestimatio- nem suam, necessitatem, et ornatum habitum iri credemus? Inde cādelae parvulae, lucernae omnes, usitati cerei, faces lō- giores, funalia maxima, volumina, quae vulgo usurpantur cerac ductae, et intortae ad lucem afferendam et deducun- tur, atque torquentur ad Ecclesiarū frequentes usus, et splē- dorem illustrem.

DE APIBUS NON NIHIL LAUDE dignissimum.

Sed inter alia, quae virtutem apum confide- rantibus admirationem afferunt, ea quantum ad illarum laudem habere momenti putavi- mus: quae quasi participes rationis regem ha- bent, cui pareant, et obediant omnes diligen- tes, et officiosae? Nihil apibus officiosius. Ipse rex benignus est, atque mansuetus: quippe qui careat aculeo, vel illum obtusum habeat omnino, quem instar apum infigere nequit in hominem: ut lenitate, facilitateque sua doceat genus ho- minum imperia gerere, quae acceperint, non crudelitate, nec animorum acerbitate: quae saepius intyrannidem se con- vertens vertit summorum regum imperia florentissima. In omnib' officiis per apes servatis, tributisque suo regi prae- clare

clare primum illud videndum erit, quemadmodum rex nū- quam nisi numero apum incredibili stipatus procedat: qui quasi praesidio munitus, vallatusque legionum militarium prae grege, de sioreque apum examine vix oculis videri po- test: et inter tantam vim satellitum, et stipatorum multitu- dinem infinitam internosci. Quaedam apes regibus adesse finitimae, proximaeque videntur in morē satellitū arma- torū: quae fasces praeferant regiae dignitatis insignia, id est aculeos, quos natura dedit acerrimos ad tuendum, defendē- dumque regem, et erectos in sublime. Omnes adesse regi, ul- tro sese illi dedere, paratissimae nunquam non facere quod ille iusserit, et exequi confestim: et ob eam causam se incōs- pectum illius dare, operam, et studium offerre ad ea, quae fa- cto op' fuerint, multos dies ante strepitu, bomboque horri- sono, praenūtio certissimo comparationis, et apparatus ad regium comitatum ornandi, ipso semper alveari, atque adeo intra cellulas, quasi atriiis ipsis, et intra palatia regalia, strepi- tu, tumultuque aulicorū, cum rex proditurus est in publi- cum, undique percrepante. Conantur item, et magnopere nituntur apes, propius regē praecoccupare locum, et fessum, et defatigatum ex itinere quasi lectica, curruque deaurato suis humeris reportant in alvearium. Siqua fessa defecerit, vel aberraverit ab acie, notis, quas habet, et vestigiis progre- ditur: donec totum agmen consequatur. Ibi castra collocā- tur, ubi rex constiterit. Amisso rege totum agmē dilabitur, et diversum, atque dissipatum vagatur, et errat per devia, et incerta loca, horrifono bōbo, thioerorisque plenissimo per- strepens: ut facile non inscientes apum de rege perditō con- jecturam facere viatores queant. Sic moestae, similestque la- mentantium investigant, et odorantur vestigia, siqua tene- re valeant, quae illas deducant in locum, ubi reperiāt, quem ex aspectu amiserant, ducē regemque suum: et eo unde exie- rant in alvearia redeunt, anxiae sollicitaeque. Quia sine rege vix apud se videntur esse. Tanto illae sensu, praecipuoque

dolore commoventur, ut homines participes humanitatis majorem accipere non posse videantur. In funeribus vero regum, qui moeror apum singularum? qui dolor, et sensus bestiarum? quod universi generis murmur horribile, et bombus terrificus? praebent speciem moeroris, atque luctus: quo mortales funera sua prosequuntur: circumstant regem, moerore conficiuntur, languent omnes, atque in squalore jacent, funus efferunt lugubri, atque miserabili populo. Quin apes nisi rege mortuo ex oculis ablato, fame nonnumquam enecari, et summo saepe dolore interire cognovimus. Atque ut sensum a Deo datum apibus naturam suam tuendi maximum intelligamus: cum illas aliquando contigerit inopia consistari cibariorum, in alveario instructa, ornatque acie de suis cellulis progrediuntur ad cibaria comparanda, praedasque faciendas. Ut igitur alvearia finitima diripiatur, uno agmine vehementer impetum faciunt: in quas adversariae non impetu minore sequuntur ducem praecedentem invadunt: dubio et ancipiti Marte colligitur stantibus, et cadentibus, aut repulsis, et fugatis ex utraque parte plurimis: donec victae de praedio, vel cum victoria laetates excedant. Si quae cibo oneratae defecerint ex adversariis, et ad se transferint, has in suas acies accipiunt, et ab incursionibus aliarum tuentur atque defendunt. Denique magnum est opus, labores apud assidui: tranquillis, illae serenisque diebus opus persequuntur suum, neque illud intermittunt, nisi cum advesperascit, singulaeque domos in suas se recipiunt uno, vel triplici bombo audito: quo mane, quae dormientes excitavit, eadem revocat ad acquiescendum vesperi.

DE BOMBYCE.

Sicut apum, et Bombycis operae propriae sunt verni temporis. Quam vim, et solertiam natura largita fuit Bombyci, qui vermis parvulus in frondibus cupressi, fraxini, mortis, cerebinthi natus in araneorum more, fila tenuissima ducit

cit: ex quibus bombycina pretiosissima conficiuntur. Hujus vermiculi quis non admiretur mutationes varias, quas facit? Nam post suum ortum in speciem, et figuram erucae, quae folia rodit olerum, et pampinos vinearum, cum frigoris, et hyemis vim, et magnitudinem perferre non possit, ad bombyces instar araneorum texendas intexit sibi corticem quasi domum incolendam, in cuius se latebras includens latet in abdito, et obscuro tenebrarum loco: quibus tectus, atque munitus contra frigoris gravitatem, et injurias hyemales auxilio pedum suorum ducit filum tenuissimum. Quod homines nitidum reddunt, ac bene pexum, postremo intelae speciem, et formam redigunt pretiosissimam. Inde serica bombycina, tot pretiosae vestes, tantus etiam cultus, et ornatus corporum, aulae divitum, et splendidorum hominum, supellex lauta, et magnifica, decora, et ornamenta templorum, multitudo, et diversitas indumentorum, ornamentorumque sericorum innumerabilis: quae quotidie redundantes, et superfluentes inaudita luxurie mortales in morem, et in usum quotidianum introduxerunt. Ita sunt bombyces timidi, formidolosi, ut strepitus omnes, atque fragores, et omnem crepitum exhorreant, et tonitrus displodente caelo, timore perterriti se suspendant, atque consistant. Quamobrem caelo perturbato, cum tonitrua metuuntur, sonum, quem bombyces suavissime concinentium instrumentorum percipiunt, ad avertendos sensus audiendi bombycum a fragore tonitris caeli, donec detonerit tempestas, edere non intermitunt conductores sericorum.

AESTAS.


Ver Aestas consequitur, quae iniens si consideretur, jucunda quidem est, atque tota progrediens, et ad exitum festinans, fructuosa. Adhuc enim Aestatis magnam partem nitere colles, virere campos, frondere vales, arbores suos ferre fructus, pascua praebere pastus animantibus, et fructuum

ubertate luxuriare cultissimos hortos aspiciemus. Maxime autem fruges flavescunt, et albescunt ubertate spicarum incurvescentes; et jam jam suam adeptae maturitatem ad metendum aptae. Cernere est messorum sparsos ac dissipatos, in frugibus metendis occupatos construere manipulos, et carris, ac jumentis mercede conductos operarios in aream alligatos comportare, terere frumenta paribus aliquot boum, aut equarum, aut quod in Castella fieri mos est, tribulis, trahisque, quas trahunt incredibili celeritate jumenta conjugata, circumferuntque in orbem insidentes rustici, tenentes una manu habenas, altera flagellum ad agitando hos, et incitandos greges ad incitatas conversiones in trituratione faciendas: donec conculcatione jumentorum paleis comminatis, trituque plurimo granis de spicis detractis, atque triturationi vi delapsis, cum paleae, granaque confusa comixtaque jaceant in area protrita, conculcataque; ventilatores cum ventilabris frumentum, et paleas projiciant in sublime, et vento flante necessario, alio grana pondere suo, alio paleae sua levitate ferantur. Itaque ventilata, repurgataque suum in locum, cum grana separatim in acervum illi congesserunt, in horreum condenda frumenta deportentur, paleae in palearium ad quotidianos animantium pastus. Ad hoc tempus spectat perceptio varii generis fructuum, quod comparandis, condendisque fructibus opportunum est: unde capiunt agricolae fructuum laborum suorum maximos; dum est ex novis frugibus, quas perceperunt, unde reddant, quod acceperunt. Flumina, quae aquis hyemalibus, et nivibus liquefactis, et diffusis ex montibus creverant, aestate decreverunt. Fontes contrahi solent, arescere non minus rivuli, sicari paludes omnino, aquae puteorum deesse, flumina transiri vado, aliquot terrarum loca dehiscere, multisque in partibus agrorum, et camporum facies rimis fatiscere. Propter Solis ardores umbrae quaeruntur, et tecta, et amoena loca: maximeque propter aestus etiam maximos, quibus homines orien-

te

te canicula aduruntur, et torrentur in urbe, solitudineque. Multam in noctem, ut caeli lenitate, serenitateque idem homines perfruantur sine valetudinis offensione, quam hyeme acciperent, subditi sunt. Noctu fiunt itinera, quae interdum aestuosa sunt, et pulverulenta, Luna praesertim plenissima, vel media, quae claritate sua quasi faciem praefrens accensam, lucem affert viatoribus ad transitus difficiles cavendos, ad foveas, et offensiones, in quas incurrere tenebris progrediendo necessarium est, fugiendas. Sed cum canicula exiunte fere Julio multis in locis exoriatur, et medio Augusto videatur occidere: molestiae calorum jam tum Augusto exiunte Solis recessibus sedantur aliquantulum, et in maritimis locis flatu ventorum magis temperantur. In multis aliis regionibus non tam magni solent esse calores, ut non sit homini facultas illos perferendi, remediaque praecclare comparata villis in amoenissimis corporum reficiendorum maxime etiam ex caloribus aestus tempore gravissimo. Ab iniunte Augusto Hyadas agricolae spectare solent ad observanda signa futurarum anno progrediente singulos in menses aquarum; ut ubertatem, et copiam, et sterilitatem, et inopiam anni sequentis ex caelorum observatione conjiciant. Quae signa alias eventu comprobantur, alias pessime cadunt, aliquoties cum bene procedere coeperint, in deterius commutantur. Aliquando progressus ejusmodi habet annus, ut spes summa cum desperatione confligat.

AUTVMNVS.

 Estati Autumnus proximus est, qui tempus est vindemiarum: cum oleo, vinoque, qui duo fructus hoc anni tempore percipiuntur, videmus ora, vultusque operariorum, barbam, et manus sordidatas, musto vestes usque ad pedes profuere: quas homines propter liquores attritas, et contem-

C - 11-

tissimas induunt, inquinatissimas, et sordidissimas, et in eis incredibile magnitudine maculas inustas a fronte, et a tergo latissime apparētes. Alii colligunt uvas in vinea, corbeque vimineas onerant, alii jumentis imposita comportant onera multis uno die factis itineribus; quorum liquore profuente, mustoque vias omnes, quas praetergrediuntur, spargi necessariū est: et multis acinis decidentibus sterni. A Edes, ubi vinum fit, lacubus vinariis, torcularibus, praelis, et operariorum occupantur multitudine: quorum hi onera suscipiunt, et in lacus deferunt, et projiciunt, alii uvas nudis pedibus proterunt, atque conculcant cruribus ad genua usque nudatis. Quousque si quaeras? quoad pedibus nihil exprimi posse videatur. Erit autem usque, dum uvae conculcatae torcularibus mandentur ad reliquum succum exprimēdū; qui premitur, et elicitur vi, et contentione brachiorum, torculari intorto, retortoque: quoad torqueri, retorquerique magis torcularē nequeat. Sic constrictam, valdeque cōpressam materiam, quam accepit intus, reliquit tam multa conversione torcular. Sed uvarum mustum defluit in inferius torcularē, proximum doliis complēdis, quae multo ante in cella vinaria comparata sunt: postea ignes accenduntur contra vapores, qui ex musto inter decoquendum excitati operarios obruere possent hoc tempore. Ineunte Septembri, quia variae sunt mutationes temporum, corpora perturbantur facillime; cum ea, ex quibus constant, inter se non congruant: et morbi, et offensiones variae valetudinis gignantur. Adde terraemotus, et tempestates; quae vehementes existere solent: de quibus aliqua hoc in loco nobis videtur esse dicenda.

TEMPESTATES ISTIVS TEMPORIS.

Tempestates maximae solent Autumno commoveri, praesertim mense Septembri in quibus caelum, nubibus

bus obductum, in maximā vim aquarum affectum obscuritate nubium, et caligine horribili, tenebras maximas, et noctem profundam populis, aut urbibus offundere velle videtur. Sic enim parturientes diu nubes, quam vim, et multitudinem aquarum coactam, compressamque tenuerunt, tandem praecipitarunt in terram, et quidem multas horas, atque cōtinerent, montibus, quasi prolabantibus aquarum: ut decedere caelum, dissolvi, ruereque machina mundi velle videretur. Id autem fiebat decessu nubium frequentissimo experimentium passim horribiles faces, et ardores fulgurū incredibiles; quae mortalium oculis cum obversarentur, oculorum aciem praestringebant cum multo tonitrus existentis fragore terribili: jam jam ut corruere supera, mortalesque ruinis inauditis opprimi miserandum in modū passim putarentur. Horrere vim tempestatis genus hominum, corporibus, et animis tremere, signo se muniae sanctissimae Crucis, accedere lucernas sacratas, reliquias, et ossa proferre sanctorum, sumere in manus, admoveere oculis, osculari saepissime, et palā efferre cereas Agni Caelestis imagines, precari Caelites, Virginē Mariam, Iesum ipsum, quaerere latebras, et recessus omnes, in angulos se cōjicere, occludere fores, atque fenestras, foramina, et aditus omnes, quacunquē fulgura sese inferre potuissent. Ita frangi, debilitarique praetimore, vox ut ad loquendum intercluderetur. Profuiebant interea torrentes aquarum alluvionibus aucti longissimi, latissimi, et vias praeterlabentes, rapido, citatoque cursu, quo ferebantur imperu, secū trahētes obvia quaeque praecipiti volubilitate. Sic viae torrentibus redundabant, et aquarum multitudine transitus occludebantur omnes: ut pedibus transiri viae non possent nisi circuitationibus multis, et ambagibus, et ab una in alteram partem projectis tabulis, vel equis, vel humeris bajulorum. Qui vero valentior videri volebat, et ad transeundum audacior, cum lapides in medias aquas, ut transiret, projecisset;

hos profluentiu aquarum impetus incitata rapiditate praecipites provolvebat. Quae minima latitudo fuerat, nihil corporis agilitas, nihil pedum celeritas ad transiliendum profecerat. Aliarum accretione, quae diversis viis diffluentes sese conjunxerant, aquae vehementius incitatae cum caeteris, quae volutabatur permixtae confusaeque, lapides, ligna, et alias res diversi generis fragore multo trahabant. Effudisse se fluvius videbatur, et si diem unum, quemadmodum pluvias metuebamus, pluisset, redundasset proculdubio. Attulerunt istud boni torretes praecipites et incitati, ut vias sordibus purgas, et nitidas, et abstersas, ex omni parte reliquissent: quod in paucis, aut minutatim fluentibus aquis, non perspiciemus. Vnde id accidere necessarium est, ut coeno, lutoque vias omnes inquinatas, et sordidatas peragremus; et calcei non solum sordes, et lutum colligant: sed et caligas, et pallia longiora respergat lutum, coenumque calcatum impressione resiliens.

TERRAE MOTVS.

Accidunt etiam hoc tempore quidam horribiles terrarum Tremores. Omnium autem maximos, quales in India fieri fama, litteraeque multorum pertulerunt in Hispaniam, cernere vos putatote. Primum enim commoveri coepit: tellus tremere postea magis ac magis invalescente Tremore: qui increbescens timores augebat animis hominum injectos. Vibrari videbatur, et palam efferrisolum, huc, et illuc agitatum in speciem maris intumescens: quod cum fluctuare nunquam desinat, tum deprimatur vi tempestatis, tum momento temporis attollitur. Mortales quasi per medium mare veherentur in navi, jactabantur huc, et illuc, nihil magis metuentes, quam ne repentino terrarum absorberentur hiatus. Accedebant fremitus infra terram exauditi terribiles in-

simi:

similitudinem maris frementis, cum magis intumescit, et fluctus attollit in caelum. Quocumque se mortales convertebant, omnia tremere, fremereque videbantur. Commoveri solum, huc, et illuc fluctuare, parietes quatinutare turres, aedificia fortissima minitari ruinam, dissolvi machinationes plurimae, non paucae rimas agere, labefieri portae civitatis, tegulae decidere plurimae, tecta ruere domorum, muri collabi, castella, tota civitas corruere velle, et everti penitus. Homines sine colore, sine specie, exaegues, et similes spirantium mortuorum, quasi fanatici, sui que prorsus impotes, vagari, et errare, permanendi, fugiendique prorsus incerti, se ipsos defixo vicissim oculorum obtutu intuentes, dandi, capiendique consilii penitus ignari. Quo se reciperent afflicti miserique? An in templa, quae sacra habebantur perfugia? at magnum erat periculum, ne quemadmodum corruere coeperunt aedificia firmiora, templa quoque collaberentur. An fugerent invicinarum aedes earum etiam subdiales ambulationes superiores, contignationes, et tecta subverti, partim jacere jam tignis, et laquearibus dissipatis aspiciebantur. Num vias publicas, aut plateam, aut solitudinem aliquis cogitabit? et qua non ampla patet latitudo, qua viae summis petuntur angustiis, in fugientes homines non decident tecta? non parietes? non tigna hac, illacque vi Tremoris horrifici disiecta? quid? quod labes factae terrarum? multis in locis terra videtur in ingentem altitudinem defecisse, et absorbuisset vivos homines, vel consistentes, et non audentes se loco movere, vel in ipsa meditatione fugiendi, vel plures advolantes, et fugientes hiatus a tergo relictos? Nihil pedum celeritate proficiente media in fuga, transitu praeccluso, cum incontinenti se ponere multi pedum arbitrentur, falso vestigio per subitam absorpti voragine in profundum dejecti terrarum, interjecti per vias publicas inter ordines domorum duos, hinc illincque a dextra laeva que ruinis, ne gradum amplius facerent, intercluderentur. Quocumque pergerent, et

contenderent, ante conspectum, in suis oculis, et ore concidere domos aspiciebāt: et opprimi denos, multos ve greges familiarū. Nam illa communia, altissimos parietes labefactos a summo in imum usque, qui fuissent in una domo, vel in aedificiis aliis, eos ruinis oppressos fuisse. Parentes, quae filiis prospicere volebant, cum manu trahere pueros, aut infantes in sinu gestare, et eos periculis ruinarū eripere properando, fugiendoque studerent, in media fuga opprimebantur: ut fratres aliqui, dum exspectabant fraterculos suos ut vestigiis persequerentur, hiatibus hausti fuerint: repentinis, vel obruti ruinarum glebis, et cumulis terrarum ingentibus. Quot terra penit⁹ cooperti, infra ipsam; cum emergendi nulla potestas daretur, oppressi spiritum amiserunt: quot lapidibus, saxis praegrādibus, tegulis de tectis vi terrae motus dilabentibus vulnerati occubuerunt: quot genibus tenus obducti: quot cum summis pectoribus, cum capite solum exstarēt, ope destituti mortalium, ad tabētusque manserunt membrorum miserimam: quid plura? tenuit is terrae motus dies aliquot civitatem, donec fragore, quasi ruentis aetheris genus universum hominum, qui non poterant evadere, tandem universa civitate corrue[n]te deletum, et extinctum est. Qui profugerāt aliquot ante dies, lamentari magis, et solitudinem commovere gemitib⁹, et ululatus horrendis: qui suas domos, qui tēpla, qui muros, qui civitatem humi prostratam, suosque multitudine ruinarum oppressos, et obrutos, in suis oculis, in suo ore, vultuque conspiciebāt. Fuit eiusmodi Terrae motus non dissimilis illorū, quos in Lyguribus, in Gallia, in cōpluribus insulis, in Italia tota factos esse Ciceronis monumentis acceppimus: ut multa oppida corruerint, multis locis labes factae fuerint, terraeque defederint, flumina fluxerint in partes contrarias, et in amnes mare influxerit.



B R E.

BREVIOR TERRAEMOTVS

descriptio.

Sed brevius Terrae motū describamus. Communis quidam, et horribilis Terrae mot⁹ factus est: quo loca omnia deserta, atque celebriora contremuerunt. Terra multis in locis defedit, labes factae fuerunt innumerabiles, parietes nō pauci minitati ruinam, plurimi rimas egerūt, aedificia multa, aut vitia fecerunt, aut ruinis oppresserunt vim, et multitudinem hominum innumerabilem. Atque id temporis, cū factus est Terrae mot⁹, ex auditu fuit sonitus, et strepit⁹ maximus in similitudinem curruum, et lecticarū, quae incredibiliter, quacunque praeterirent, concrepabant.

PESTILENTIA.

Terrae motibus Proximi describantur morbi huiusce temporis, et imprimis Pestilentia. Anno hoc maxime pestifero cum in aliis civitatibus, Hispali maxime pestilentia fuit, et nulla quidem pestilentis aëris aspersione; sed contagione cuiusdam oppidi, quae manavit latius, et cum pervasisset alios populos, et evertisset funditus; hanc sane civitatem aequè graviter, ac reliquas contaminavit. Quamvis autem caelum, quandiu pestilentia fuit, sic obscurum erat, et caliginosum, ut ex illius aspectu pestilentiae signa facile potuissent observari: tamen non tam horrificum erat caelorum formam suspicere, quam urbem propter pestilentiam ab omni genere divitum, et splendidorum hominū desertā intueri. Quae multas familias invasisse, aliquas evertit, cū in omnes fore grassata fuisset, paucas nō attigisse

C 4 vifa

vifa est homines multa remedia praeclare comparabant, ut pestem averterent. Odores enim domibus accendebantur. Qui manserunt in urbe, domi se continebant: nullus erat concursus, nulla frequentia virorum, qui vel pedites, vel equites frequentes conveniebant diebus festis, aut profestis, locis in celebrioribus ad suas res agendas, ad cursus faciendos, ad vias aliquot, plateasque celebrandas, omni conventu privatim, et publice prohibito. Artes, et studia silebant, jacebat mercatura, negotiationes omnes interquiescebant. In summos, medios, et infimos mors crudelissime grassabatur, magisque indies in valescete pestilentia: ut omnis generis hominum in interuisione facta familias plurimas ad nihilum mortem redacturam, et adaequaturam esse celebritatem cum solitudine metus esset, et periculum maximum. Nosodochia capere non poterant multitudinem infectorum, et illorum, qui per bajulos in sellis gestatoriis infecti pestilentia comportabantur, et illorum, qui cum suis se sumtibus curare potuissent, curabantur ab universa longe separati familia: quo praeter ministros, ne contagio serperet in domesticos, accedebat nemo. Nihil miserius, nec magis exercitum erat hisce temporibus, quam Hispalenses; qui quocumque terrarum loco excluderentur custodibus positis: qui viatores Hispani venientes aditu prohiberent, et in urbes alias ingredi non permetterent. Poenae constitutae fuerant in eos, qui reciperent Hispanos, et in hominem, qui reciperetur in civitate. Videres efferrifunera sine honore, sine pompa, cada vera mandari sepulturae, nullis exequiis, nullo ritu, neque caerimoniis, et prius in sepulturam inferri, quam sacerdotes, qui longo intervallo remoti funus sequebantur, in ecclesiam ingrederentur. Comparati jam dudum cadaver expectabant bajuli ad faciendam sepulturam conducti: quod vix allatum in ecclesiam aspiciebant, cum raptim ablatum delecto praecipite deiciebant in sepulturam, et protinus terra cooperiendum, obducendumque, ne teter odor, aut contagio promanaret ad

inficiendum aliquem de praesentibus omni celeritate curabant. Honoratissimus, et locupletissimus erat ille quidem, cujus haeredes pecuniis ungeret presbyteros, et ministros ad officium vita functorum aliqua pompa, specicque faciendum. Tanta vis erat, et multitudo quotidie mortuorum, et passim sepeliendorum: ut cum Ecclesiae mortuos capere non possent, coemeteria aratri vomere perstringerentur. Dabant operam finitimi, ut suos populos incolumes conservarent, ne pestis tantae civitatis illos invaderet: quam idem Hispanenses bis jam biennium ante depulerat, et multis, praeclarisque custodibus positis, qui venientes ab urbe Hispani non finerent in suos populos ingredi: et reliquorum oppidorum habitatores nisi dato testimonio salutis, et incolumitatis, et oppidi, unde veniebant, rationem exploratam haberent, dimittebant statim, et multam illis salutem dicebant: longeque illam impertientes jubebant illos, quo venerant, itinere reverti. Ita cum procul apparerent, clamor confestim a portarum custodibus tollitur, consistere jubent viatorem, neque longius illum progredi, circumsistunt peditem, aut equitem, unde veniat, qua contenderit, percontantur; quod sumserit sanae civitatis testimonium petunt, et edicunt, ut proferat, et illud det sine mora, obsignatumque oppidorum, unde veniat, signo scribae publici: quo summa cura diligentiaque recognito, recipitur in urbem, aut dimittitur. Interim quam innumerabilia remedia, publice per civitatem, et domibus ipsi, intra domesticos parietes adhibentur ad illum, quem pestilentia in hominum visceribus fixerat, mucronem retundendum? Quotus enim quisque reperietur, qui praesidiis omnibus medicinae non vitam, salutemque suam tutaretur, et a contagione liberam, et integram servandam non curaret? Totos equidem illos dies, summi, medii, et infimi homines, qui possent aliquid in civitate (poterat autem fere omnes propter civitatis amplitudinem, et comparatam vim, et multitudinem remediorum infinitam,) comportabant secum pot

poma aquarum suaviter olentium plenissima, vitrea, cedrina, vel ex alia arbore magni pretii et aestimationis: quae grossipii inferta odorum mira suavitate fragrabat. Non pauci pyxides gestabant, et globulos odorum acerrimis conditionibus concinnatos, non crassiores, quam manus in pugnam compressa capere potuisset, et multifriculos rosarum, et aliorum florum suavissimorum, strophilae rosarum, vel Angelorum aquis perfusa, et imbuta adeo, ut suae suavitatis quacunq[ue] progredierentur homines, vestigia relinquerent valde fragrantia. Prae reliquis civibus nitebant divites, odoribus perfusi, unguentis delibuti, liquoribus sparsi suavissimis, suavitatis hujusce fragrantia vias omnes plateasque complebant. Nihil magis usitatum, quam in viis publicis odores accendi, rore vicis, plateasque sterni marino, natate pavimenta domorum liquoribus suavissimis, madere parietes sparsos, atque perfulos aquarum suaviter olentium vi maxima, aditus, cubicula, recessus omnes, odorum spirare fragrantiam, lectulos violis, rosas, et marino praesertim flore coronari, pro pavimentis, pro fenestris, pro mensis, odorum constitui vascula, alabastrisque collocari palam unguentorum. Ubique quae prandia, quae coenae, non illa luxuriosorum hominum, nec Bacchi, aut ventris studiosissimorum, sed temperatorum, et hominum, qui mira commendarentur abstinentia. Cotentissimis vulgo homines escis, et carnibus humores crassissimos pestilentesque contrahentibus abstinebant. Idem pro carnibus suillis, pro arietinis, gallinis, pullis, cuniculis, vitulinis carnibus vescebatur: neque ad saturitatem usque, pro libidine cibis hujusmodi ventrem complebant: sed ut fame depulsa relecti solum de mensa furgerent. Sciebant enim cuncti crassos humores, qui redundantia ciborum colligebantur tam pestilenti tempore, allaturos esse causam, materiamque pestilentiae. Nihil praetermittebatur eorum, quae ad diminutionem, depulsionemque pestilentiae grassantis, et invadentis in vitam hominum valere videbantur.

CA-

CATARRHVS.

Addamus ad morbos Autumnii tetrum, et pestiferum Catarrhum, qui mense Septembri abhinc multos annos, genus humanum invasit. Nam ut alias partes omittamus, et illas, quae ad nos spectant, quaeque finitimae sunt Hispaniarum partibus, commemorem: Parisius pestis haec deterrima, post maximam in principe Galliarum civitate stragem editam excessisse dicitur, et primum quasi pennis sublati, post tot milliaria locorum confecta Mantuam invasisse Carpentanam, inde celeriter volitasse per vicinas gentes, praetergressa fuisse Montes Marianos, post infectam urbem Cordubam occupasse. Hispalim, atque hic grassata crudeliter manasse latius, et nullam non oram regionemque contaminasse terrarum. Fama nuntiabat nullam fuisse civitatem, nullam villam, nullum denique oppidulum, quo non Catarrhus iste cum pernicie maxima, et vastitate pervaserit. Dictu est incredibile, quantum damni fecit, quaeque sese diffudit, et manavit, interitum, et pestem afferens multorum populorum et urbium habitatoribus ultimam. Sed reliquit suae vestigia vastitatis expressa non pauca, de quibus licet facere conjecturam ad carnificinam ab hac peste deterrima generatim, et speciatim ubique locorum exercitum. Aestas exierat jam, et inierat tempus Autumnii, cum caelum crassis obscuratum tenebris, densis circumfusum erat nubibus sublata temporis aetivi serenitate, quo tempore crassus aer, et pestilens terram circumfusum nec cogitantibus nec opinantibus medicis, innumerabiles viri, et mulieres, pueri, et puellae, juvenes adulescentes, et omnis generis ordinis, atque fortunae, malevalens coeperunt. Tussire fere omnes, crebro dolore capitis, et pectoris angustis urgeri, tres primos dies aestu, febrilique facta

D 2 11

ri, neque convellere posse reumata, quae decidebant in pectora omni etiam vi, et contentione attrahendo, et excreando: minime calefieri caput, quod tanquam gelu congelatasse videbatur: denique jacere infinita multitudo generis hominum, tam deterrimi peste Catarrhi saeviente confictata. Nulla erat tum voluntas edendi, adempta bibendi prorsus aviditas, nulla condimenta, nulla medicorum inventa ad ablatam aviditatem excitandam sufficiebant. Quae natura dulcia erant, videbantur amara. Res inter se tantopere dissidentes glacies, et ardor, conflagabant vehementissime. Aedes omnes aegrotorum plenae. Parètes, filii, heri, servi, ancillae, universa familia in lecto decubebat. Vix erat, qui ministraret aegrotantibus. Nullae celebrabantur viae, nullae frequentabantur plateae; nullus civitatis locus, usitata frequentia honestabatur. Intermitti privata, et publica munera, mercatura coquiescere, silere judicia, causaeque foreles, intermissiones fieri studiorum, concludi musaeae litterariae, facultates omnes quasi sordidatae squalere, pecora, agriculturaeque relinquere, artes humiles non exerceri, celebritas imminui sacrorum, multis in Ecclesiis vix unum fieri sacrum, silere cantorum inopia vespertinae, matutinaeque preces: omnia vi Catarrhi deterrimi jacere, quae stabat antea, suoque florebant in genere quaeque praestantissima. Nihil in populis, nihil in urbibus, nihil domibus ipsis audiebatur, nisi tussis, et cymbalorum sonitus; quibus ad funera proclamabatur dies, noctesque continenter. Et quia pulsus cymbalorum frequentissimus erat omnibus in locis, quia generis cujuscunque mortalium cymbalis tristissimis aures personabant, et metus valentibus paucis, et omnibus fere aegrotantibus injiciebatur mortem jam jam adesse conceptam in praecordiis, atque contentatione magis civium animi moereret, et conficerentur angore, quo tam abjecti, perculsi que jacebant: prohibiti sunt aliquot in Ecclesiis aeditui ad funera proclamare multorum. Quamobrem cadavera efferebantur non multa pompa, non magis

magno honore, non usitato more, celebritateque: multi propter ministeriorum inopia honorificis carebant exequiis. Omnes, qui paulo ante aegrotaverant, aut id temporis aliquo morbo laborabant, qui senes erant, qui viribus imbecilles, interibant Catarrhi magnitudine confecti. Inter hos qui faciebant itinera, viarum asperitatibus, et difficultatibus oppressi maximis, quibus in locis, quae iter habebant, reficiendi se, et curandi potestas non dabatur, aut in urbes ad requiescendum, et consulendum vitae suae, ferius omnino, quam vis morbi ferebat, accedentes mortem oppetebant miserissimam procul a patriae sedibus magno locorum intervallo disjuncti. Itaque mors locorum omnium magnam partem occupabat, sola in orbe terrarum tenebat imperium. Mortes plurimae, miserandaeque narrabantur, orbitates liberorum, fratrum, atque parentum interitus, et multarum ruinae familiarum nuntiabantur; homines denique multi mortui ferebantur singulares, et divites, et genere, et honoribus insignes. Interim qui convalescebant, quo pallore? quam macie? quae videbatur imbecillitate? Vires hominum, Catarrhi afflixerat, ac perdiderat, et metus, in quo erat, mensis, qui sequebatur, October, quae in illo eventura praedicebantur, multitudinis sua, magnitudineque multo reddebat tetriora. Ita quidem levato magna ex parte, deinde sublato prorsus hoc infestissimo Catarrho, multa millia Hispani occidisse dicebantur: et fama erat, cum hoc oppido locorum omnium optime quidem actum fuisse. Has mortes ante oculos statuebant, et renovabant atrati homines innumerabiles; qui parètes suos, aut sanguine conjunctos lugebant.

HYEMS.

Nunc hiems est, in qua intolerabile frigus esse solet, quo mortales horridis praesertim, et frigidis in locis adeo conficiuntur; ut vim frigoris hiememque deterrimam vix urbium tectis sustineant propter imbres per frigidos, multi

tudinem aquarum, turbines, et procellas, et tempestates maximas. Quoties aqua frigoribus coëglaciare solet, niue, pruinaque concrefcere? quoties liquefacta delabitur de tectis, de montibus? quoties terrarum loca niue, pruinaque obriuerunt longinquo Solis abscessu? quoties ad frigoris magnitudinem vitandam multa remedia comparantur? quoties denique vis frigoris tectis ignes accendendo, partim pelles Sarmaticas, et pannum induendo communem, partim corpora palliis amittendo longioribus, togis que domi calaribus depellitur? Opus equidem est generi mortaliu omnibus hisce remediis, quod istud anni tempus incommodu est, et imbecillo corpori maxime frigus infestum. Non enim erigere se potest homo, totus friget ac tremit, adustis auribus, labiis liventibus, tremulis, atque demissis, quasi dentium acerrimo, incurvo corpore, dubio imbecillique incessu. Propter aquarum autem multitudinem, propter alluviones, atque torrentes saepe in adfectis pedibus, propter sordes etiã viarum, quae luto sunt obductae, coenoque inquinatissimae, et luti, et coeni plenissimus homo cum domu revertatur: cum vix domo, pedes, vel eques exivit, quin aspersus, respersusque notis luti resilientis in pallium, in caligas multu offensiois accipiat, quãtũ hiemps incommoditatis habet. Ita lubricae sunt viae luti mollitudine, quod hominem calcare necessariu est, ut saepe accidat, ut pes prolabatur, et in huiusmodi locum homo cadat: interdum in coenam immergat partem, unde nequeat illum per multu tempus extrahere, et cum extraxerit obductu, cooperituque coeno, non solu exire cogitur, sed purgare, abstergere, et abradere: atque utinã insidentes, et inhaerentes luti sordes possit eluere. Illud continuo consequitur, quod facere solent abundates calceoru, atque vestitus: ut inuit domu reuerti calceos cu pallio, et reliquit vestitu ad inflammationem accensam exsiccant, ut facilius luti multu, et impressu manibus famuloru abstergatur, ne si insederit illud, et in veteraverit, haereat calceis semper, et indu-

dumetis corporis. Sed hoc tempore hic in lutu, illic in coenu, illic in aquas, ibi in glomeratas sordes incidet, ni quã ut insistere queas, neque te sustinere: quin simulatque despexeris, et caute procedere semper in o memineris, cu casu prolapsio neq; multapedes promovere debeat. Quod si plurimae fuerint hyemales aquae, quales glomerari solent, hoc ipso ad pluedu maxime affecto tempore: cu sese torretes viis plenissimis praecipitaverint, cum aquarum tanta multitudine viae redundaverint, ut in illis fluctuantes undas liceat aspicere, neque ad dexterã, neque ad sinistra fluctere, neque viam progredi possis nisi longe lateque aquarum flumine fluctante, perque medias quasi undas, perque medios fluctus. Liberos atque solutos transire coëllam nisi multu profecto tibi locu nisi iumento, nisi curru, nisi bajuloru humeris, nisi transeantibus superadi facultas concedetur. Sic multae maximaeque aquae solent per hyemẽ existere dies multos, et magnã noctiu partẽ horribili fragore, glomeratione plurima, Austro flate vehementissime, vimque ipsam aquarum in facie, in ora mortaliu injiciete, simul in domos immissa per fores, per fenestras totis in pluvius patetibus diffundente latissime, ut exhauriendaru aquarum caelo tranquillato non parũ negotii sibi datu iri famulae putaverint, et imperatu. Atque praeter has incommoditates nõ obliviscamur bruta animatia, quae magnã partẽ dieru hyemaliu suis in speluncis abdita, et occultata jacet per agratione montiu, lustratione caporu intermissa: cum aquis, frigoribus, et tempestatibus hyemis prohibetur per agros, per lucos vagari, et errare inter sui generis socias et comites pecudes, aut immanes belluas. Nec otidema aves, quae cum liberae, ac solutae volitare gestant, suis in nidis se continent per multa hyemis tempora asperitate, et immanitate gelu quasi vinetae, et constrictae, ne queant ad volandum expedire sese. Cuncta facit angustiora breuitas dierum, atque aspectus horridiora, squalidioraque: cum propter tempestatos multi dies sint, cum homines Solem non videant, qui multis diebus tristis exoritur, et pallidus.

IN VNDATIO HVIVSCE TEMPORIS.

F Lumina hisce mensibus hyemalibus inū dare solent plurimum vi, et multitudine aquarū; quibus sese effundunt, et redundant latissime. Itaque aquae a ripis in portas usque civitatis profluere, terram opplere fluctibus, et obruere non tumulos, et colles solum finitimos, sed aedes alluere, cingere, et circumdare tanquam insulas Oceano circumfusas vastissimo aquis influentibus in vestibula, et impluvia complentibus. Vix lebetibus, cacabis, et aliis vasis domesticis ad effundendas aquas acceptas famuli, et ancillae sufficere, dare omnes operam, ut moles opponant contra vim et magnitudinem fluctuum, aggeribus plurimis, et excitatis operibus sepere januas, et aditus omnes: ac ne vi fluctuū insaniētium perumpantur, resina, et pice a lateribus oblinere, ferruminareque fortissime. Sic enim effundēs sese flumē procurrat, et incitatur, ut cymbis extra ripas ipsas, atque saepe intra moenia propter aquarum multitudinē in omnes partes commeent homines, atque transportentur. Cymbae fluminis alveum praetervectae, lateres, calx, ligna cōgesta, omnis coacervata materia, quae proxima ripis in patenti planicie jacebat, pini, trabes crassitudinis admirandae funibus ad palos humi defixos religatae vi inundationis fluitare videntur funibus fractis, atque disruptis. Ipse fluvius fremitu, fragoreque terrifico, magis ac magis effusus, et incitatus aliis, et aliis fluctibus subsequētibus, celeritate praecipiti speciem praebet ad aspectum horrificam, atque formidandam, turbidam, et inquinatam faecibus, et sordibus rerum, quas de suis locis avullas, et arreptas impetu rapidissimo provolvens praecipites trahebat. Quid commemorem his fluviorum inundationibus homines submersos? quid cymbas, lintres, navigia demersa? quid rerum vim infinitā in ripas pro-

jectam? quid jumēta, onera cum suis mercibus obruta, et rebus jam dissipatis, ac perditis tracta, et ejecta in terram? Injiciebantur harpagones, manus ferreae ad res diversi generis tractas aquarum undis extrahendas. Interea crescere magis fluvius, et augeri magis ac magis; metuere oppidani, ne portas civitatis praeterfluens (nam suburbiū jam habebat speciem insulae) magnam obrueret partē domorum; expectari in diem crastinum aquarum Cordubensium alluviones; quarum conjunctione auctus redundaret magis, et quantum posset, effunderet sese. Quarum expectatione dum pēderet civitas, et esset in magno timore; ecce praesentibus aquis; et in Baetum sese provolventibus frangi sublicitiū pontē; perirumpi moles plurimas; et obsessos portarum aditus aquarum mole deturbari protuentium. Atque ab illa parte, quae pertinet ad populetum urbanum Hispalense sic flumen redundabat, ut totum populetum summum, medium, et infimum tanquam flumen lintribus atque cymbis transmitteretur. Non hic tabulae, non bajuli ad transmittendos homines usum ullum habere videbantur: quos aquae pectoribus exstantes arriperēt, et secum praecipites incredibili rapiditate provolverent. Quae si diu teneret inūdatio, jaceret opus Herculis pulcerrimum, et monimētum Caesaris amplissimum: sed triduum post inūdationem tātam in alveum aquae cedentes terram totam reliquerunt oblimatā, et naves in arido, quas vis effusi fluminis in terram ejecerat.


HYEMALIS TEMPESTAS.



Quamquam hyemale tempus humidum sit, atque frigidum; tamen aliquando qui nubium conflictus? qui tonitrus? quae fulgura? quae fulmina? quae tempestates existūt, quamque vehementes? aequē quidem graves et vehementes, atque temporibus Autumni vehementissimas; aut

miscere, micare ardentius ignes, glomerari vehementius aquae. Inter has moles, et ingentes aquarum, mōtes, inter decessus, caelorum terrificos, gemisibus puerorum, mulierum ululatus, lamentis cuiuscunque generis hominum omnia miscentur, perturbantur miserabiliter. Dum fugiunt illi, latebras alii quaerūt, cum aliquot fulminati cadūt, tum multitudine oppressi parietū, vel tegulis, et faxis hinc, illincque volitantibus obruti pereunt, et occubunt; caelum tonitrus, et fulgura accumulatur, et adauget, intorquet, et retorquet fulmina. Ruinae prostratorum, et cadentium parietum advolantes retardant, intercluduntque transitū, et ipsi fugientes confusi, permixti que sibi sunt impedimento, ne constricti, compressique perumpāt turbam confertissimā, et sese vicissim impediētē, et implicatē: ne qua velint progrediatur. Itaque quocupiant, evadere nequeunt inhaerētes aliis alii, jactati hac, et illac, projecti, reiectique passim, neque modū, neque rationē, quae se ipsos explicent, reperire valent, caecofurentique, quos ferantur, impetu, se mutuo prosternunt in terram, et prosternunt propinquos, et hi prosternuntur ab aliis, et in corpora propius cadentium injiciuntur; quae fugitantes a tergo praetergressi, prostratos, subjectosque, frustra se confici conquestos obruunt, atque conficiunt: dū per eorum corpora, nullo discrimine, vim adhibuerunt, ut trāsirent. Sic omnia propter aquas hyemales multis diebus **maximorum plenissima sunt.**

TEMPORA PHILIPPI HOC NOMINE secundo Regis Hispaniarum Catholici.

neratim praepositas temporum descriptiones felicissima nostrorum regnorum speciatim saecula praesenti exercitatione consequantur: Philippus hoc nomine secundus Hispaniarum Rex potentissimus annos fere quadra-

draginta suorum gubernacula tenuit imperiorum, et adhuc tenet cum summa pace tranquillitateque regnorum: quam cum Deo praecipue, bonorum omnium auctori referimus acceptam, tum consilio summo, prudentiaeque maximae: tanti Regis: qui tanquam alter Numax in orbe terrarum prudentissimus meruit appellari. Quod tertium accedit, aut quartum ad illa, quae fortit^o est dono ac munere divino, cognomenta clarissima. Nam cum illum jure quidem optimo potentissimum nuncupare debeamus, tum etiam in victissimū, addo etiam Regem Catholicum, nunc illud adjungēdū est, atque sibi merito tribuendum Regis prudentissimi cognomen excelsum. Atque explicanda mihi singula, cognomenta sunt: atque eo magis, quod ad institutum regnorum status sui florentissimorum ea facere videbit exercitationis hujusce lector. Nam potentissimum cur Regem non appellē, cum de regibus nemo neque civitatum amplitudine, neque numero provinciarum, neque regnorum ditionibus, neque ullo genere divitiarum, tum magnitudine, multitudineque vestigalium, aut auri, et argenti, quae sibi deportantur ex Indiis in finis pondere ad Philippum comparaduse esse videatur: ut jam alienigenae felicitati rerum Hispaniensium invidentes quamquam concedant, et dent nobis, quod adimere sine mendacio non possunt, tantum in nobis esse potentiae, quantum nunquam fuerit in antiquis Romanis principibus terrarum potentissimis, tamen opes nostras violētas, et minime ferendam potentiam jactitent, ob eamque rationem infringendam, labefactādamque, accitis etiam, conjunctisq; Turcarū copiis, et classibus: ne quod de felicitate Hispaniarum sperare possumus, res in eum statum adducantur suae, ut dominationem suam, et imperium, gentes aliae nationesque distinctissimae subire, perferreque cogantur. Ipse vero Rex potentissimus quanta bella suscepit, gessit, atque confecit, neque diversis, aut paucis annis, sed multis et continuatis longissimis temporibus, et procul a finibus His-

paniarum, ipsis in locis, atque ditionibus inimicorum, et terra, marique copiis, et instructis classibus, maximis atque ornatissimis? Ut omittam classes, quas quotannis in Indiã ille mittit, naves, et triremes Hispanas, Siculas, Neapolitanas, et quas in aliis maritimis regionibus contra hostium adventus ornatas habet: quot loca Regis Philippi imperio subiecta praesidium habent firmissimum, ut tuta possint esse, nec sese commovere cõtra fidem jam pridem datam? In Lusitania, in Italia, Neapoli, et Mediolani, in Aragoniae regno, Caesareae Augustae, in Maurorum finibus praesidia collocata sunt plurima, firmissimaque: quae sumtibus Hispaniarum aluntur, et sustentantur. Praetereo quoties susceptis sui regni gubernaculis partes diversas maximis, fortissimisque praesidiis Rex idẽ Philippus munivit, atque firmavit. Bella, quae gessit, cum plurima sint, illa maxime non omittenda sũt; quae cõtra Agarenos habuit in Granatae locis propinquioribus: qui cum notitia locorum, et altitudine, et asperitate montium altissimorum, et multitudine sua, freti defecissent, bellum illi concitarunt grave atque periculosum; quod Proregis Granatensis vigilantia, cõsilio, et fortitudine sustentatum, Ducis Sefariensis, et Domni Ioannis ab Austria adventu sublatum atque sepultum fuit. Agareni partim confecti, partim in ditionem accepti fuerunt: atque in diversas Hispaniarum provincias distributi. Paucos post annos nostra fuit navalis illa pugna commissa, victoriaque eodem Domino Ioanne ab Austria duce fortissimõ de Turcis teterrimis, tanta cum Hispani nominis gloria consequuta. Nec vero silebitur admirabilis quaedã, et incredibilis belli Lusitani cõfecti, Portugalliaeque captae celeritas, uno tempore, vel puncto potius terra, marique victis Portugallensibus atque superatis. Itur, inde in insulas Accipitrarias aditu, omni praecclusas: quae tam faciles captu fuerunt, quam quae patent, et apertae sunt, omni vi, et contetione nostrorum: aditu primo superato. Quid dicam de Gallorũ classe, quae An-

tonio Portugallensi suppetias allatum venerat? quã cito navali praelio commisso, in nostrorũ Ducum potestatem redacta fuit? Elyzabetha abhinc paucos annos classem omnibus rebus ornatam et instructam, in quam comparandã et ornandã omnem regni vim, et potentiam contulit, in Lusitaniam miserat: quae cum in Gallaeciae portus militum multitudinẽ eiecisset, quanta virtute repulsi, rejectique fuerunt? Cum in urbem Vlisipponem caput Lusitaniae omnes paucis relictis in praesidio navium suarum, militibus in vasissent, a paucis defensa civitas, et illi re infecta turpiter profugerunt. Quos cum septem triremibus in tempesta nocte fuisset praefectus Castellae consequutus, quantum in discrimẽ classem adduxit? quot depresit atque submersit naves? quot incendit, et inflammavit? quemadmodum totam classem in fugam coniecit? quae dissipata, atque lacerata, multis amissis navibus, confecto fere Britannorum flore, multis lacrymis, atque laments suorum in Anglia fuit excepta. Quis unquam existimavit fieri potuisse, ut tot annos tam grave, tam diuturnum bellum in Flãdria Rex ipse Philippus sustinere potuisset, et in hunc usque diem sustineat, quantum nullam unquam memoria bellis aliis distentos sustinuisse Romanos, aut legimus, aut audivimus? Atque ut alia praetermittã, et ad illa veniam, quae nostris oculis, et auribus accepimus: an non felicitatem, potentiam, fortitudinem, consiliũ Regis facile declarant, quae relictis in Flãdria praesidiis, et bellis deflagrãte Flandria crudelissimis, Galliarũ regnis pro Fide conservanda, et haeresi depellenda copiarũ auxilia ab eodem Rege Philippo missa fuerunt? est haec incredibilis multitudo, magnitudoque rerum, quas praeter Hispaniarũ Regem hoc nomine secundũ, ulla neque veterũ, neque nostrorũ hominũ memoria, satis certo scimus praestitisse nominẽ. Quid illa classe maxima et ornatissima in Angliam comparata ornatius, et instructi? potuit esse, cui rex Ducem Sydonium praeposuit imperatorem? Nisi maris illam vis ab-

forbuisset, non hodie teneremus Angliam, et in Fidei Christianae statum veterem, atque florentem Philippi viribus indicatam. Quae tria fortunata reddunt, atque florentissima regum potentissimorum imperia, haec eadem Hispaniarum imperium augēt, et amplificāt, pax, litterae, atque religio. Ita bella gessit Rex iste potentissimus, ut procul a nostris finibus, procul ab Hispaniarum sedibus gesta fuerint. Quae vero Agarenorum defectione concitata fuerunt in Granatensi regno, ea tati Regis adventu in urbem Cordubam sublata fuerunt, atque confecta. Quadragesimus annus est a primordiis accepti, et ab Imperatore Carolo regni filio Philippo traditi, et ut videmus Hispania tranquilla, atque perpetuam pacem habet, proximis regnis, et externis etiam Christianis plurimorum ardore bellorum deflagantibus. Recordari potestis Lusitaniā, meminisse Italiam quondam ad arma spectantem, nunc audire Galliam abhinc tot annos tantis calamitatibus afflictam, et bellis everfam funditus, atque perditam. De Germania bellis ardentem quotidie ad nos litterae perferuntur. Anglia quantum in discrimen, atque periculum adducta fuerit, ipsa quotidie miserabilis experitur bellorum sumptibus, et expensis ingentibus exhausta. Vbi vero litterae magis valent? quando sapientibus majora praemia delata fuerunt? qui gerunt honores et dignitates Ecclesiae, vel saeculi? qui dominantur incivitatibus? qui vigent in aula regiae? qui regnant in consiliis? qui denique florēt in omni administratione rerum publicarum? Tantam vim habent atque dominatum bonae litterae, atque disciplinae: ut sapientia princeps, atque nostrarum habeatur summa praepotensque regina Hispaniarum. De Fide Christiana quid tam magnificum dicam, quin illud Hispanorum nostrorum religione comprobatum sit atque testatum? Fuit istud divinitus Hispaniae tributum, ut nusquam gentium magis sacra religio vigerit, atque in ditionibus, et imperiis Hispaniarum: sive frequentationem Sacramentorum, sive ritus, et caerimonias

re-

religionis, sive cultum, et pietatem in Deum, sive debitam Romano Pontifici obedientiam, sive rerum sacrarum conservationem, et amplificationem, sive dignitatem, et amplitudinem universi cleri, sive tot honores, et dignitates ecclesiae, et praefecturas, et pontificatus amplissimos tot annuis redditibus, tot titulis, et insignibus, maiestate sua, et amplitudine venerandos, aut propugnacula Fidei firmissima, Censorum sacrae Fidei augustissima sanctissimaque consilia, tantum modum, atque rationem in locis fere omnibus bene vivendi cognitam atque perspectam, tantam propter litteratissimos homines, et theologos praestantissimos rerum caelestium cognitionem, et nostrorum Fidei mandatorum atque praescriptionum notitiam exquisitam, atque singularem, tantam omnis generis virtutum atque sanctimoniarum propter viros amplissimos atque integerrimos absolutionem considerare voluerimus. Conferte Fidem Hispaniarum cum Galliarum, et aliarum gentium miserimarum defectione, nostrorum vigentem, et florentem disciplinam, cum deserta derelictaque religione Sanctorum, a Gallis, a Flandris, a Germanis, et ab aliis nationibus, ut locorum propinquitate conjunctis, ita haereseos foedissima contagione perditis et afflictis, nostrorum ferias, et cultum Deo, sanctisque caelorum Heroibus tributum, cum prostratis, et everfis in illorum regnis sanctorum imaginibus, nostrorum sacras, caerimoniasque sanctissimas, cum ablatis ab impia gente deletisque sacrorum ritibus, nostrorum sacrificia sacrorum, atque Hostiam Agni mansueti, cum haereticorum mensis ore foetido, Bacchum pestilentem eructantium, nostrarum ecclesiarum elegantiam, et amplitudinem, cum haereticorum stabulis, popinisque deterrimis, nostrorum nitorem, et ornatum sacrificiorum, cum hostium Fidei sordibus, et execrandis faecibus, ordinem, et modum rerum nostrarum accuratissimum, cum confusione, summaque adversariorum perturbatione, Pastores et Pontifices nostros, cum suis stabulariis, atque cordonibus, tot sa-

F cra-

crarum familiarum coetus, et ordines sanctissimos, cum ablatis et exterminatis de suis finibus religiosorum coetibus, castitatem, et integritatem nostrorum sacerdotum, cum libidinibus haereticorum effusis in omni intemperantia, scientiam et cognitionem sacrarum litterarum, cum illorum inscientia et ignorantia summa. Cum omnia probe videritis, et intervallum noveritis longissimum inter utranque gentem interjectum: quid est quod de conservatore Fidei Christianae Philippo, deque cognomento Catholici Regis tam optimo jure sibi delato, testimonium non demus amplissimum? An vero fieri potuisse credimus, ut in miseras tantas Britannia, nationesque sibi propinquae incidissent, nisi regum suorum furoribus non sollicitatae solum, sed etiam inflammatae fuissent? Ille ille inquam Enriqus caecus, et amens unius Annae Bolonae nefariis amoribus, ut quam perditam amabat perditissimus homo, hanc profligatam mulierem, sanctissima, et legitima regina uxore Catharina repudiata nasceretur, totum regnum in tantas calamitates conjecit hominis Christiani personam honorificam exuens, et in haereticum Romanae Sedis inimicum capitale conversus. Quibus in malis, aut in his magna ex parte afflictis, ac prope perditis rebus Hispanos versaturos esse, metus erat maximus, et periculum apertum; nisi tot pestibus Censores sacrae Fidei per Philippum non servati solum, sed etiam numero aucti, praemiis cumulati majoribus obviam ire nunquam desissent. Atque unam Castellam veterem Caçalla nefarius, Baeticam Egidii, Constantinique sacrilegi contaminassent. Quam magis infecissent satellites, et sectatores relictis, qui omnes spargere virus occultissime non desistebant, et in exitium, et interitum nostrum diffundere: nisi compressi conatus, et incendia cum affinibus culpae fuissent extincta penitus, erroresque sublatis. Quanta fuit eidem Regi Philippo cura praemonendi per se, per litteras religiosarum praefectos familiarum, ut milites, et suos alim. nos inf-

tituerent, et erudirent, et crebrius hortarentur ad religionis instituta, primamque patrum suorum disciplinam: ut vitam omnes agerent, e moribus, sanctissimaque doctrina Principum et Auctorum ordinis atque religionis institutae. Nullum unquam ille bellum fecit, nullam ornavit classem, nunquam exercitus conflavit in hostes: quin litteris re omnem Deo commendanda imperaverit. Communia semper illa, quae nos vidimus, et accepimus a tanto Rege fuisse gesta, fieri sacrificia rei divinae, supplicationes publicas, et privatas in coenobiis haberi, proferri sacra Hostiam in publicum, et horas multas, saepe dies totos in precibus adhibendis poni, modis omnibus placari numen divinum nostris sceleribus infensum, et ad bellorum exitus felices, atque secundos, ad Christiani nominis amplificationem, ad haereses extirpandas, ac funditus tollendas impetrari gratiam Iubileorum, id unum commendari praefectis ecclesiarum, ut Christiani per se, per ministros, per concionatores rem Ecclesiae commendatam haberent, et quam frequenter Deum precarentur, et obsecrarent; ut Ecclesiae, ut suis rebus adesset, et numen, atque praesentiam suam ostenderet. Quarum rerum gratia Christiani frequentius eluere sordes animorum per confessionem, obire convivium caeleste, caedere se virgis publice, et quotidianas suscipere corporum afflictationes, nemo sibi parcere, nemo non inedia tolerare, corrigi mores depravati, emendari collapsa disciplina, a maleficiis, a peccatis publicis abstinere, ut res Christianorum exitus bonos, et optatos habeant; et hostes, qui de nostro exitio cogitabant, quam nobis parabant perniciem, in se conferri divini numinis severitate sentiant. Bella gesta cum Lutheranis, quae quotidie gerit, quae gerere paratus est, quae Gallis auxilia missa, quae sumptibus proficiscuntur regibus, in Indiam utranque classes instructissimae, qui mittuntur viri religiosi ad semen divini verbi spar-

gendum, ad Indos imbuendos, instituendos que praecipis nostrae Fidei, ad augendam amplificandamque religionem in Synarum usque regna disjunctissima, quem alium nisi Catholicum profitentur, atque testantur Regem Philippum? Quod stat nostra Fides in Hispania, quod sunt incolumes nostrae civitates, quod nullis erroribus implicatae, quod nullis haereseos obscuratae tenebris; quod unam maxime Sedem Pontificis Romani ducem, atque viam ad caelorum gloriam comparandam recognoscunt; sollicitum, et assiduum studium, perfectiorque maximus ardor Philippi sine ulla poterit arrogancia sibi tantum cognomenti sumere. Ad cujus celsitatem magis ornandam, et illustrandam accessit et aspiravit idem maximo consilio atque prudentia; qua nihil antiquius regibus in imperio dari potest ad studium religionis, ad cultum divinae majestatis; ut omnia bene procedant, et quod aequum est ad officium suum faciendum, id praestent in regia sede constituti. Sic equidem factum, ut pacem conservaverit perpetuam Hispania, neque in motus civiles inciderimus. Sic autem pax fuit rebus Hispaniarum imperante Rege Philippo, ut summa data fuerit, summaque tranquillitas. Quam cum benignitate conjungens, et consilio, quo praeditus fuit, tantus tamen praepotens Rex carus fuit, et acceptus omni generi mortalium, sed improbis, et audacibus propter justitiam formidandus: qua summos, medios, et infimos in officio continuit. Cum autem duo sint genera justitiae servandae, unum per aequitatem, alterum per supplicium: atque illud humanitatis sit, istud severitatis: nunquam ad istud confugit, nisi cum uti non licebat superiori. Sed si fruendae justitiae causa videntur olim bene morati reges constituti, videant, qui saecula vixerunt Philippi hoc nomine secundi, quam coluerint, retinuerintque sui magistratus. Horum cum oculi multi facta custodirent, atque specularentur, tum ipsi iudices magistratibus inopinatis, a Rege saepius praeponerentur rationum exigendarum causa: horum spoliatio dignita-

tis.

tis, nonnullis irrogata multa, multorum, qui officio suo sancte fuerant, et incorrupte functi, amplificatio, et eisdem clariores, et illustriores honores delati facient proculdubio, ut tanti Regis justitiae nulla nos capiat oblivio. Quid quod multi postquam in cornua (quod vulgo dicitur) ascenderunt Luna, moti magistratibus fuerunt? quid quod domum alios Philippus abire iussit, et quiescere, quod reliquum erat vitae, a publicis, et honorificis negotiis vacantes? Saepem cum nonnullis in oppidis aliquid sceleris patratum fuerat, atque id temporis aliquot de causis dissimulandum erat, idem Rex tacere per menses, per annos aliquot: putare facinorum auctores, aut oblitum esse Regem, aut oppidorum Dynastis vindicandum reliquisse, aut vindicatum arbitrari per illorum ministros atque Praetores. Ille vero nihil minus, sed expectare tempus opportunum, nec locum dare seditionibus, et discordiis civilibus. Cum vero tempus fuit ulciscendi maleficium, quaesitores adesse, quaerere de maleficiis, auctores, et affines sceleris paenas dare justas ac debitas. Mirum id videri multitudini, iactari per populos, per urbes, per totam Hispaniam, probari consilium Regis, laudari justitiae servandae sitis incredibilis. Ita mirabilis fuit ubique gentium obtemperatio sanctionibus, legibus, decretis, mandatisque regalibus. Atque Regem unquam, quem magis homines colerent, quem magis metuerent, meminisse possumus neminem. Ita potestem, invictum, justum, prudentem, Catholicum, et aliis cognomentis clarum, et illustrem, omni memoria, ut praesens aetas, ita et posteritas omnis Philippum Regem suis litteris, atque sermonibus praedicabit. Atque haec praesagebant illa sui regni cunabula; quod a teneris annis traditis per patrem imperiorum gubernaculis Hispanorum accepit. Id principia etiam pollicebantur, quae dedit rei bellicae: cum a parente Carolo Imperatore copiis acceptis arcem Augustam Veromandorum die Beato Laurentio sacra fortiter invadens cepit. Quae capta per populos, et civitates Gallorum, Parisios principem

E 3

Ga.

Galliarum, sedem regum Gallorum, rectis itineribus obsecsum, oppugnatumque vehementissime contendebat: nisi legati principes civitatis ad Philippum Principem venissent, quas vellet, conditiones nomine sui regis offerentes: qui, quod ipse juberet, facere paratissimus erat. Quibus cum pace facta, conditionibus acceptis firmata, cum exercitu victore, Gallorum sanguinem spirante reversus in Hispaniam victoriae statuit monumentum, quod voto nuncupaverat, sacrum Beato Laurentio templum, octavum jam ad septem orbis terrae miracula propter amplitudinem, et magnificentiam additum. Quare, qui statum Hispaniarum cognitum, et exploratum habere voluerit; repetat istorum temporum memoriam, et ponat ante suos oculos eorundem decursum annorum: tum quid pacis, quid belli, quid prudentiae, quid potestatis, quid felicitatis, et gloriae, quid aequitatis, et justitiae, quid virtutis, atque verae sanctimoniae fuerit in Hispaniarum regnis ex his regis virtutibus, et ornamentis celsissimis agnoscat. Nunc ad motus civiles, ut magis tanti Regis virtutes admirare, nunquam Philippo regnante concitatos.

MOTVS CASTELLAE.

Motus in Castilla concitati sunt, cum absente Carolo Imperatore multae civitates Castellae veteris, et novae, bellis civilibus ardere coeperunt, et urbes tantae, principes Hispaniarum a suo rege defecerunt: aliae ad defectionem spectare videbantur; et in sui regis imperio esse recusabant. Omnes fere in armis erant sollicitatae a paucis hominibus, et cupidis rerum novarum, et principatus, quem facile se consequi posse putabant absente Carolo Imperatore. Proclamare nonnulli, et praedicare libertatem, duces et principes creare periculum, et caedem inimicis, atque idem specie praebere fidei

fidei non violatae, simulare bonum, et utilitatem communem, et ejus rei causa oppidum, in quo Ioanna Regina fuerat, adire, obedientiae simulatione fallere, signum arripere regium, et Reginae nomine multa nova, et iniquissima decreta facere, delectus habere, arma capere, regios gubernatores de possessione dejicere, depellere de civitatibus, nullam accipere conditionem, recusare regionum pacem moderatorum, leges violare omnes. Nullum jus hoc intervallo, nullum exerceri iudicium, nihil hominibus intra suos parietes tutum, nihil periculo vacuum videri: omnia insidiarum, et malorum plenissima. Interea furari, rapere, latrocinari homines, non tuto domibus exire suis, non prodire in publicum, non versari, non colloqui cum aliis sui generis ac fortunae, omnia suspecta esse atque sollicita, stupra et adulteria committi, diripi civitates, sic omnia discordiis, et dissensionibus ardere civilibus, ut eadem in civitate, una in domo vis nefaria afferretur, manu parentum filii necarentur, filiorum manus sanguine respergerentur paterno. Durarunt haec mala annum amplius unum; donec praelio commisso seditionum auctores victi superatique fuerunt, multi in carcerem coniecti, et capite mulctati, publicatis ante bonis, et addictis ipsi fisco propter crimen perduellionis. Praeter proscriptionem bonorum, et mulctam capitis irrogatam, aedes adaequatae solofuerunt, et everfarum aedium areae sale sparsae: quae poena constituitur in huiusmodi proditores, et perduellionis reos. Nunc solum aspicitur derelictarum aedium cum viis planissimis coaequatum, tribulis et spinis obductum, cum lapide in media area stante, atque viae publicae proximo, tantum spatium a terra excitato: ut cum homines praeterierint mediocri statura corporis praediti, causam everfionis litteris longioribus incisam, et ad memoriam criminis, et ad infamiam generi istorum hominum iniustam, palam propositam nunquam non recordentur oppidani.

NATALIS CHRISTI IESV DIES.



Minoribus ad majora descendentes ad regum saeculi principatū regum Regis, summi praepotentisque Domini laudes adjungamus. Natalitia Christi Iesu, sumo gaudio Christianorum, atque laetitia incredibili recoluntur. Nam ea, quae praecedit, nocte natalē hunc diem, matutinae preces ritu, caerimoniisque solennibus concinuntur cantuiculis Hispanis, et colloquiolis venustissimis in istius celebritate noctis interpositis, tanta frequentatione concursuque virorum, et mulierum, quantam aliis diebus festis, atque solennibus meminisse non possumus. Atque hac nocte propter celebriores ferias nascentis Pueri Iesu increbuit jam consuetudo dandi quidquam amplius, quam aliis pervigiliis sanctorum reficiendis corporibus propter inedia, quam toleramus, diurnam. A prima nocte perstrepunt aedes omnes crepitu, tumultuque domesticorum, vel colloquentium, vel colludentium, aut eorum, qui se comparant ad corpora reficienda, dum venit et adest tempus precum matutarum: ad quas cum cymbalis omnium ecclesiarum signa dentur notissima, crebro pulsu, sonituque mortalium aures complentur. Itur itaque viis plenissimis, atque refertissimis in singula templa, in sacras aedes monialium, in coenobia religiosorum: quae quisque magis appetit, et eadem studiosus est adeundi. Patent valvae templorum omnium, flammisque collucentia lucernarum ardentium clarius splendere micareque non possunt. Arae clarissime nitent, auro, argentoque decoratae; neque clarius aut illustrius nitere visae sunt in aliis festis sanctorum diebus. Decora sacerdotum, et ornamenta pretiosissima, quae locupletiora sunt, magisque visenda proferuntur: quae fulgore lucernarum distincta resurgunt, et a flammis accensis vibrant atque collucent, propter multiplicem lucem

et

et propter aras luminibus omnes illustratas. Sic equidem instituantur matutinae preces, tanta modulatione, varietateque vocum, intentione, remissione, gravitateque jucundissima, sonos edente mirificos, interpositis tibiis modulate sonantibus, cornicineque persequente cantus suavitate mirabili: ut cum feriantur cantorum vocibus, et omnis generis instrumentis musicis parietes, et tecta templorum cellissima, tum testudines ipsae penetrari videantur, atque adeo transmissi soni in sidera tolli caelorum. Quae vero illa iucunditas, cum psalmos non uno semper modo, vocibus cantores persequantur, sed ad organa, ad tibiis alternis versiculis concinant, cum lectiones illi concinant, qui praediti fuerint suaviore voce, cum inter unum, et inter alterum psalmum, cationes ad Natalitia facientes interponantur, cum colloquia sacra, sed saepe multo sparsa interjiciantur inter unum, et alterum nocturnum? Cum vero jam venisse tempus faciendi sacrum aspiciamus, quae nova lux oborta videtur oculis, praecedunt pueris in alba veste exornatis, cum elatis in sublime candelabris argenteis, lucernarum ardore collucentibus, deinde exeunte sacerdote, medio inter diaconum, et subdiaconum interjecto, conjunctis manibus, demissis oculis, religione summa? Cum ad cantus gloriae per sacerdotem initos, non respondeant solum vocibus de choro persequentes, qui sacrum modulantur, sed puncto temporis, quo cantum gloriae coepit sacerdos ex altari, campanulae altaris maximi, notae in choro suspensae, ipsae campanae turris, atque alia instrumenta companata, una vehementer, et incitato pulsata sono crebris percipient modulationibus, totamque compleat ecclesiam, laetantibus astantium animis, et praesentia Natalitiorum confirmatis, erectis et sublatis ad sublimia, prorsusque caelestia beatorum gaudia; non omnes praegaudia sui videntur impotes, oculis, ore, vultu, laetitiam ferre, parietes gestire, exhilarari omnia, orto jam Sole justitiae sempiternae tantam, et tam incredibilem afferentem materiam cau-

G lam-

sanctae laetandi? Atque sacrorum, quae sunt, quaeque au-
diuntur, multitudo, cum quilibet sacerdos ter sacrum facien-
di hisce feriis celebrioribus facultatem habeat, tantum ha-
bet admirationis, quantum rei novitas, et magnitudo, cau-
sae jure suo postulat, et horum excurrentium sacerdotum de
apodyterio sacro, descendendum aliorum ab ara, multorum
una facientium rem divinam, in aris ecclesiae diversis prae-
sentia, concursus ad audiendum frequentissimus, et in tribus
sacris, optimorum Fidei cultorum usque ad absolutionem ul-
timum expectata permanens cum tanta pietate, atque religio-
ne, motu spectato animorum incredibili, quem admirabilis
et in audita tanti beneficii magnitudo facit, et religionem au-
get, et ardorem in Natalitia mirificum, atque singularem.

PORTICVS QVAE HOC SACRO

tempore domibus ipsis construuntur.



Atque haec religio non in ecclesiis solum aspici-
citur, sed etiam domibus ipsis, porticibus ex-
citatis in specie porticus Bethlehemicae, quae
homines recordantur, et a sacris litteris acce-
perunt, infamam et contemptissimam, apertam
et patentem, infestam frigoribus, nivibus, et pruinis, expōsi-
tam aquis hyemalibus, et tectam ariditibus tenuissimis, rimas
agētem undique, et telis repletam araneorum, ruinofam jam,
ac male materiātam, et costis deformatam parietibus, prola-
bente passim vi pulveris infinita. In quam nos scimus se cō-
tulisse Virginem sanctissimam ad pariedum vicinam, cum
diversoria fuissent a potentioribus occupata, cum a sella tan-
tum, atque bove, ancillarum nullo comitatu, unius dumtaxat
Iosephi dignitate et honestate, et eandem media nocte,
summo mortalium silentio, maxima tranquillitate re-
rum, quemadmodum interventu Spiritus divini filium Dei

in-

Integra et incorrupta conceperat, eundem sine minima suae
integritatis labecula Virginem, et in flore virginitatis suae in-
lucē edidisse. Quem cum Virgo sanctissima sumisset in ma-
nus indumentis amictum, quae manu sua cōfecerat, in prae-
sepe foeno stratum sustulit, atque medium inter duo inter-
jectum animalia collocavit. Continuo Virgo sanctissima,
sanctus Iosephus nixi genibus, adorare Puerum Iesum, bos,
et asellus in genua procumbere, quomodo, qua ratione po-
terant, quoniam rationis erant expertes, suum eidem caele-
sti honorem Pueri tribuere, atque illum anhelantes ambo
videri suspicere. Quoniam vero hyems erat summa, frigus
maximum, glacies, et nives plurimae, neque quidquam de-
liciarum ad vim frigoris depellendam praeter ubera sua,
praeter lac caeleste, praeter blandicias, et suavitates verbo-
rum Virgo habebat sanctissima, Infans delicatulus, et om-
nium principum huius saeculi, tunc cum nascuntur tene-
ritudine sua, et mollitudine delicatissimus, in gelido jacens,
et a spero praesepe totus tremere, frigore confici, vagire, plo-
rare bellus et aureus Infans, omni suavitate affluens: mater
deinukere filium, abstergere lacrymulas, dicere suavitates
omnes verborum, lac offerre sugendum, ostendere ubera cae-
lestia, et ad mammas appetendas incitare, in os inferre papil-
las: interea divinorum spirituum cantibus personare porti-
cus, atque illi tribuere summum honorem immortalis Deo, pacem
generi hominum laetam, atque optatam nuntiare. Haec dum re-
cordantur homines intra privatos aedium suarum parietes por-
ticus huiusmodi exstruunt, earum unam accipite. Hanc supra
lectum medium a terra non multum exeatatum homines col-
locare solent, atque illam a fronte, a tergo, et a lateribus pa-
tentem, tectum ariditineum, columellis ex eadem materia erectis,
quibus tecti levis facile sustineatur, imponere. Intra porti-
cum in cunis jacet Infans Iesus in formam, atque figuram dormien-
tis pueri, non amictu solum indumentorum tectus, sed fasciis circum
ligatus atque cōstrictus corpusculum: quae medium interjectum capi-

G 2 unt

unt animalia. Astat ab una parte Iosephi effigies, ex altera Virginis imago pulcherrima, in habitum, atque specie Pueri indulgentium. Circumstantur etiam porticum Angeli mira pulchritudine formati, quasi de sedibus delapsi caelorum, cum citharis, et lyris ad speciem sonos simulando jucundissimos. Reliquae duae partes, inter quas interposita porticus aspicitur, non vacuae sunt nec inanes; sed cum ad formam arae compositae, linteisque candentibus stratae, tum variis formis, atque figuris cohonestatae visuntur: atque adeo completae sunt, ut nullum spatium vacet occupatis ex utraque parte lateribus. Possumus enim videre formas animantium plurimorum, praefertim agnorum, et ovium vim et multitudinem maximam, quae suis tectae velleribus agnos inhaerentes sibi tueri videntur atque defendere. Illi inhiantes uberibus maternis, matres suas, atque omnis grex arietem ducem praeeuntem sequitur: quem inter canes pecuarii ad custodiendas oves, et ex ore luporum liberandas non desiderantur. Tuguriola sunt etiam pastorum ex limo facta, vel paleis constructa siccis: in quibus pastores omni cura vacui, diductis cruribus confidentes allia contundunt, aut torrendis laborant carnibus ad ignes simulatos. Visuntur simulata montium juga, desertaque solitudines, asperae nimium, et horridae, sed limo multo, muscoque viridi oblitae: in quibus incolae, et habitatores solitudinis, partim folivagi, partim congregati finguntur, tanquam unus solitarius, et in campis agens vitam Macharius, aut in cellula commetans semper aliquid caeleste, atque aetate senili, canis oppleto capite, capillis longissimis, barbaque longiore, horrido et inculto corpore, cucullis ab occipitio rejectis in terga, ad talos usque demissa tunica, cum asperrimo fune constringente mediam talarum vestem, de quo scutica funiculis intorta plurimis pendeat, nudis pedibus, et temporis diuturnitate callum obducentibus, non corrugata solum fronte, facieque exarata, sed oculorum orbibus oblutis, et concavas efficientibus lacunus-

nulas, pallore maximo, macie incredibili, exhausto sic et absumto corpore, sine succo, sine specie viventis hominis: ut effigies spirantis mortui videretur. Quoniam vero dies hila-
lactissimi sunt, et jucundissimi, ludicra proponuntur simu-
lachra Aethiopum in speciem saltatorum, qui artificio, quod
palam animadverti non possit, incredibili celeritate move-
antur in sublime elati, demissique confestim, in orbem co-
versionibus mille factis, totque mutationibus saltationum,
quot homines in orbe suo saltatorio facere consueverunt.
Cum vero non appareant, qui figuras illas commoveant, et
agitent, propellant, aut circumferant, attollant, atque demit-
tant, spectatorum mira est jucunditas, atque delectatio. Quid?
cum Tityri prodeat de latebris suis, atque tenebris in aspe-
ctum, oculisque mortalium, versicoloribus, et segmentatis
vestibus amicti, minores Pygmaeis, omnium, qui fingi possint,
minimi, ludos committant varios, praebeant variam multi-
plicemque speciem, agilitate multa, celeritateque citatissima,
vix in conspectum venerint, cum se dent puncto temporis
in latebras, post actos mille gestus, post sonos, et actus ho-
minum simulatos, cachinnantibus spectantibus, et admo-
dum testantibus, mire rem expressam, et magis ludicram, at-
que jocosam non inventam: quid illud joculari de Aegypti-
tis fictis, alterum contra severam de senibus, quod utrum-
que praestans est et excellens in suo genere? Multa ad jocum,
ad ludam facta, multa sunt ad risum et cachinnos tollendos
aspectu suo, quae magno opere delectant, et noctes multas in
Regum usque ferias pascunt animos, et a feriis ad joca ple-
nissima facetiarum, et ad scurriles, et ad urbanos lepores
convertunt.

VESTES, ET PRANDIA. HV-

jusce temporis.

Non animis solum, sed corporibus Natalis dies Domi-
ni commoditates, et utilitates cuiusque generi mor-

talium maximas afferre visus est. Nam hisce Natalitiorum diebus, viri, mulieresque, quae paululum habeant pecuniarum; quamquam illud de sumptibus, et de victu quotidiano detrahant; cultus recentiores dies aliquot ante confectos profecerunt pro facultatibus, et re nummaria. Nec parentes minus filios ornant, quam se ipsos. Ancillae, servique pro fortuna sua infima novos producant vestitus. Aedes locupletum, atque splendidorum magis nitent, quam unquam antea peristromatibus sericis, aut telis auro intertextis ornatae. Bibere lautius, homines, et edere mos tulit, et usitata consuetudo Natalitiorum Domini: dum vicissim epulum praebetur lautissimum mutuo amicorum invitatu, et sanguinis communionem conjunctorum. Principes ipsi, Magnatesque potentissimi magnificentissima concelebrant, et apparatusissima convivium. Pontifices ecclesiarum suos portionarios, et canonicos, Praesides ipsi cunctos Auditores, Praetores magnam senatorum partem, lautissimis accipiunt, et exquisitissimis praediis. Trahuntur nocturna tempora sermonibus variis, teriturque diurna multam in noctem usque; qua comoediae, ridiculaeque colloquia solent agi convivis inspectatibus summa cum animorum voluptate. Hisce diebus visere se mutuo mortales, idem sui generis, et ordinis hominum invisendorum causa domos obire, non minus lectissimae, et ornatissimae foeminae adire suae fortunae, et status florentis matronarum aedes, invisere easdem etiam equites, et illustrissimos viros, ut impertiantur felicitatem, et fortunatum Natalitiorum Domini adventum, eadem officia praestitum mittere foeminas pueros, et administratos aliis sui similibus foeminis, cum non aliqua de causa domi contineantur, per se ipsas facere lecticis, aut quadrijugis vectae, comitae nimium, et politae, gemmis, et auro nitentes, atque post multum tempus reverti domum relinquentes obstrictas, et obligatas ad factum aliqua Natalitiorum die reddendum officium, ut parem gratiam referre videantur. Quae non insciae communis humanitatis, urbanitatis,

et

et officiorum, quae debeant, invisendi, adventum persolvunt par pari referendo: quod illas officiosissimas ostendat. Atque in tribuendis officiis, in precandis feriis huiusmodi, in referenda gratia, quam nimium sunt homines verbis efferverescitibus, et paulo nimium redundantibus certatim se mutuo salutantes in maxima celebritate, et in oculis, et media claritate civitatis, declarat illud, quod in hoc genere nimium, quod est, non offendit, sed mediocre quidem videtur; et nonnullis fortasse parum: qui vellem non gratulatione solum feriarum uti communi, et usitata, sed detineri multum diuque visum in mediis. Sic perstant officiis decertare mutuis, ut nunquam videantur sine facturi plurima felicitate suos impertiendi familiares, atque necessarios. Vix enim sese longo intervallo prospexerunt, cum comparare se ipsos incipiunt, se vicissim inveniri, et alter in alterum oculos conjicere, subridere, lacertari, quam magna voce felices, atque secundas impertieris, atque id facere multo ante, quam ad illos accesserint, aperiendo capita, percontari de uxore, de filiis: ad extremum dicere consueverunt se persoluturos esse, quod debent officium adeundi domum, et invisendi illum, conjugemque suam, id se diu in hos distulisse, quo praeteritis, et praesentibus satisfaciatur officiis. Quid plura? cum unus tam fuerit officiorum plenissimus, alter non minore elegantia suum officium facere perstat, et praestare cumulatissime verbis verba semper cumulans, et adaugens. Quod si tempus est ullum ad benemerendum de genere mortali, et accepta beneficia memori voluntate persolvendi: nimis istud appositum videtur esse. Nam cum Christus in genus hominum tam fuerit munificus, atque liberalis, et quidem homines ad referendam, quam possunt, gratiam excitantur etiam: ut privatim, et publice omnino remittantur debita grades pecuniae, aut aliqua ex parte persolutae, reliquae creditae condonentur, conveniunt inter se copiosi ac benenummati, eosque pecunias ad aes alienum multorum, qui detinetur in carcere, dissolvendum. Fuit pactiones plurimae, ne die unum amplius in carcere

dia maneat; qui ad tēp^o cōstitutū nō persolverunt: sed ex cō-
vētū paciscantur aliquot mēses, aut annum, dum res illorū
constituuntur, dum nomina solvuntur ad se ipsos liberādos
aere alieno. Quoniam vero multi sunt inopes, qui nec habēt
unde solvant, nec ullam spem habēdi, nisi succurrerint illis,
qui facultates habent, et opes magnas; effunditur paene car-
cer univērsus, aut ex solutionibus, aut ex conditionibus, aut
ex conventu, ad ferendam opem his miseris, et calamitosis
hominibus pecunias conferentium. Itaque, qui sunt omniū
locupletissimi, qui ditiones habent populorum, qui merca-
tores quaestuosissimi, qui de redditibus annuis pecunias cō-
ficiūt plurimas, honestissimae, lectissimaeque matrōnae lo-
culos suos mittunt in publicam custodiā ad solvendos no-
minibus aliquot in carcerem cōjectos pauperes. Cum pu-
blice gerātur haec, ut neminem propter celebritatem suam
fugere videantur: tum speciatim multi dant operam, ut pe-
cuniis, aut captos a praedonibus redimant, aut ut aes alienū
suscipiant idoneorū hominū, aut indigentes in collocatio-
ne filiarum adjuvent, aut opulentur viduis, et illarum su-
stineant orbitatem, aut utroque parente virgines orbas col-
locent in matrimonium. Quaeruntur etiam pauperes, et om-
ni modo investigantur, aut tribuum singularum, aut vagi, et
errantes per vias corrogantes stipem ostiatim: quos mos est
in domos deferri, discerptis exuere vestibus, et induere recē-
tioribus: neque illos nisi pransos, atque potos dimittere do-
natos aliquot pecuniolis ad suam miseriam, et inopiā sub-
levandam. Atque haec ad corporum, et animorum salutem,
nunc alia, quae corporum utilitate metimur, aspiciamus.

DONA ET MUNERA.

Nihil praetermittamus eorum praesertim, quae in ocu-
los necessario debent incurrere. Ostendamus quae vi-
cissim mittuntur, remittunturque munera, quae dantur
si-

simul, atque recipiuntur harum usitato more feriarū. Quam
multi liberales sunt, qui in donorum, munerumque appara-
tu pecunias impendunt, nec sibi videntur profunderē, dum
taliū pecuniarum, aut donationū sumtus, fructus divitia-
rum, et lucrum maximum ducunt ad negotia sua melius cō-
ficienda, ad incundam gratiam ab aliquo, ad veterē retinen-
dam, ad referendam parem pro suis opibus atque facultati-
bus? Quod praeteritis anni temporibus praetermissum est,
quoniam aut homines despexerunt, aut non animadverte-
runt; aut quod non raro accidit, officium suum facere obli-
ti sunt, harum feriarum donis ac muneribus cōpensatur. Qui
igitur muneris colendi efficiendique sunt diligentes, dona
mittunt praecleara satis; quae speciem equitum illustrissimo-
rum habeant. Munuscula nonnulla condonantur, quae per
vias comportari videntur inspectate populo gallinarū, per-
dicum, pavonum, et reliqui generis avium. Nō omittuntur
plurimae, quae ex ovīs agitatis, et massa subacta fieri solēt
permixtae sapore suavissimo, nec in unam solum speciem at-
que figurā, sed latae, cum crustulis multis tenuissimae, mul-
tae duplicatae, aut intortae, retortaeque inflexionum ordi-
ne multarum, ut intus contavae videantur, vel in speciem
spirarum aliis, et aliis orbibus inductis, atque reductis. Qua-
cunque forma illae sint praeditae, tenuitate sunt pellucida,
plenissimae oculorum patent, splendentque per se se multū,
atque nitent luteo ovorum renidente, melleque, quo redun-
dant, imbutae, perfusaeque latissime: quarum vi multitudine
neque completae paropsides dono mittuntur. Atque alia
tragemata multa varietate concinnata, diversa multiplici-
que forma, quam ferri diversitas inussit, atque distinxit, vel
rotundata prorsus, aut in spirarum similitudinem, aut in la-
certorum formam: atque haec omnino conclusa, multis cō-
ditionibus inferta, vel aperta patentiaque, adversa, atque a-
versa, fenestrata, clathrataque. Inter quae, quoniam striblitā-
rum pueri, puellaeque sunt appetentes, totas illas noctes nul-

la fere domus est tam inops et indigens, quae si paululū farinae habuerit, et quod egentes faciunt panem non mercetur: cuius focus non splendeat oleo ebullienti, et in sartagine iniecta massa, cum ovis subacta, stridente, fervescenteque. Circumsistit familia focum uniuersa, et spectat sriblitarum suauissimum condimentum: quae cum tostae extrahuntur in globorum similitudinē, umbilico eminēte notatae, plenissimae ocellorū, mollitudine, teneritudineque mirabili splendent olei nitore illitae, et intus concavae, splendidissimae, mollissimaeque, cum melle perfunduntur, aut imbuuntur omnino, suauissimae ad vescendum spectatores invitāt. Edere pueri, puellae, tota familia, laudare teneritudinē, suauitatēque sriblitarum, et inter se, si copia detur, et uenia per parentes, decertare contentione vescendi: imbuere melle multo sriblitas, in os certatim immittere, genā utraq; completere, demittere ad aqualiculum, hui multi dicere, quam dulces? quam suaves? melle ipso suauiores? Invitare unus, aut alter aliquem de praesentibus, et cum ad accipiendum porrexerit brachium, ludere appetitiones volentis, et in os remittere, rejicereque in ventrē mille tunc dicens suauitates verborum, et inter alias, proximus sum egomet mihi. Pueri denique sriblitis fatiantur, et ex animi sententia complentur, et coenandi jus, quod habebant, parentibus remittentes cubitum concedunt. Atque ut partē hanc absolvamus, forum dulciarium quam plenissimum est hisce diebus? Vix illud emtorib; sufficere visum est; qui multi cōcurrūt omne genus fructuū dulcissimorū mercatū, quorū partem cōdonāt horū fructuum dona mittentes, atque munera suauissima: partem ad reficiendos hospites, atque convivās emūt. Videas tabulas palā in claro lumine, et in oculis, et luce mortaliū propositas diversi generis fructuū suauissimorū lōgo ex ordine. Nitet Cydoniatū, splēdent scissurae cucurbitae cōditae, dulciarii panes, integra Citrea, vel limonia, aut fracta utraq;. Videbis palā proponi doliola, pyris, pomis;

malis Persicis, et aliarū sortitionum conditionibus inferta, fargama quaecunque, avellanas, amygdalas, grana saccharo condita, diversa bellaria, reliqua condimenta mellis, et sacchari. Atque de prunis, et de uvis palsis, quae sunt aegrotorum potius, quam benevolentium, nihil dico: omnia quidē sese effundere videntur, ad laetitiam cuiuscunque generis hominum gestientem hisce in feriis ostendendam demonstrādamque propter Puerum Iesum ad nostram amissam libertatem in veterem statum restituendam in hanc lucem editum.

PARADISVS:

Quamquam Paradisus suam in Topographiā sedem habeat, tamen ad miserias hominis post felicitatem amissam melius agnoscendas non aliena praesens ab hoc tempore suscepta videtur exercitatio. Atque ut causam Natalitia Christi Iesu tanta cum iucunditate celebrandi magis exploratam habeamus, de ruina mihi primi Parentis dicendum est, post sedem Paradisi, et illius praepositum breviter statum florētem. Paradisus locus est irriguus quidam, et amoenus, omnis generis arboribus, ubertate pomorum, et varietate redundantibus confusus, viriditate perpetua iucundissimus, et omnis multitudinis, diversitatisque floribus distinctus: quamobrem non speciem habet solum iucundissimam, sed propter fructus varios, atque multiplices utilitates praebet mirabiles. Valde quidem appositus est ad sensus omnes pacendos, et ad nares perfundendas odoris suauitate mirifica. Quem medium praeterlabitur fons immensus, atque mirabilis propter multitudinem, et magnitudinē aquarum; quibus in quattuor partes divisus, diversa praeterfluens latera, quattuor efficit fluvios latissimos, et altissimos per terrarū spatia lōgissima, disjūctissimaq; profluētes: quorū unus praeterlabitur fines Hevilath, qui pōd; fert auri plurimū, vimq;

gemmarū pretiosissimarū maximam, alter Aethiopiae sola vastissima, tertius Assyriorum sinus. Atque Euphrates nomine, fama que tantopere celebratus tot oras atque regiones foecundas efficit atque feraces. Quem locum usque eo temperies caeli, salubritas aeris commendat, et omnis voluptatis iucunditatisque magnitudo, quam hominum animi possent ad satietatem explendam appetere, ut nullus iucundior, nec amoenior, nec fructuosior locus unquam fuerit: nec sine dubitatione sperari possit ab hominibus. Nullū erat in eo loco frigus, nulli calorū appulsus, nulla vehemens ventorum vis, nulli turbines, nullae procellae, nullae unquam tempestates commotae, neque metus, aut periculum erat, ut commoveretur aliquando turbulentissima temporum commutatione. Locus erat pacatus atque sedatus, quietis et tranquillitatis plenissimus, cū singulari salubris aspiratione caeli, tum aer affectus ad omnem benignitatem et lenitatem incredibilem, cum concinnitate tanta convenientiaque temporum inter se mirifice congruentium, ut ad valetudinē hominis conservandam, ad vitam in omnem saeculorum memoriam propagandam, ad omnes delicias, et suavitates vitae percipiendas, omnibus bonorum copiis circumfleret. Vere quidem Paradisus voluptatis, ipsae deliciae, hortus, et viridarium manu divina confitum, praestantia primi Parentis, et amplitudine non immerito dignissimum videbatur. In hoc igitur voluptatum omnium abundante Paradiso Deus Optimus, ac Maximus hominem ex limo, et argilla fictū, tantorum commodorum, et voluptatum participē collocavit: cui consortem illius felicitatis, et bonorum maximorū Evā ad junxerat ex viri costa formatam, ne in locis desertis solitarius vitam ageret; sed cū sui simillima socia comiteque consociatus, atque conjunctus. Atque in hoc statu tum homini principatum detulit, ut idem homo cum imperio summo tanquam magnus, praepotensque rector dominationē habuerit in omni genus animantium, et in tantam rerum mag-

magnitudinem, multitudinemque, qua omnia continebantur, tanquam in currum universitatis impositus. Sed ejusdem hominis habitu atque compositione cunctis hominibus bene a natura compositis, et ad oris dignitatē, et ad membrorum lineamenta omni lepore congruentia primus humani generis Parens excellebat. Quae partes corporis, e quibus constabat, sic inter se mirifice congruebant non ad compositionem aptam solum, et condecentiam, sed ad praeclaram constitutionem, et firmitatem viriū: ut nihil illo pulchrius, nihil dignius, nihil firmitus ad valetudinē esse possit: praecujus praestantia, quae facta fuerant, omnia pro nihilo putares, animal omne nullū duceres. At quemadmodum nostra, sic ossibus, atque nervis consistens caro cute tegebatur Adami, quae morbis deformatur, senectute marcescit, et post mortem terrae mandata, esca relinquitur absumēda vermiculorum? Non erat Adami praeclara cōstitutio, quam aegritudines invaderent, aut ulla subita vis, aut inimicorum injuriae repentinae de suo deturbarent statu: nisi turpi defectiois nota a summo, praepotentique Deo descivisset. Erat enim praemium ipsi, consortique suae cōstitutum amplum, atque magnificentum, nullis saeculorum finibus circumscriptū beatorum domicilium: ut nunquam ex tam amplo statu, et florenti fortuna tantis praesidiis bonorum omnium munitus concidisset: si praeclare suis muneribus et officiis fungens nunquam aures deterrimo Daemone ad mulierem fallendam machinas omnes adhibētī praebuisset. Ad quorum functiones tam praeclara habuit instrumenta naturae, ut si fidem servare voluisset, nihil non ex Dei voluntate faceret. Nam his ornamentis, et muneribus instructus erat; ut cum Deus post hanc mundi fabricam hominis corpus ex limo finxisset, animum sui imagine et similitudine decenter impressum pulcherrimae figurae corporis inspiraverit: atque illud in corpus, tanquam in receptaculum inclusum memoriae, voluntatis, et intelligentiae divitiis locupletaverit; ut quae

vellet, investigando posset, et indagando mentis altitudinē consequi: quae vero didicisset, et fuisset mētis investigatiōne consequutus, eorum meminisset, et recordaretur semper nunquam Dei beneficiorum, nunquam loci, quem nactus esset, nunquam gloriae beatorum, ad quam accederet, et aspiraret memoriam abjecturus. Ad quam consequendā quoniam opus erat, ne voluntas hominem deficiat, ut semper animus sit praesens, et quod Deus jubet, facere paratissimus; voluntatem adunxit recte factorum sedulam et diligentem administram. Atque idem voluit Deus, atque fecit hūc hominem arbitrio libero pollere, nullis alligatum astrictumque vinculis: ut quibus collibitum esset, assentiretur rebus; a quibus contra placeret, assensum cohiberet. Sic omnis in sua potestate sita fuerat assensio suscipiendae voluntatis, et habendae in omnibus factis, dictis, atque cogitatis ad nutū, et arbitrium suum. Accedit ille quoque cumulus, quo Deus hominem auxit, et dignitatem mirum in modum amplificavit, sapiētiae, virtutis, gratiae divinae, felicitatis aeternae, quae ad aspectum immortalis Dei perfruendum tota cōfertur. Quibus bonis cumulatus homo, quid amplius ad ejus dignitatem, et ad celsitatem regiam cupere potuisset illustrādā? Si sapientia divinarum rerum est, et humanarum causarum, quibus haec res continentur, scientia: quis felicē Adami statum non admiretur, quem ita praestans, et divina sapientia cohonestavit, ut perceptas penitus, et intellectas humanas res haberet, earum causas cognosceret, principia teneret, consequentia non ignoraret? Sic mens ascendebat, et evolabat in superam regionē, ut non ea solum sibi nota fuissent, quae in hac infima terrarum, et aëris circumfusa regione existerent, et tenebris obscuritatis abdita fuissent, in lucem eruenda; sed in caelum quasi pennis sublatus supera caelestiaque cōsequeretur magnitudine lucis eximiae, qua mētem Deus tanquam radiis claritatis divinae collustraverat. Virtutes vero illius, quae, quantaque fuerant? et ad has co-

len

lendas, quam incredibilis animi propensio? quam ardens, et inflammatum studium? nullis mens tenebris circumfusa, nullis erroribus implicata, nullis commota perturbationibus, nullis tentata lenociniis, florens, et integra, virtutū omniū cumulo septa, magis pulcritudine divinorum ornamentorum, et varietate distincta, quam caelum ipsum tot astrorū pulcritudine, diversitateque collucens. Habebat ille formā divinae majestatis et similitudinem, quae cum gratiae vestitu pretiosissimo, splendoris divini lumine radiāte niteret, et caelestium ornamentorum margaritis distincta clarissimis, nihil nō habebat admirationis, nihil nō felicitatis status primi Parentis felicissimus fortunatissimusque: cum praesertim sciret se de tanta gloria nunquam deturbādum, sed ad majorem, et aeternam caelorum gloriam, si fidē Deo datam servaret, pro praemiis, et mercede laborum cumulata, felicem atque triumphantem ascensurum esse. Itaque felicem semper se futurum esse, nec ullum unquam facturum fuisse finem perfruendae felicitatis agnoscebat. Post decessum autem Paradisi majore beatorum adeptā gloria, vel ipsa profecto dignitas animi spiritu consistens, nullis terrarū faecibus, nec limi sordibus inquinata, ejusdem immortalitatis nullis temporum finibus terminanda, in Dei semper respiciens aeternitatem infinitam, satis esset ad Adamum omnibus eximiis laudibus afficiendum: quid dicam ad Homine hunc tot adauctum, et cumulatum bonis, et admirandis donis atque muneribus absolutū perfectūque contēplādū. Hic est ille splendor divinae mētis, haec illustris, et eximia Dei immortalis similitudo; haec species et adumbratio tantae celsitatis omnes mundi partes, et domicilia caelorū sua majestate cōplētis. Cū igitur hac hominē praeditū imagine, cunctā; quae cōdita sunt a Deo, vidissent, hominis visibus illi rati, et immutabiles syderū cursus, caelorū omniū tanta cū cōstantia factae cōversiones inservirent, divinae etiā mētes eodem munere et officio ministrorū, ad custodiā a Deo positae dignarētur: detrim⁹ Daemō invadere nō audebat tantā Ada-

mi praestantiam, et dignitatem praestanti, et expressa divinae similitudinis imagine tam insigniter illustrata. Sic igitur in istius media mundi fabrica praesidentem hominem universo generi animantium, et quae infra Lunam sunt, et sub aspectum oculorum cadunt, in suam potestatem, et jurisdictionem adjuncta, dominum ac rectorem universorum contempler huic tantae praepositum atque praefectum universitati, tantquam praecipuam Dei partem, et sui ipsius imaginem, et effigiem: in quem intuentes Dei celsitatem et maiestatem agnoscere valeamus. Quod urbium conditores facere solent, qui in celebriore loco, atque adeo in oculis civium simulachrum, aut statuam suam ex argento, vel ex auro, arte politissima factam spectandam visendamque reliquerunt; ut illius imaginis spectatores animos suos ad conditoris memoriam revocantes, deberi hoc ab oppidanis, tanta tantaeque florēt civitate relicta intelligerent: ut vivam parentis huiusce memoriam teneant, hanc immortalem, quoad fieri possit, nunquam interitura temporum aetate conservando. Nihil est enim, quod ad humanae naturae praestantiam pulchrius, vel majus desideretur: donec absolutio ex omni parte perfecta ab eodem praepotenti Deo in sedibus ipsis caelorum numeris omnibus expleatur. Nam ille solum potest, qui tantae elegantem hominis fabricam architectatus est, et animum suis donis ac muneribus, et virtutibus gratiae caelestis perpolivit, perpolitam, et elaboratam gradibus gloriae consequendae in beatorum regionibus perficere. Quemadmodum equidem Apelles quondam pictor in suo genere perfectus, quod inchoavit Veneris simulachrum, cum caput, et summa pectoris arte politissima perfecisset, cumque illud alii non audent in manus sumere (oris enim pulchritudo reliqui corporis, quod rude reliquerat, et impolatum propter venustatem institutae picturae specie imitandi penitus abstulerat) solus perficere potuisset.

RVINA PRIMI PARENTIS.

IN hoc statu florentissimo primus humani generis Parens constitutus, vetitae cujusdam arboris, nisi contra mandatum Dei, contraque sui praescriptionem Creatoris venire vellet, fructus decerpere prohibebatur. Sic autem Deus immortalis ei legem imposuerat, ut si contra voluntatem, divinaque placita veniret, gravem quidem poenam interminatus, cuius suo, posterorumque fato miserrimo fuerat securim inflictorus. Itaque primus ille Parens simulatque prohibita vesceretur esca, de Paradisi sedibus deiciendus esset in terram horridam, et incultam, vastam atque desertam penitus, vestitamque praeibit atque dumetis, in qua exul et extorris vagaretur, multis curis et anxietatibus implicatus, in metu, perpetuoque dolore versans, jam inde ab illo tempore morbos, et aegritudines subiens, et omne genus malorum, multas et incredibiles calamitates: quas nunquam ille, nec incommodum quidem minimum in fide permanens acciperet, nec ullo unquam tempore periculum esset, aut metus accipiendi, si Adamus se salvum et incolumem, florentem et integrum conservasset in perpetuum; si gratiam non impius effudisset, in quam Deus illum apud se posuerat, et dignitatis gloriam amplissimam foedissima defectione non amisisset. At quemadmodum tantis bonis, quibus in Paradisi sede perfruebatur, fuerit everfus, videamus. Daemon perennis humani generis inimicus, in speciem atque figuram serpentis mansuetissimi mulierem, quam propter imbecillitatem naturae magis debilem et infirmam noverat, et ob eam causam magis aptam et appositam ad id, quod intendebat, perficiendum, dolis et fraudibus suis aggreditur. Os ille mulieri blandum ostendere, mite nimis, et mansuetum (nec enim in eo statu in quo primi Parentes erant oculos, et ora metue-

rent sibi obtemperantium cujuscunque generis serpentū, aut belluarum etiam immanissimarum) serpens, ut conjicere facile est, ad mulierem accedere, se totū eidē dedere, cauda blandiri, ad corpus adhaerescere, propter illam se profternere: et quoniam id temporis anguis esset hujusmodi, ut non serperet, ille laetis oculis, erecto collo, nitente cervice, corpore recto, et excelfo nonnunquam consistere, se totū efferre Evae spectandū alacrem atque venustum, sibilis suavissimis, et aëra quasi perfiantibus, et ineuntibus ab Adami consorte gratiam; ut quod ille cupiebat, Eva faceret, et tandem in suum amorem blandiciis, et lenociniis hujusmodi pelliceretur: denique quod mirabile videtur mulieri, semper illam alloqui, edere distinctos sonos, et quid illam facere volebat, plane verbis ostendere. Sic enim credibile fuit serpentem loquutum fuisse cum Eva post aliquot percontationes, et responsiones. Enimvero multo aliter se res habet, o Eva, quam tibi metipsi persuasisti: erras tota via, si putas futurū, ut postquam vescamini esca istiusmodi, mortem vobis et exitium ultimum asciscatis: quin vitam agetis aeternam, et perfruemini immortalis Dei conditione sempiterna gustatu pomi prohibiti. Nam ob eam causam pomo vobis interdictum putatote, ne Dei sempiterni naturam induatis: et ad gloriam ejusdem, et decus immortale minime aspiretis. Nō enim insciens Deus est eximiae virtutis illius arboris; quā probe novit vim habere similes sui faciundi vos duos puncto temporis, atque gustū habueritis pomi pulcherrimi suavissimum. Quid enim ad vestram pulcritudinem, et ad gloriam amplius deerat, ut numeros divinae similitudinis expleatis, nisi ut boni scientiā habeatis, atque mali? quā utrumque habiturum non esse nisi gustatu hujusmodi mihi credite. Inter hunc, et futurum, qui post gustatum arboris vos manet, felicem atque immortalem statum, quantum ad aspiciendam lucem, inter oculorum aspectu carentes, et inter accerrima praeditos acie, necessarium est interesse: ut illi ni-

hil

hil videant, etiam si maxime cupiant, hi nihil obtutum oculorum intendentes, non intueantur, clare nimium atque perspicue. Mulier intueri protinus arborem, respicere, contemplari, et ad vescendum dulcedine deliniri verborum, perfundi voluptate quidem incredibili ex illi⁹ aspectu, magis magisque commoveri, in illud ferri cupiditate vescendi, nec mora, quam Daemon perpulerat ad perfruemum fructum, ipsa protinus percipere pomum gustatu suavissimum, Adamo deinde viro scelerata uxor offerre gustandum. Quem Eva suis fraudib⁹ atque fallaciis sic avidum reddidit ad has vetiti mali ineundas epulas; ut invitatus Adamus abjiciēs obedientiam Dei sanctissimam, divinae legis fines et audacter, et insolenter transilierit. Hinc defectio nostrorum parentū, et ruina miserabilis, et luctuosa profluxit: quae quorū generi mortaliū maia invexerit, quas importaverit clades, et calamitates infinitas, lacrymis prohiberemur commemorare scribendo; si quemadmodum affici nos aequum est, ita quidem in tantis miseriis, et aerumnis sensum, et dolorem haberemus: partem tamen aliquam, huc quoniam pro-
vecti fuimus, eo, qui sequitur, libro ostendamus.





CHRONOGRAPHIAE

LIBER SECVNDVS.

MALA CORPORIS QVAE CONSE-
quuta fuerunt ruinam Adami.



SATIS multa, sed non plura, quam
necesse fuit, de primi Parentis ruina
scripsim⁹; mala, quae cōsequuta fue-
runt, initio libri secūdi, ut potue-
rimus, adumbremus. Quem lacry-
mas tenere potuisse credibile sit
memoria repetentem aerumnas,
quae genus hominum post nostro-
rum ruinam Parentum consequu-
tae fuerunt? Non proprias Evae, non familiares Adami, non
utriusque communes solū miseras oratione refricabo: quae
derivatae fuerunt in nos, et tanquam a fonte suos in rivulos
influxerunt; persequar. Illos autem quis non aspicit mulie-
rum gravidarum a contagione Parentum nostrorum appe-
titus, et aviditates rerum injectas, molestias, et aegritudines,
parturientium dolores, et cruciatus, angustias extremas, pe-
ricula mortis, mortes plurimarum obitas, aut cum illae par-
tu-

turiunt adhuc in visceribus incluso foetu, vel postquam
enixae fuerunt, tum cum liberatae videbantur, infante jam
in lucem edito? quid habet inde difficultatis parentes pro-
creare sobolem et educare, efferre filios in statum amplum,
et honorificum, et majorum splendore dignum? cum etiam
isti post adhibitam curam, post immodicos sumtus factos
evadunt improbi et scelerati viri; cum ipsae mulieres totius
familiae importunitatem dies, et noctes umbraculis tectae
parietum spectent, atque sustineant singulis satisfaciendo,
et victum comparando quotidianum omnibus bis ad mini-
mum stas temporibus dandum; cum ipsae in viro-
rum imperio sint ad omne vitae tempus, quos contingit nonnun-
quam duros, imperiosos, vehementes, et iracundos admo-
dum esse, quibus cum vitam agere servitus intoleranda fue-
rit; non grave admodum est et valde difficile? Atque haec
propria mulierum, illa foeminis cōmunia cum viris. Primū
nisi cum labore magno vivere non queunt homines multis
aegritudinibus, et variis morborum generibus infesti. Adeo
multi debiles sunt et imbecilles, tā infirma valetudine, tam
dissipata atque perdita; ut quasi morientes illi vivant nul-
lam in corpore non suscipientes offensionem. Minimus aë-
ris flatus, pituita levis, noctis aspiratio, vel frigor, vel ca-
lorum appulsus quicūque nocet: etiā si paululum quid ad ci-
bum homo, vel ad potum addiderit, quod nihil fere, aut ad-
modum paululum fuerit; si contigerit illum non dormire
partem aliquā noctis, vel de somno demere quidquā ad ea,
quae incidit, negotia; si quidquam in vestitu praetermissum
est, quod curatum erat antea; denique minimae causae, leves
offensiones, totum hominem dissipant, perturbant, atque
funditus perdunt: ut tanquam cera diffluere, tanquā saccha-
rum sensim dilabi videatur, et ad extremum ad nihilum re-
digi. Valebant aliqui, paulo ante quam mortui fuerunt; vel
intra paucas horas commemorantur vita functi. Quid nam
admirantes alii noti, vicinique sui rogāt, mortuum ille fons

tu-

tu-
I. 3. sum

sum nescias? Cognati, vel filii respondent, paulo ante, imò vero modo, nunc proxime nobiscum erat, colloquebatur, de rebus agebat suis, cū angustiis dixit urgeri corporis, nec verbum proloquutus amplius, ante oculos omnium cōcidit repente mortuus. Si non homo teterrimi serpentis poculum hausisset, bona valetudine, viribus integris, valenti corpore, cōstitutione mirifica, suavitate coloris, oris dignitate, praecellenti forma, compositione membrorum, et omnium lineamentorum conformatione retenta, incessu, statu, omnique motu hominis praestantia dignissimo vixissem? Omnishumanae fabricae coagmētatio, neque labore, neque frigore, neque ulla impulsione vehementi labefactaretur, aut infringeretur: nō ad morbos, senectutemque compelleretur. Quae gravia sunt, quae cum existunt, totum hominē evertunt, et in sepulturam tradunt inferendum, hominē nō invaderent: nec ipse minima tentaretur valetudinis offensus, cum ea congruerent inter se semper, e quibus homines cōstamus. Ab hac igitur inusta Parētū macula tētationes morborū, aegrotationesque natae, morbi leviores, graves et periculosi, dolores, et pericula, offensiones omnes valetudinis adversae: quarum sexcenta genera malo naturae humanae deplorare, querique desinemus, et casus adversos, reflantem multorum fortunam, horum florentem, aliorum inclinatam, aut jacentem penitus, tam varias, multiplicisque vicissitudines; ut quosdam gravissimis percutiat vulneribus, alios muneribus ornet amplissimis; atque hos cum ad summum gradum extulerit, eosdem tanquam ictu repētinae calamitatis deturbet. Atque in his malis perferendis, quamquam nonnullorum liceat praestantia, et altitudinem animi exaggeratā admirari; tamen abjectionem, et debilitationem multorum, moerorem, et lacrymas, assiduum squalorem, et sordes, in quibus fracti semel atque percussi jaceant omnino, nec ad impetus hujusmodi superandos sese excitare valeant, etiam si velimus, cernere non desine-

sinemus. Non ea fugere nos debent, quae passim incidunt in vitam nostrā, bella gravia et periculosa, servitutes jure gentium introductae, infima fervorum conditio, dominorum summum jus et imperium, vincula corporibus injecta fervorum, tot leges, et poenae gravissimae constitutae, tot de nefariis hominibus sumpta supplicia, imposita populis, et civitatibus vectigalia, tot naufragia facta tempestatibus maris concitatis; denique caelitum ira terris invec̄ta mala, ipsius Dei praepotentis justo, severoque judicio, rebus humanis, et hominum vitae semper arcus malorum impendentium intēti, fulgura, tonitruaque displosa, jactaque passim fulmina de caelo ad minas, ad terrores jaciēdos. Haec omnia vulnera sunt primi sceleris, et epularum Adami, et minima quidem; si cum his, quae refricare compellimur in tantam materiam ingressi, conferantur.

CALIGO GENERI HOMINVM OFFVSA.

NAm cum homo animal divinum a Deo procreatum fuerit et ad agendum, et ad intelligēdū, et ob eam causam plenum rationis, et intelligētiae, praecipua quadā conditione generatum a supremo Deo: (solum est enim ex tot animantium generibus atque naturis particeps rationis et mētis, cum caetera sint expertia, ut in rebus gerendis cupiditates animi moderetur, et omnem suum studium, curā atque diligentiam in rerum divinarum cognitionem conferat) in utraque parte vulnus gravissimum accepit. Nā mēs ablata sibi magna ex parte, extinctaque luce, qua splēdebat antea clarissime, in crasis tenebris, et in obscura profundae noctis caligine jacuit: qua simul vitae ratio circumfusa clavum, ac regimē paene suum amisit, neque tractandi gubernacula, quanquā aliqua lux oboriretur, rectū atque directū modū, ad finē, in quem contendebat, assequendū tenere poterat. Erat enim aegra graviter atq; vulnerata, turbulētisque

animorum motibus, quos comprimere suis viribus non poterat, confictabatur. Visa fuit eo tempore turpitude, quae cunctis ante saeculis latuerat hominum oculis nunquam aspecta, foeditate horribili, execrandaque deformitate; quae suo deformi aspectu sic oculos nostrorum Parætum perterrefecit, et animos obscœnis corporis partibus turpiter excitationis vehementer commovit; ut affecti pudore, rebellionemque carnis tunc primum facta perturbati se in intimos opacae silvæ recessus abdiderint, et partes illas turpes jam, et deformes ad aspectum oculorum arboris foliis tegendas curaverint. Ab his primordiis natura humana corrumpi coepta est, et in omnia vitiorum genera prolabi praeceptus: inde femina virtutis innata, mentibus insita nostrorum parentum aboleri visa, vepres, tribuli mentem exulcerantes oboriri: quibus sic animi generis hominum obducti obstitique fuerunt, ut ab hoc initio profecta fuerit superbia, spiritus hominis arrogans et elatus, qui sublato collo, erecta cervice, non vultum, non incessum sibi solum finxit, ut gravis videretur, et quocumque principatu dignus, sed ut sese insolenter efferret, et intoleranter, honores appetierit, et dignitates celsissimas reliquos mortales spernens, hominem prae se ducens nominem. Hinc avaritia omne officium quamvis sanctum, atque solenne nimis comminuens, insatiabili cupiditate semper hians, et imminens in fortunas alienas, in augendas opes quibuscumque modis, pravisque rationibus: quam (ut poëtae fabulantur) nec Pactolus auri copia profluens incredibili, quemadmodum nec tot adhuc Indiae patefactae, tot captus margaritarum, et omnis generis lapidum pretiosissimorum, non ipsa regna, non imperia terrarum, quaequam uni delata satiarent. Hinc etiam effraenata libidinum appetentia, impuritates in omni semper intemperantia effusae, incesta, stupra, adulteria, reliquae voluptates, obscœnitatesque turpissimae, quae honeste nominari non possunt, neque ad bonorum aures sine offensione pervenire. Hinc ira intimo

mo odio concepta, cum accensa virus evomit pestilentiae, totum perturbans hominem, et eo, cum furit et debacchatur acerba, hominem adigens, ut inter iracundum, et inter furentem nihil interesse videatur: cum aequè ille sit, ac qui insanire visus est, impotenti prorsus animo: ubi mentem incitata praecoccupaverit iracundia. Hinc ventris ingluvies, invidiae morsus acerrimi, ignavia atque desidia, cuncta scelera capitalia, quaeque his implicita sunt peccatis, et ex eisdem tanquam ex capitibus venenatis profisciscuntur, importuna detestandaque flagitia, tetra, et immania facinora: quae fugit ac reformidat oratio dicere. Omnes satis intelligunt, nihil tam insolens, tam perversum, praeposterum ve dici, aut excogitari posse, quod non ab hominibus fuisse factum, et commissum audierimus: quod nec pecudes facturae viderentur.

IDOLOLATRIA POST ADAMI RVINAM orbem terrarum invadit.



Non satis habuerunt homines execrabiles omnia flagitia machinari, nullum non moliri scelus, communes leges ac jura violare, omnem evertere societatem, nisi in Deum ipsum inexcipiabiles fraudes susciperent, summi Dei religionem polluendo, cultumque divinae majestati debitum ad res a creatore suo factas atque conditas nequiter, et impie transferendo. O caecitatem filiorum Adami, o profundam peccati caliginem. Cum jacerent hominum mentes in tantis tenebris, et in caligine totius ignorationis, nec lucem divini numinis aspicerent ereptam nocte defectionis Parætum offusa, non facile mentis viribus poterant, nec infera, quaeque sub oculos cadebant, nec supera intuyendo investigare majestatem Dei sempiterni, quem colere verissimo sanctissimoque religionis cultu debuissent. Non Idololatria cul-

tum eripiens immortalis Deo, et honorem infinitae Deorum, atque Dearum multitudini tribuens errores creavit innumera- biles, et superstitiones vanas, ac temerarias introduxit in orbem terrarum? non his ita obligavit, et miserabiliter implicuit animos omnis generis pravitatibus imbutos, ut quisque vellet de caelesti numine opinionem haberet, et sibi Deos, atque Deas nemo non fingeret ad suam libidinem? nam cum hoc a principio persuasum hominibus fuerit, Deum aliquem esse, neque de numine praestantissimae mentis quidquam habuerint exploratum, amētes atque caeci, ruētes in tenebris; unum aliquae, multos aliae, multitudinē infinitam fere omnes gentes caecitate mentis oppressae confixerunt. Quorum cernere quidem est dementissimas opiniones, et furores. Nam qui magis sapiētes videri voluerūt, et ad splendorem aliquem, et ad claritatem extrinsecus apparentem mentem, et oculos intendere; cum caelum istud suspicerent, et quidem tam clarum et illustre, Deum illud esse dicebant, tot praecipue nocturnis illustratum luminibus, et diu cunctorum astrorum illuminatum principe Sole clarissimo. Cum autē noctis tenebris offusis obscuraretur, saepe diu non tam clarum, et eximiam haberet speciem nubium caligine tectum, et coopertum omnino, et aliquot dies horridum atque terrificum deformitate tenebricosa, praefertim fulgurans atque tonans, et cum jactibus fulminū minitantibus vastitatem locorum, aut partes aliquas percutientibus, et proximas foedissima spargentibus, atque deformantibus fuligine; tum illud iratum saevire mortalibus putabant, et placandum omni ratione, suis votis, atque stans religionibus: donec tota detonuisset ubique tempestas, et caelum quasi redeunte serenitate tranquillaretur. Quoniam vero tantam in sideribus, et in Luna claritatem aspiciebant, ut in eis plus esset pulchritudinis ad aspectum, quam in caelo etiam tranquillo, atque sereno; et caelum arbitrabantur esse domicilium, at-

que

que sedem astrorum, atque ob eam rationem ipsos praestantiores stellarum orbis esse, et Lunae globum maxime plenissimum: quorum causa continendorum, stelliferos illos caelorum complexus, atque Lunarem, et infimum creatum dicebant: cum majorem obtinere debeat principatum res contenta, quam id a quo contineatur. Quod Lunam interpositu terrae deficientem in lumine communi videbant, irarum plenam, plenam minarum fatum portendere miserabile metus injiciebatur omnibus. Ita stellas maxime colere, complecti, venerari mos erat: quod laetas semper se ostenderent, et micantes ex omni parte suorum fulgore globorum. Atque cum astrorum cultores ex aspectu in illorum pulchritudinem commoverentur, diu tamen in astris ipsis non institerunt, ad terrarum sordes peccati gravitate depressi. Nam cum rem aliquam egregiam et insignem, vel deformem, et horribilem viderent; quoniam omnes in gaudio, vel in moerore erāt, falso arbitantes, vel boni, vel damni quidquam inde sibi portatum iri: ut numen divinum colebant rem hujusmodi falsa et inani specie ducti. Itaque terram ipsam non Deam solum, sed tanquam Parentem Deorum divinis honoribus afficiebant: quod fruges ferret, et ut mater cibos suppeditaret, et vestita floribus, herbis, arboribus, frugibus floreret verno, et aestivo tempore: et partim Autumno, prorsus Hyeme, veteri hilaritate amissa vicissim horrere videretur. Et ut terrae, sic rebus multis in ea contentis, seminibus ipsis, atque lapidibus honores praestabant Deorum. Spinis cultū tribuebant, quod pungētes vim habere videbātur ad eliciēdū sanguinē, allis, et caepis quod ad lacrymas exprimendas acrimoniam. Atque in hunc modū de vario multiplicique plantarū genere putatote. Nam quod ad animalia spectat, siue mitia fuissent, et mansueta, siue fera et immania; quot genera sunt animantiū, quot belluarum, et ferarum immanissimarum, quod illas propter man-

K 2 sue.

fuetudinē, et propter usus communes magni habebant, et propter feritatem, et immanitatem suam exhorrebant, propitias, benignasque reddere, maximae sepe curae sibi fuerat atque sollicitudo quotidiana. Cōmune fuit illis leonem, leaenam, tygres, et urlos, canes, atque feles inter Deos, atque Deas numerare suas: ut jam Deos caelestes, marinos, terrestres, et Plutonos cultos ab antiquitate fuisse veneratosque non admiremur. Sed eorum principes non commemoramus solum, sed etiā suis nominibus nuncupemus. Et quoniam vetustissimos illos Saturnos, et Opim antiquissimos Idolorum non ignoratis: illud quoque vos tenere non est dubium, de caelitibus fuisse Phoebum, Mercurium, Martē, principem Deorum Iovem, cujus nutu domicilia caelorum, et sola terrarū gubernari mentiebatur antiquitas. Et quoniam inter hos falsos Deos matrimonia sua ad libidinū impuritates honestis tegumentis involvendas fangebantur, cū ne vera turpitudines et obscœnitates apud illos, et corporū commiscendorum libidines, stupris, adulteriis omnibus infames flagrarent: Iovi nupta soror dicebatur Iuno, Opis Saturno, Venus omnibus proposita, omnium libidinū maculis notatissima faces ardentes amoris turpissimi praeferbat. Atque illi hos in habitum, atque in figuram hominū libidinosorum, nunquam a viduis, a virginibus, a nuptis, et quod praeposterum, et naturae contrariū est, a pueris effrenatas libidines cohibentes, formatos coluerunt. De quibus id satis est dicere, ut mores, et vitam eorum cognoscatis, et quae deinde mortales petere possent, exēpla bene, casteque vivendi, nullam libidinem ab illorum oculis, nullum facinus a manibus unquam suis, nullum denique flagitiū a corporibus affuisse turpitudinis, eisdem nihil unquā nefas fuisse, nec in vitiis, nec in voluptatibus. Ad libidines intemperanter explendas, hominum, pecudum, avium, et rerum absurdarum formas figurisque susceperunt. Illud etiam turpissimum, quod ad abdomen saturandū, et poculis frequē-

tissi-

tissimis obruendum, foeda specie, horribilique aspectu Bacchum cibo, vinoque plenissimum, ebrium, et furentē oculis statuebant mortalium. De marinis Diis Neptunum audistis, et uxorem eiusdem Thetim in profundo delitescentem, emergētē ad tēpus, et fluctus maris, quod poētae mentiuntur, sedātē, atque cōmovētē. Inferni consequantur, Pluto scilicet foedus ac deformis, et altero crure claudicans: cui datam fuisse uxorem Proserpinam accepim⁹. Ex his qui fuerūt terrestres? quos veteres femideos appellabāt, qui caelitū societate, sedibus, et honore caelorum non dignabantur. Intelligite Faunos, Panes, Satyros, Sylvanos humana, atque ferina figura praeditos; qui corpore, et ore pubescentis homines exstarent, reliquis partibus hircorum male olentium similitudinem haberēt. Quibus nihil scitote fuisse luxuriosius, nihil libidinosius. Itaque videtis antiquorum Deos superbos et arrogantes, iracundos atque fures, turpes et libidinosos, et omnib⁹ scelerib⁹ et flagitiis infames: qui quoniam hominum formam habere dicebantur, ad opportunitates et commoditates necessarias membris humanis fingēdi fuerunt. Ita enim Dii erant, ut pedibus fingerentur ad ingressum, manibus ad apprehendendum, lingua ad sermones habendos, dentibus, palato, faucibus ad suos usus, et reliqua descriptione omnium corporis partium ad suas functiones, et utilitates oportunas. Et quia vescebantur more mortalium, et percipiebant voluptates, et iucunditates corporis; quem cibum, aut quas potiones, aut vocum, et florū varietates, aut quos tactus, quos odores adhibebant ad hosce Deos suis perfundendos voluptatibus? Nihil magis tritū atque celebratum poētarum carminibus, quam nectar potionem, ambrosiam epulas Diis ipsis comparari: et eosdem, aut omnes simul, aut singulos separatim edere, et bibere ex animorum sententia pocula ministrante Ganymede. Sed multū fuisse videor in commemorandis Idolorū turmis coacervatis a veteribus, et in caelum, in terram, in inferos, in mare cō-

K 3 je:

jectis? non nego, sed summa fuit eorum brevissima: nam si numerum persequeremur, nullum finē nostra habitura fuisset exercitatio. Quoniam igitur ad hujus commemoratio- nis exitū properare necessario debuimus; recordemur turpitudinem illorum hominum tetram atque detestabilem, qui res turpes et deformes, sordes peccatorū execrandas, obscenas libidinum impuritates Dearum nominib⁹, et honoribus afficiebāt. O rem auditu foedam. Tempa dicata fuerunt impuritatibus suscipiendis, et vitiandis virginibus, quae nupsissent, antequam viro traderentur. Dii constituebantur principes harum turpitudinum, et obscenitatum intemperantissimarum; quos tam flagitiosae, perditaque libidines explerent, et illarū execrandae detestabilesque voluptates gratos atque propitios redderent. Quod si gentes aliquot barbarae, et inhumanae, nullo cultu, neque elegātia politioris humanitatis praeditae, horridae et immanes illae Scytharum nationes, omni feritate, diritateque deterrimae hanc multitudinē sibi Deorum infinitam ascivissent; apud quos nullae leges, nulli mores optimi, nulla fuit unquā humanitas, sed inaudita semper barbaries, et execranda crudelitas; qui vivos homines, et cognatos suos tanquā pecudes sacrificabant; nulla nostros animos Deorū infinitatis coepisset admiratio: sed cū illi urbani humanique, qui mortaliū omnium domini fuerunt, et sapientissimi dicebantur, qui propter politio- rem cultum, et rerum cognitionem aliquid loci rationi, et consilio dare potuissent, in hos errores nō inducti solum fuerint, sed superstitionibus Idolorū omnium obstricti maxime: quid ad hanc inscientiam, quid ad ignorationem majus accedet? Enim vero tanta perversitas a malorum omnium seminario ruina Parentū nostrorū profluxit: quae barbaros, et politos, inhumanos, et elegātes, indoctos, et sapientes, infirmos, et fortes, claros, et obscuros tenebris circumfudit obscurissimis: ne verum in caligine se- per jacentes aspicerent. Fuerint Athenienses, qui fuisse dicuntur, docti, et auctores prope litterarum, exquisitisque an-
ti-

tiquorum artibus instructissimi; unde humanitas, fruges, jura, leges ortae, atque in omnes terrarum partes distributae putantur: at illi consuluisse dicuntur Apollinem Pythium, quas potissimum religiones tenerent. Cum legitis hunc Apollinē daemonem intelligite in effigiem aliquam inclusum, atque latentem, unde ad deludendos, decipiēdosque mortales respōsa dabat: cumque oraculū edidisset eorū, quae essent in more majorū, et cōsultū iterū adiiissent, quoniam majorū mores saepe fuissent mutati, quae vellet sequeretur: ex variis retulerūt Cecropis cultū, et ejusdē a majorib⁹ acceptas religiones. Fuit Cecrops, auctor totius sceleris et impietatis, in vētor, et princeps Idololatriae; qui prim⁹ in Graeciā cultū, et honorē Deorū, ritus, et superstitiones omnes, atque adeo Iovis, caeterorūque Deorū, atque Dearū turbā introduxit execrādā. Quāobrem cū corp⁹, et ora referret hominis, tū serpētis immanissimi inflexa retortaque; cauda terminabatur praebēs speciē feritatis et diritatis teterrimae. Hos cōsequuti fuerunt saeculis post infinitis Romani principes terrarū, qui multū caeteris hominib⁹ omnium gentiū, ingeniis, litteris, et rebus bellicis praestiterūt. At horum omnis religio, in sacra, et in auspicia dividebatur, ut nihil in bello sine extis agerēt, nihil domi sine auspiciis. Quib⁹ quid imperiti⁹, quid amēti⁹ fuit a Romanis acceptū, et in urbe sua per aetates omnes cōservatū, quā cū cavea liberati pulli nō pascerentur, tum infeliciter auspiciari pullarium? quid istud? per exta praesensionē rerum futurarum peti, quasi in corde animalis evulso palpitāte celeriter, aut se nō cōmovēte, vel in extis uno, vel altero colore perspectis oraculū aliquod esset, ex quo futura praesentirētur? quid cū volatib⁹ aviū, cātibusque, quasi certissimis signis faciendi quidquam, vel non tentandi cōsilia capiebantur? ex observatione caelorum, ex causis obscuris, de fulgure, de tonitru, signa praedici certissima, vel ostenta portendi mōstrosissima, tam inter Romanos fuit certum, quam quod certissimum. Fuit fuit quidem istud ridiculum et eventis contrariis comprobatum.

Sed in sacris asciscendis, faciundisque multitudini Deorum atque Dearum, nullum modum statuerunt: asciverunt enim omnia genera sacrorum, quae reliquae gentes, atque nationes barbarae, atque doctrina cultae factitabant: quae in superstitionibus impuris, in vanis erroribus, in animalium strage nefanda, in libidinibus atque flagitiis, in sanguine atque parricidio per speciem religionis versabantur. Itaque non animantium solum sanguine profuso, sed non raro humanis hostiis, aras atque templa funestantur. Sed profecto non est magni consilii, in rebus tam vulgatis, in uno, et altero genere mortalium versari. Concludo igitur, atque haec est summa istius amplificationis. Quoniam Adamus a Deo turpi defectiois nota descivit, non Romanos solum, et Athenienses, sed hominum genus universum praeter angulum Iudaeae angustissimum Idololatriae tenebris circumfusum, tantis aerumnis, et calamitatibus oppressum fuisse. Quorum inter gentem Iudaeorum numerabuntur pauci viri sanctissimi, munere Dei immortalis, auxiliis atque praesidiis divinis, et visis de caelo partim oculis eorum objectis, partim in mente veritatis imaginem imprimantibus, et quasi signantibus in animo numine naturae praestantissimae, quibus labem non asperit Idolorum execratio detestabilis. Atque hi quamquam summa fuerunt sanctimonia, tamen absolutam de Deo cognitionem, atque notitiam non habuerunt: sed habebant inscriptam quasi regulam, et insculptam in animis, ut ab Idolorum contagione liberi, falsa profus agnoscerent et committiticia, quae de Diis metiebatur antiquitas, et inveteraverat in animis hominum, tot scelerum et flagitiorum perversitate caecatis. Quin et illud Iudaeorum genus, tantis affectu donis ac muneribus caelorum, praesentia suae majestatis, et responsis Angelorum, et ab ipso et Deo lege data, tam indulgenter tractatum, cohonestatum Patribus sanctissimis, divinis Vatribus, Regibus sapientissimis, magnificentissimo Templo, sacris per eum institutis, munitum fortitudine Ducum invictissimorum con-


conservatum divinorum multitudine miraculorum, esca de caelo delapsa tot sustentatum annos, et ex ore, ac faucibus toties ereptum inimicorum, illustratum denique toto terrarum orbe maximis, et gloriofissimis victoriis, de quorum sanguine procreandum Vindicem humanae libertatis, et edendum in hanc lucem Filium Patris aeterni, veram et expressam tanti numinis imaginem acceperant; quem illi sperabant, quem assiduis precibus, et lacrymis precabantur, et ut fidem datam praestaret, a Deo summo opere contendebant, et enixe flagitabant: horum genus a Deo non raro defecisse videmus, et se ad Idolorum cultum, et falsam religionem abjecisse. Ita Daemon nullam non terrarum partem occupaverat peccatorum, et Idololatriae crudeli dominatu compressam. Qui sic est in homines dies, noctesque grassatur crudeliter nullum habens quietis intervallum, cum doleret, et vehementer angeretur se de tanto gloriae statu dejectum esse, neque habere spem ullam amplius illius recuperandae dignitatis, ut omnia machinatus fuerit, et molitus in generis humani perniciem, per se, per Idololatriam, per peccatorum agmina, per satellites suos, per furias omnes ab inferis excitatas, ut aditus omnis etiam hominibus in pristinam se ipsos dignitatem restituendi praecluderetur. Quae verba Daemonem fecisse putatis Idololatriae, quam vim suis adhibuisse satellitibus, quos admovisse stimulos furis toto terrarum orbe bacchantibus? quantopere studuit semper vetus illud suum in Deum jam pridem conceptum et habitum odium renovasse, nimirum unquam conquiescendo, modis se cunctis exeruciando, ne vacuum punctum temporis abire pateretur? Lugebat ille, et eundem moerore afflictum ac percussum videbant sui, quod ad parvulos, quos haberent sola terrarum Dei amicissimos perdedos, atque delendos, cum vim omnem suam incitatum contulisset, nihil tamen acri et vehementi, qua contenderat, incitatione profecisset. Cunctari sibi videbatur, et languere, ni-

hil efficere, quanvis toto fere mortalium genere in suum imperium, et jurisdictionem adjuncto: quod hi pauculi salvi fuissent, et incolumes. Conspiciebat saepe oculos ad Iudaeorum gentem, quam ex suis faucibus ereptam esse, multosque tam amantes Dei, caros eidem Domino, tantae spei plenissimos, exiguis dolebat Iudeorum finibus contineri. Mundus, quas operas praestabat, dum suis opibus, dum fortunis maximis, dum amplissimis honoribus, dum delatis dignitatibus speciem fallam, et inanem, fucatum, et ementitum nitorem objiciebat oculis aspiciendum, et propter asperam falsi decoris pigmeta sitienter appetendum? Quid Caro consecratrix voluptatum, hostis deterrimus et infestissimus qui nunquam hominem intermitteret? persequebatur, et insectabatur, vexabat, et opprimebat, ut illum a se nunquam homo valeret amovere: quid dicam excutere, ut pacem habeat, et tantulum quietis, quantum est illud, quod datur ad aperiendum oculum? Semper adhaerere homini, animam depravare contedebat, atque in eo perstare, ut illum voluptatum illecebris delinire non desineret: ut sibi semper ancillaretur, suarum libidinum sordibus inquinatus. Ita flagitiis omnibus homines contaminati, in tot erroribus Idololatriae versantes, oblitivitate Creatoris sui, tot hostibus circumventi crudelissimis, gravissimis concisi vulneribus, ruebant praecipites in obscuras Inferorum regiones. Itaque mors horribilis, et infestissima suis elata pennis in sublime domos, omnes aetates, et quascunque pervagata familias, cum arcu properans, et accelerans, nobilissimum, et clarissimum quemque conficiebat aequae quidem atque contemptissimum et obscurissimum; quorum multitudine morientium complebantur sedes Inferorum; atque is locus cum gaudio, et laetitia spirituum nequissimorum frequentabatur patens et apertus infinitis animorum millibus, qui mundi, Daemonis, et Carnis stipendiarii fuerant atque tributarii. Peccatum cogebat commutatam satellitum suorum stipatum hanc multitudinem imperio

perio subactam atque compressam, et suis stigmatibus inustam, atque signatam maculis notatissimis, praecipitem agebat in obscuram sempiternae noctis caliginem: et ut de tanta cadebant humani generis infinitate mortales, notati ferro cujuscunque generis vitiorum, ita uno puncto internoscebantur, et a satellitibus Daemonis arrepti suum in locum atque praefinitum conjiciebantur damnatorum: ut elati cum superbis, libidinosi cum luxuriosis, desides cum ignavis, et reliqui diversi generis cum sui similibus in gregem suum atque turbam confertissimam darentur impetu praecipiti deturbati. Nullus erat id temporis praedictis in locis terrarum cultus, nulla cognitio Dei immortalis: aberant mortales a veri procul visendi fine, ad cujus studium incitati avidissime ferri debebant. Undique circumfusae tenebrae, caligo crassissima peccati tenebris offusa nocte efficiebat obscurissimam, nullius hominis, nullius inquam, nisi Dei sempiterni meritis et virtute disjiciendam. Ad hanc caliginem dispellendam, et ad patefaciendas caelorum sedes Parentum nostrorum ruina conclusas Filius aeterni Patris in utero Virginis Mariae naturam humanam indutus novem jam expletis mensibus in hanc lucem exiit: de quo beneficio tanto, tamque immortalis, quoniam nulla exercitatio suscipietur, meritis et amplitudini suae digne satisfaciens, ad beati Stephani ferias transeamus: quod enim de Natalitiis ad praesentis libri institutum dicendum erat, aliquot exercitationibus ante descripsimus.

DIES BEATO STEPHANO

sacer.



UIS non intelligit ad Natalitiorum Christi Iesu celebritatem magnopere pertinere ferias, quae consequantur, Divi Stephani, et sancti Ioannis Evangelistae, et Puerorum Innocentium

L 2 ho-

honorū dicatis? Nam quamquam his sanctissimis religionis nostrae militibus statim, solennesque dies matris Ecclesiae mandato, et auctoritate consecrati, recolantur, ut sermo tamen populi iam usque a primordiis Christianorum in veterarum tantum Domini Natalitii ferias contineret, et illas nusquam non locorum a Christianae Fidei cultoribus Natalitiorum nomine, et honore affici video Christianorum non intueri neminem. Arbitror autem id fieri, ut a celebriore die nomina ducantur, et is in honore praecipuo sit dies nati Iesu Christi, qui tantum boni portaverit filiis Adami crudeli Daemonis servitute liberandis. Quatriduum igitur homines ferias habent, et a prohibitis operibus vacant, et ab omni praecipue munere servili, quemadmodum reliquos dies festos nullam non prohibemur vulgarem artem exercere. Atque horum celebritas dierum mirifice cernitur in ecclesiis dissimili vestitu sacerdotum, et arae cujuscunque. Nam die sacra. Divo Stephano rubra decora proferuntur et ornamenta propter anniversariam Divi Stephani mortis instaurationem, qui Protomartyr invictissimus, primus vitam cum sanguine pro Christi Iesu religione profudit. Quem metis oculis comprehendere debemus in summam Iudaeorum invidiam adductum, et cum vim et contentionem suarum concionum, caelestem atque divinam Protomartyris sapientiam in illorum perfidiam, et iniquitatem tonantem, et fulgurantem, suis deterrimis conatibus contrariam et infestam nequissimi homines prospicerent, tractum in solitudinem, tanquam nequam et improbum hominem, spoliatum atque nudatum vestibus, a fronte, a tergo, et a lateribus multis appetitum lapidibus, qui totis viribus et impetu maximo in Stephanum conciciebantur; magno crepitu et fragore totum aera praetervolantes: atque illi in caput, illi in frontem, alii in ora faciemque sanctissimam, plurimi in corpus, non pauci in brachia, reliqui in pectora ruerent dimissi vehementissime: corpus viri sanctissimi, et ipsa praecipue pectora multis concide-

derentur ictibus, multae lacunulae efficerentur sanguiniferis in terram large fluentibus. Quot lapides in corpus infixi adhaerescerent, et altius insiderent impressi sanguine multo rubefacti? corpus totum sparsum lapidibus, plusquam untonibus, et margaritis distinctum niteret: ruboris speciosa venustate collustratum. Quid nam id temporis divinus Protomartyr? quae sua mens? quae cogitatio? quae preces? quam supplices atque demissae? Ille quidem in genua prostratus tendebat manus in caelum, et veniam sceleris, quod Iudaei susceperant in tanta lapidatione, precabatur: et cum eodem tempore patefactas caelorum sedes aspiceret, et Christum Iesum immortali gloria circumfusum, ad dexteram Patris aeterni eximia visendaque quasi ad opem ferendam confidentem majestate contentius orabat, ut Iudaeis tanquam insciis et ignavis criminis, quo se astringerent, remissum et condonatum illud sua majestas vellet scelus tantumque flagitium, seque deprecatorum interponeret ad Patrem aeternum, ut quod orabat divinae majestatis cultor Stephanus, impetraret. Saevire tunc magis, et furere belluae immanissimae, nec punctum temporis illum a lapidatione desistere, hos incitare magis, et inflammare Saulus in palliorum custodia positus, anhians ex intimo pectore crudelitatem, quasi furia quaedam verbis admovere taedas ardentes, nec furiosi vesanique homines coepta persequendi finem facere: donec in ipsa lapidatione genibus nitens Stephanus spiritum, quem Deo debebat, laetus et alacer pro Christi Iesu religione reddidit.

DIES BEATO IOANNI EVANGELISTAE SACER.

Ferias sancti Stephani celebritas Divi Ioannis consecratur, in qua templorum arae collucent et illustrantur ornamentis eximio candore nitentibus. Atque honoriales studiosae Divi Ioannis magis in his feriis, quam in aliis

recolendis excellunt propter contentionem, quae sibi magna semper fuit cum sororibus affectis in beatum Ioannem Baptistam: quae progrediuntur sumtibus, et magnificentia praeter modum, quem tenere nesciunt; cum sororibus praestare cupiant. Ita quidem admirationem afferunt maximam vestiti parietes, ornatae arae, vestis pretiosa, ornatusque, ornamenta eorum, qui rem divinam facturi sunt, splendor auri, et argenti pro sacris aris, pro ara praecipue Divi Ioannis, mirum in modum collucēs, suavitates odorū, vespertinae preces sacrificiū rei divinae, cōciones habitae, cāt^o suavissimi, Hispana carmina de laudib^o divi Ioānis, quae ad lyrā, ad organa suavissime cōcinuntur, pōpa supplicationis, et in ea Divus Ioannes vestitu pretiosissimo cōdecorat^o, et in lecto magnificentissime strato, stātis, vel sedētis speciē praebens, cū palla deaurata, multis illuminata pretiosis lapidib^o, habēs librū in una manu, in altera pennā in similitudinem aquilae regiae, et excelsae in caelorum sedes mēte caelesti involās, et sese inferēs atque adeo penetrans in Sanctissimae Triados celsitatē aspiciendā, atque mentis altitudine complectendam: unde tonans, ac fulgurans suos auspicatus est sacros annales in societate usque Filii Dei cum natura humana tam admirabili vinculo copulatam. Mirus est plausus virorum, atque mulierum, quae pompam prosequuntur, et magnis efferunt laudibus Ioannem Evangelistam. Id temporis licet intueri tabulas nitidas, atque venustas, quibus parietes ecclesiarū illustrantur, non obscuram rerum tanti Evangelistae praecclare gestarum speciem, et ad umbrationem amplexas. Illa spectatorum oculis stātuit Ioannem adolescentem adhuc, spectata forma atque figura praeditum, delicias, et amores Aesertoris nostri; cum ipse Iesus mensae discumbat medius inter reliquos interiectus discipulos Ioannem in sinu, complexuque suo capientem somnum suavissimum quasi demulcens atque deliniens: et ne quis a somno excitet, brachium caeleste Ioannis capiti subjiciens unum tanquā pulvinulum plusquam Melitensi rosa infertum, altero complectens

tens collum beati Ioānis, ut carissimum sibi Ioannem in animo conditum, et collocatū habere velle videatur. Aliae stantiebant Ioannem comitatē Virginem Mariam, et ab illius nunquam latere discedentem, ad extremam Crucem unam cum Virgine stantem, inde non solum verba percipientem praeceptoris, sed mentis oculis collustrantem arcana caelestia, cunctaque memoriae commendantem suae ad memoriam posteritatis immortalem. Aliae campum patentem et apertum oculis intuentium proponebant spectandum, in quo rogus erat accensus flammarum crepitantium ardore succensus, et in mediis flammis dolium pice, resinaque ebullienti completum, in quod inspectante multitudine omnis generis hominum, quae sese ad tantum spectaculum effuderat, immissus, cum iam vi olei ferventis ebullientisque cōfectus putaretur, post multum tempus, cum iam in dolio fuisset, extrahitur salvus et incolumis, et multo valentior, quam antea fuerat, admirantibus, et stupentibus magna ex parte spectatoribus, et in praestantiam religionis, quam profitebatur, miraculum retentae conservataeque vitae referentibus. Sed quid ageret Praefectus imperatoris, id in aliis effectum tabulis et expressum cernebatur. Relegatus enim in insulam Patmō vastam atque desertam videbatur commorari in tam horridis et incultis locis inediam perferens intolerandam, sed pascens animum epulis divinae commentationis, et quamquam ab hominum celebritate disjunctus, Angelorum aspectu, sermonibusque reficiebatur. Illum nihil agere, nihil cogitare aliud, nisi quod ad Dei gloriā pertineret, facile visa caelorum declarabant, et arcana, quae sibi commentanti res divinas de caelo divinitus aperiebantur. Quamobrem tabulae multae visebantur, effigie rerum, et arcanorum caelestium, quae per totum exilii tempus mentis oculis obversabatur de variis temporibus, et sollicitudinibus Ecclesiae. Sed haec, et alia praetereo, quod in utriusque Ioannis celebritate sic moniales omnes certant cupiditate vincēdi, ut plane neq; modū, neque moderationē tenere videātur.

FERIAE PVERIS INNOCENTI-
bus sacrae.

Dies sacer Pueris Innocentibus quatrivul-ferias
sua celebritate conficit; quae praeclare quidē
apparet, et cernitur in templis mutatione ve-
stitus, et ornamentorum; quae rubra sunt, et
ad recordationem illius temporis, cum Hero-
des carnificinam tantam exercuit, quam accommodata. Quis
enim non commoveretur animo, cum memoria repeteret tē-
pus illud, cum Herodes accersit satellites, et ministros tā-
tae crudelitatis, et iussit eos spargere sese ac diffundere per
oppida finitima, et in aedes invadere quam tumultuosissi-
me, occidere jugulareque. Pueros Innocentes, natos diem
unum atque biennium, maxime in oppido Bethlehernico.
Ad quos ille talem orationem habuit, qualē crudelitas san-
guinem sitiens Puerorum subministrabat. Quid ni, inquit,
satellites mei, magna pars imperii nostri, propugnacula no-
strarum ditiorum, praesidium honoris, et regiae meae dig-
nitatis vos appellom; et tester his dubiis, et formidolosis tē-
poribus, cum in periculum videor amittendi regni venire;
et ob eam rationē iacturae faciundae honoris, et regiae cel-
situdinis, atque adeo vitae, quam omnibus natura desiderare
datum est, deferendae? Nam nisi me capto, et occiso crudeli-
ter, quod victores exultantes in caede captorum facere cō-
sueverunt, nunquam capere poterit princeps aliquis quietā
regnorum possessionē. Ut ergo omni cura vacuus ille reg-
net, qui me de sede regia deturbato regnū occupaturus fuis-
se dicitur, mortes antecedant multorū, caedes vestrae, inter
necio generis ac familiae meae, profu^o multorū sanguis mi-
hi parētū, spoliatio nostrarū opū, regni, dignitatis, et sedis
regiae cōsequutae. Nō est exercitus in itinere, non cōtēdit
manu militū confertissima, non pedestribus copiis, et eque-

stribus instructus, non dux etiam deducit exercitum, aut jā
affectat viam ad hanc civitatē, ut illam obsideat, et oppug-
net vehementissime. Non in bellis exercitati ducis alicujus
timeo fortitudinem, aut ad res gerendas divinitus adjunctā
fortitudinem, cum occulto quidem hoste confligimus: at-
que ille jam est in finibus nostris, atque adeo intra parietes
Bethlehernicos, non robustus, aut valens, non cum exerci-
tū copiis ve apparatusis, sed hoc tempore debilis, et in-
firmus, nullo praesidio; nec robore militum veteranorum
munitus, in cunis jacens, aut in complexu requiescens ma-
terno. Sed illum futurum tanta mihi potestate persuasum
habeo, ut credam futurum, ut adultus regnum ille mihi erī-
piat: quibus praesidiis, aut opē nescio; hoc unum scio, reges
ex disjunctissimis locis Hierosolymas venisse ad honorē
huic Pueri tribuendum, et quod illi dicebant, cultum, et re-
ligionē. Hunc illi regem appellabant, ac me percontatum
venerunt de rege, quem quaerebāt, et hoc nomine, et hono-
re efficiendum constituerant. Ego qui nescirem illum, nec
percontationem ullam, percussus novitate rei perturbator
fui, quam ante illum diem unquam: fecte tamen, et simulate
(si perturbationē animi simulatione verborum regere po-
teram) respondi: metuo equidem ne per frontem, et per vul-
tum me ipsum prodiderim. Simulans igitur me velle offi-
cium praestare regi, quem illi honoratum venerant, dimisi
reges confirmans inscium hujus me fuisse Regis, exorare ta-
men illos, et obsecrare, ad me reverterentur, quod in animo
mihi fuisset, quae illi tot dierum itineribus factum venerāt,
eadem officia tanto Regi non minore religione praestare.
Credo illos ex vultu animū aestimasse meum: digni nos vi-
demur malo, neque quidquam boni tam afferemus ad ex-
culpationem, quo culpam nō commercemur maximam; qui
solos dimiserimus, et crediderimus alienigenis, qui revertē-
di fidem dederint, nec praestiterint adhuc. Nimirum illud
est, quod me ludibrio habuerunt. Deludi me Regem Hero-

dem ab alienigenis patiar? Quos mihi praeuertunt, vobis praebitos fuisse ludos pro certo habeatis. Quamobrem ex-
 citate vos, et confirmate vestros animos ad rem gerendam
 post natos homines memorabilem, et commemorandam in
 omnem saeculorum aeternitatem: in qua conficiunda agi-
 tur honos Regis Herodis, qui vobis ab Augusto Caesare rex
 constitutus, cum magna semper cura, tum summa in discrimi-
 mine tanto vigilantia custodiendus est: agitur, salus regis, ve-
 stra salus, vita conjugum, atque filiorum, pro quibus nulla
 non gravia sunt et periculosa bella suscipienda: aguntur cer-
 tissima vestra commoda, libertas, status quietus atque tran-
 quillus, sine quo vitam hanc, servitutem intolerabilem, op-
 timus quisque semper duxit. Et quoniam semper providen-
 tes malorum, praeter reliquos homines, atque fugientes de-
 decoris et ignominiae fuerunt fortissimi viri, tantum et tam
 inauditum malum praemoniti praevideate mature, ne abla-
 to per Puerum regno, quae deleri non possit ulla vetustate
 temporum, insideat atque inveterascat in Iudaeorum egre-
 gie fidelium nomine macula turpis et ignominiosa. Quod
 unus Puer, vel Infans potius, dies nondum nactus multos, in
 uno delitescens oppidulo, sua voluntate, nullo exercitu, tot
 mihi per tyrannidem auferendas, diripiendasque regnorum
 ditiones denotaverit, faciendum facinus egregium at-
 que singulare leges omnes et iura proclamant: clamat ratio,
 clamabunt omnes, qui mentis non fuerint impotes, atque
 ad se reges tuendos, et ulciscendos, vim omnem et potentiam
 imperiorum esse conferendam. Quod si tam factu facile non
 fuisset, si difficultatem aliquam res haberet, tamen adhuc
 contedere debuissemus, et eniti pro gloria, pro fortunis, pro
 dignitate regia, pro cunctorum salute conservanda: at pue-
 rum interficere nihil est negotii, qui nec fugere, nec sese
 commovere potest. Non ut inera facturi estis, non finibus ex-
 cessuri Iudaeae, unum si contenderitis in oppidum, negotium
 facile transigetis. Quid quod armis multis opus non est? Si

vestros vobiscum gladios extuleritis, si pugiones occulta-
 tos, si paratas sicas, satis vobiscum esse copportaturos armo-
 rum, neque delectus habendos militum ad exercitus cofia-
 dos robustissimorum hominum putetis: vos si vobiscum e-
 duxeritis satellites, et ministros meos gladiis cinctos, et
 pugionibus usitatis. Atque etiam illud vos adjuvat, quod ni-
 hil nunc est necesse tympanis vias personent solymorum.
 Vnum credo restare, quod vos angat et sollicitet, quod im-
 pediat, quominus, quomodo modum desideratis, rem transactu
 facillimam perficiatis: quod ignotus vobis Puer iste fiet, quem
 interficiendum imperem; quem, ubicunque locorum ille la-
 teret, ex latebris vos extrahendum occultissimis, atque adeo
 ab inferorum caliginosis, tenebris eruendum putaretis, et
 dandum per vos protinus in conspectum, et in oculos He-
 rodis discernendum dilaniandumque; nec cuiusquam vos
 caperet misericordia: sed huiusce rei reperi quidem exit-
 tum, ut facile mihi persuadeo, postquam coepi consili-
 um plenum astus et calliditatis, ne Puer latitans evadat,
 ut quoniam incertum est, quis nam ille, et ubi locorum
 fiet, interficiatis quoscunque Infantes natos, nec missum
 faciatis quenquam: quem praeter miseritis, quod Deus
 omen avertat, hunc auctorem exitii mei futurum esse
 scitote. Atque ne parentes de nece filiorum edoctae in la-
 tebras abdant pueros, et conieciant in recessus aedium su-
 rum, inopinantes, et nihil huiusce mali miseris suspiran-
 tes de improvviso necessarium est invadatis. Non abituros
 vos creditote vacuos, si quod dedi, negotium confeceritis:
 nam praeter utilitates alias, praeter libertatem, praeter
 meam gratiam praemiis vos afficiam amplissimis conser-
 vatores meae dignitatis, et totius imperii Iudaeorum. Re-
 cordabor in perpetuum, quid a vobis ego, quid Iudaei
 omnes, atque ipsi etiam Romani beneficii acceperint.
 Quemadmodum vos remunerabo, quam maximis et am-
 plissimis muneribus, de liberalitate nostra, de compen-

fatis aliorum laboribus, de persolutis recte factorum præmissis, de nostrorum amplificatione administratorum cōjecturam facietis. Properate igitur in oppidum Bethlehẽm, quod ab urbe non abest longe, et invadentes clamoribus, et tumultu maximo districtos gladios in viscera, insigite puerorum, et infantum: quos prædixi, pueros transfigite, jugulate, trucidate, a parentum abstrahite complexu, allidite ad parietes; ad saxa, in cunis jacentes conficite pugionibus, si calefiat ad ignem cum infantibus in sinu parentes, conijcite in medias flammæ de brachiis, de cōplexu ablatos abreptosque parentum. Quid opus est pluribus? parentes cum filiis, si nulla sit aliter ratio necandorum infantum, et infantes cum parentibus trajicite. Nihil vos parentum lacrymæ, nihil ejulatus, nihil illarum preces, lacerationesque genarum, nihil laniatus capillorum, aspectus quicumque mulierum lugubris, atque miserabilis commoveat. Mea solum illis temporibus in animis, atque in memoria jussa, mandataque vestri Regis Herodis habete per opinionem, quam de vobis omnibus habui semper, si vos maximi feci, si principes meorum duxi, regnorum: si nūquam vos augere meis destiti beneficiis, neque cumulare semper adeo desinam, ut nulla major meorum in vos meritorum accessio fieri posse videatur: si denique collocaui nostram omnem spem in vobis propugnatoribus, et firmamentis nostrarum ditionum. Idem vos orare patriam creditote principem totius regni Iudæorum urbem solymorum potentissimam, arcem pulcherrimam, fortunatissimamque imperii nostri. Obsecrare putatote liberos, uxores, meam denique uxorem confortem regni, cujusque nihil clarius esse potest majestate regali, Regem Herodem. Vix absoluta Herodis oratione carnifices properare, et ad volare, et unusquisque quanta celeritate poterat, alius alii præfere, citius in oppidum pervenire conari. Itaque parentibus inopinantibus, et nihil mali suspicantibus, magno strepitu, atque tumultu invadere, adoriri quam tumultuosissime domos districtis gla-

gladiis, et oculorum aciem suo fulgore perstringentibus, gladios eisdem insigere in pectora puerorum, quos offendunt, partim a sinu complexuque parentum abreptos, aut allidere ad parietes, aut in medias flammæ conijcere, vel terram multorum cerebro spargere, aut transfigere una cum parentibus crudelissime, vel in ipsis cunis jacentes suffocare. Id temporis plangore, lamentisque matrum miserrimarum aedes personabant, et dum aliae parentes aliorum ploratibus puerorum, matrumque ejulatibus præmonitæ filios in latebras dare omni festinatione contendebant, ipsæ discursu erratico atque vago, pedum exaudito crepitu, præcipue pallido et exanguo vultu, ipso, qui proloqui matres prohibebat, intercluso spiritu, se ipsas indicabant, et latebras prodebant occultissimas. Cōcurrere illuc carnifices, consequi protinus parætes, hæc, ut filios eriperent, illi, ut arriperent trucidandos. Quid dicam crudelitatis amplius? sæpe dum parentes complexos, constrictosque tenerent infantes, cum carnifices ex una parte brachium ad se traherent, aut membrum aliquod, ex altera parentes summa vi adhibita retinere conarentur, in illa media contentione, inter manus ipsas, manibus utriusque discerpebantur, et dilaniabantur pueri. Iam cum excederet domo carnifex crudelissimus, pueri suis ploratibus carnificem ad jugulum appetendum revocabant. Parentes nonnullæ repertæ fuerunt, quæ cum supplici prece, cum lacrymis suis, cum lamenta omnibus nihil proficerent, incredibili robore, et magnitudine animi se ipsas gladiis objiciebant carnificum conficiendas. Quot vero cum fugerent carnifices, et caedes filiorum immanissimas, filios in complexu comportantes, cum ipso cursu, festinationeque tanta, una cum filiis pronæ proruebant, et parentes miserrimæ filios, priusquam gladiis satellitum appeteretur, ictus gravitate conficiebant? Plurimæ cum satellitibus verbis decertabant, atque contendendo clamabant. Quæ hæc tanta crudelitas, et immanitas? quæ tam immanis, et vestrum omnium fera na-

tura? parentibus ne vos nati? suscepti ne atque in hanc lucem editi? uxores ne duxistis, et habetis modo homines crudelissimi? suscepistis ne filios, qui sic nostros vita crudelissime privatis? quantus parentum sit amor in filios? quantum valeat communio sanguinis, quantam vim habeat natura nūquam aspexistis? Crudeles, immanes, feris omnibus diriores, qui tam immaniter pueros innocētes gladiis trajiciatis, tam impie vitam, et spiritum adimatīs parvulis, et nūc vix ad lucem aspiciendam oculos aperientibus. Quid hi meruerunt? quid peccaverunt parvuli? Nos prius cōfite, quas aequius fuerat, quoniā hos suscepimus, prius exire de vita, quae malo tanto dignae fuimus: quae cum tam tetrīs et immanibus belluis, cum hominibus omni diritate et immanitate tetricioribus nos aerumnosās conjunximus. Furere tunc magis satellites, et omnia loca caedibus funestare parvulorū; ut impetus, atque ictus, quo pertineant, non intelligerent nam filios appetendo, matres trajiciebāt. Alacris exultabat invidia in funeribus omnis generis, et aetatis praedictae puero- rum; sanguis per atria, per cubicula diffundebatur, imbuebantur lecti, cunaeque innocentium sanguine profuso. Parentes, quae superstitēs erant, vociferari, lamētari, capillos evellere, dilacerare genas, discindere vestes, dicere se miseras, et omniū miserrimas, quas Sol unquā aspexisset. Mater illa clamabat, quid a me filiū abstrahis, filiū, quē novem mēses in utero gēsi, quem peperī? qui ex me natus fuit? illum ego alui indulgentius, quem tu tam indignissime tractas lumen oculorum meorum, vitam atque salutem. Si quid sceleris, aut peccati contractum, totum illud, si quid est, quod certe nullum erit, totum est nostrū: absunt ab omni culpa prorsus infantes, qui neque peccatum committere possunt, et illos extra culpam ponit infantilis aetas nulla mente neque ratione praedita. Me igitur invade, filium missum fac. Qui fletus aliarum? qui clamores, et voces cum singultibus, et lacrymis acerbissimis permixtae? Messia sanctissime, Asser-

tor

tor generis hominū, vindex humanae libertatis, veni quae- so jam tandem, produc te precor, et proferto gēti Iudaeorū, offer te et ostende carnificibus, da te ipsum in conspectū harum belluarum immanissimarum, qui te pōtes virtute tua salvum et incolumem servare, et nos, atque filios nostros ex manibus, atque gladiis intētis liberare. Non factitatum est, nec a barbaris unquam ullis tantum et tam immane scelus: nec puerum quidem relinquunt homines scelestissimi huc tui ipsius quaerēdi et investigādi causa fatellites ab Herode, teterrimo dimissi. Ne fletus parentum miserrimarū audis? ne nostros ejulatus, ne ploratus puero- rum, ne vim sanguinis profusi, ne paludes cruoris stagnantes aspicias? parentes tanta mala cernere? perpeti filiorum mortes indignissimas, et non occumbere cum filiis nos omnes, ut cum pueris, nos etiam puncto temporis mortem oppetamus, quando id providere non potuimus, ut crudelitatem tantam, et immanitatem non videremus? Sed satis querelarum sit, nam matres filiorum necesse queri, et deplorare desinerent, si scientes fuissent aeternae felicitatis, ad quam pueri tanto sanguine profuso, pro meritis maximis Christi Iesu vocantur.

FERIAE PVERO IESV CIRCVN-

cifo sacrae.

(S)



IES hic facer est circumciso Puerō Iesu, qui cum feriis Natalitiorum ejusdem Domini conjungitur. Ille autem octava lux est a Natalitiorum feriis celeberrimis, et in eo sanguis non solum Infantis Iesu profusus recolitur, sed nati atque prodeuntis in hanc lucem octo- dialia jucundissima. Dies equidem hic spectaculum consti-

M 4 tuit

tuit oculis, et animis mortalium grave quidem, et ad peccati tyrannidem depellendam, et ad Carnis indomitas cupiditates coercendas appositissimum, tum ad sensum, et ad dolorem Virginis Mariae, sanctique Iosephi acerbum, et luctuosum. Cui sacerdos accederet inspectante Virgine, stricto gladio carnem Infantis Iesu resectum teneram atque caelestem; cum eundem ipsa Virgo nudatum indumentis statueret sacerdoti signo circumcisionis, quo Iudaei a reliquis nationibus inter noscebantur, notandum, et quasi puerum de reliquis aliquem, peccati stigmatibus inurendum, quem sentum rantam, tamque praecellentem Dominam habuisse putatis? quantum ipsam parentum omnium optimam doloris et acerbitatis hausisse? Cum gladium videret imminetum, et iam iam intentum ad carnem discindendam, cum negotium transigeretur profluente sanguine, plorante Pueri praemagnitudine doloris ad patiendum tolerandumque difficillimi, minime lacrymas tenere potuisset: quae oborirentur ex aspectu, et sensu doloris, quem sanctissimum Infantem accipere videbat acerbissimum. In illius tum animo multa verberarentur, et ad dolorem augendum gravissima, dignitas Pueri, eiusdem innocentia, summus splendor, et decus immortale, tanta et tam admiranda demissio: qui cum peccatum nullum suscepisset, nec suscipere posset unquam, peccati tamen se notis plusquam Threiciis deformandum, compungendumque tradiderit non contentus naturam humanam in utero suo cum divina copulasse. Id temporis vagientem et plorantem Infantem post signum carni puerili circumcisionis impressum in manus sumeret Virgo sanctissima, modis omnibus divino blandiretur Pueri, demulcendo caput sanctissimum, et abstergendo lacrymulas, reprimere conaretur ploratus, ne magis fieret orans et obsecrans. Quid amplius? quod parentes faciunt, ut ad placandos pueros causam in fratres, in sorores, in aeneillas, aut in aliquem de praesentibus coniciant, caedentes illos tanquam auctores maleficii, et effecto-

res

res huiusmodi lacrymarum, et simulatis verbis alio iubentes abire de conspectu suo, quod dederint causam puero irascendi, quod lacepsierint, quod adduxerint in hos fletus, et in tantas lacrymas, et cum usitatis minis, et terroribus simulatis, futurum, ut si quidquam mali venustissimo et suavissimo puero fecerint in posterum, gravius et acerbius puniantur: si non id omne, quoniam serio verum semper alloquuta fuit, at culpam in peccatorem conferens cur non placandum leniendumque. Puerum Iesum, ori filii suum os admovendo, et ad fugendum lac invitando eadem mater patietissima procuraret. Plorabat Puer Iesus sanguine multo profluens, non minus Mariae agebat, utriusque fletu commotus Iosephus lacrymas effunderet plurimas, qui fortasse tanta fuit circumcisionis administer. Utinam et ad demissionem, et ad caritatem in proximos colendam, et ad peccati tyrannidem ex animis nostris depellendam valeat praesens Pueri circumcisionis spectaculum. Nam si rubores matutini caelorum aquas ad Solis occasum futuras praedicunt, de sanguine nunc primum in ipso introitu vitae pro genere hominum per Puerum Iesum profuso licet conicere, quam magna in decessu vitae huiusce Christo Iesu in Cruce morituro veniet tempestas doloris, sanguinis, et acerbis reliquarum, quas pro nostra libertate fortiter, atque libenter perferet.

REGALIA.

CCCEDVNT his diebus feriae trium Regum Magorum, in quod usque tempus silent omnes fere lites, tumultusque causarum forensium; neque negotia propter celebritatem adhuc Natalitiorum existentem expediuntur. Haec felix ac fausta fuit illa dies, cum Balthasar, Gaspar, et Melchior, tres Reges clarissimi, stellula, quam de caelo observaverant, praecunte, relictis gubernaculis suorum impe-

N rio-

riorum, per ignota; diversaque terrarum loca, itineribus longissimis Hierosolymas pervenerunt: et quonia hyems erat, frigus maximum, nives, et pruinas, et aquas hyemales pertulerunt plurimas. Atque illi nullo strepitu, neque tumultu, nullo apparatu magnifico, nulla regiae majestatis ostentatione, nullis denique cursoribus, nulla gaza regali praemissa, tandem post tredecim dierum iter Hierosolymas accedunt: ubi stella, quae tantos tamque sapientes Reges, deducebat, et conspectu se abduxit. Quid agerent Reges, amissa de conspectu suo stella, qua duce tot terrarum spatia confecerant? consistenter expectantes, quoad illa se denique daret in conspectum? An quia videbatur ire legitimum, et necessarium jam factum esse, ab oppidanis de Rege quaerere, vel lumerent spatium ad cogitandum, quid facto opus esset? Id Reges capiunt consilii, ut Regem adeant Herodem, futurum quidem sperantes, ut ab illo de nato Iudaeorum Rege doceretur. Ingrediuntur Reges, post salutem plurimam impertitam causam adventus aperiunt, aspectu Regum, et percussione nova commovetur Herodes vehementissime, perturbatior quam dici potest, quo verba spectarent, metuere coepit: an ad regnum pertinerent, quod ille per tyrannidem occupaverat, adimendum. Quo se spoliari dum timebat, quae id temporis protinus machinatum fuisse putatis Herodem? quas in partes mentem versasse suam, si posset occurrere malo jam tunc instanti, et ut ipse cogitabat, praesenti? Non vult se ipsum indicare Regibus, sed regni sapientibus accersitis, cum ab eis accepisset, promissum generi Iudaeorum esse Regem, atque illum precibus majorum flagitatum expectari, denique id temporis esse, cum de praedictionibus vatum, natum oportebat esse, magis angere videbatur, et ex cruciari, neque sui compos ad respondendum. Summisse credibile fuit Herodem aliquantulum spatium ad se colligendum, ut ficte simulataque responderet. Itaque oratione benigna Regum animos ad benevolentiam allicere conatus, eosdemque blande appellando

do regum nominibus honorificis delinire pergit: dimittit illos de sapientum legis antiquae Responsis in oppidum Bethlehem, in quo oraculis traditum est, Regem hunc tantum tamque praepotentem, quem illi quaerebant, esse nasciturum, atque ficto non modo sermone, sed etiam vultu orat et obsecrat, ut post honorem huic tanto Regi tributum, ad se revertantur: quod in animo sibi etiam sit, parem se aut proximum ipsis esse cultu debitaque religione praestanda: quod illi fecerunt, cuiusque rei causa tot dierum iter contenderint, se cupere vehementer, et velle facere. Reges igitur dimissi, simulatque ab Herode discesserunt, respiciunt stellam praecedentem. Gaudere, lactari, conferre suum iter, atque persequi, ad sideris ductum pergendo semper, nec unquam desistere, donec in porticum accesserunt. Id temporis consistere stella, ingredi Reges, jacentem Iesum in praesepe videre inter duo interjectum animalia, plorantem, et vagientem, indumentis amictum, costriatumque fasciis. Aula regia, porticus, magnates, et aulici, Iosephus erat et Virgo Maria: summa stabuli humilitas erat, et indignitas incredibilis, et in Puerio tamen hominem, et Deum Reges agnoscere, et profiteri humiliter admodum atque demisse. O fidem Regum tantorum admirabilem. Abjicere se protinus, atque prosternere ad praesepe Reges, et suis donis ac muneribus, myrrha, thure, et auro majestatem Infantis Iesu supplices afficere, et hominem, et Regem, et Deum profitentes. Quod obsecro gaudium Iosephi? quae laetitia Mariae? quae voluptas utriusque, cum vix tredecim dies nactum Puerum Iesum, vident fructus tam uberis, tamque praestantes ferre Natalitiorum? Dum sacrum Evangelium loquetur, quod nunquam silebit, dum genus hominum fuerit, tantorum fidem Regum, tam admirabilem, tamque stupendam nunquam genus hominum obliviscetur.



LVSTRATIO, VVLGO PVRI-
ficatio.

Dies Lustrationis ad memoriã Virginis Mariae
sele demittentis et abijcientis sempiternam
a genere Christianorum recolitur. Nam cum
quadraginta dies essent, postquam illa Puerũ
Iesum in lucem ediderat, et in veteri more, et
instituto Iudaeorum positum fuisset, ut mulieres hoc ipso
intervallo temporis elapso venirent in templum se purga-
tum, et elutum maculam, quam sibi ipsae parientes inulle-
rant, legem, qua soluta fuerat (quippe quae Virgo Christum
Iesum interventu Spiritus divini conceperat, et eundem in-
tegra et incorrupta pepererat) pie sancteque servavit. Ipsa
quidem recordatio sensus afficit in demissione tantae tam-
que caelestis Reginae prorsus intentos. Cum summa prae-
potensque caelorum Regina ipsa suavissimum Infan-tem Ie-
sum in sinu complexuque suo tenens portaret in templum
flexis genibus, magno studio atque religione aeterno Patri
devovendum, Simeon vero divino Spiritu afflatus nullum
fortasse somnum suis oculis tota, quae praecesserat, nocte
vidisset, et exspectans lucem singularum horarũ expecta-
tione vehementer urgeretur, aliquam de die, nunquam non
eandem de Sole, qui non incitatisimus ferretur, querelã ha-
bens, ut sumtum in suas manus Vindicẽm humanae liberta-
tis iret atque contenderet in tẽplum. Cum igitur dies jam
illuceret, primo credo diluculo, statim albente caelo, arrepto
scipione, cui inniteretur ad gradum stabiliendum, cũ ani-
mi vires corporis imbecillitas non retardaret, festinat et ac-
celerat in templum, in quo exspectat auroram Sole Christo
Iesu amictam, a valvis nunquam oculos dejicit, exspectans
adventum, et ingressum optatum: cujus fulgore, cum clari-
us splendore Solis tẽplum lucere coepisset et illustrari claris-
sime

sime, quam a vide Matrem, et Iesum intueretur? Cum Virgo
demissione magna, cũ donis et muneribus in Simeonis ma-
nus Puerum Iesum traderet, sacerdos tantus qua fide, qua
religione sumisset? Cerneret illum, circumspiceret, ac res-
piceret, et quanvis humana specie atque figura praeditum,
in hominis forma delitescentem Deum recognoscit, atque
veneratur. Cujus tãquam cygnea fuit divini hominis vox.
Nunc tandem summe praepotensque Deus ex his corporis
vinculis solve Simeonem tuum administrum, quoniã quã
mihi dederas, cumulate fidẽ praestitisti, visurum me oculis
meis Assertorem generis hominum, lumen et gloriã filio-
rum Itraëtis. Anna, quae instinctu divini numinis in tẽplo
fuerat, et illis caelestibus, et admirandis interfuerat spectacu-
lis, prae gaudio, prae laetitia vix sui composuisse visa est.
Exire de templo, clamare cunctis de via, nuntiare per vias,
per loca celebriora civitatis depulsionem servitutis huma-
nae, Messiam natum jam, atque eundem suis oculis aspectũ
in intimi templi parietibus, qui metiri non illam pateretur,
a Simeone quaerere, quod ipsa nuntiabat, futurum, ut idẽ
sacerdos proculdubio comprobaret.

BACCHANALIA, SIVE HILARIA.

Bacchanalia (quae vulgo Carnes tollendae di-
cuntur) viris, et mulieribus, pueris, et adoles-
centibus varias afferunt delectationes, quarũ
aliae sunt detestabiles et execrandae, aliae lu-
dicrae, jucundaeque. Pueri concedunt in soli-
tudinẽ ad gallos agitãdos, quos multis malis Medicis im-
petunt, agitant, vexant, atque caedunt. Atque isti fugientẽ
gallum insequantur, et ut quisque cursũ praeire potest, mi-
serum vehementius insectatur, ut cristas, aut plumas evellat.
Itaque videas sparsos ac dispersos plurimos tecto, transver-
soque cursũ in gallum incitatos ferri, gallum ad volantem,

ut ictus, et manus agitatorum evadat, omnes eo tempore vinctam ingentem malorum Medicorum in corpus, in caput conijcere, hos corpus, illos eorum petere, qui cursu gallum nanciscitur, hunc plumam unam, aut alteram evellere, aut pedibus, vel alis arreptum projicere medium in aëra sublimem aliquod loci spatium ad volaturum, et casurum postea impetu, strepituque vehementi. Denique agitatum et vexatum miserrime gallum, in orbem, quem confecerunt, agitadores includunt, et omni exitu praeccluso, obruant et conficiunt ingenti multitudine malorum Medicorum: postea de loco praecelso sublatis pedibus suspēdunt, et prono capite, quod a collo praecisum, et gladio affixum, ad speciem et similitudinem triumphi gestant, et agitatoribus inaniter ostendunt, quasi praeciso capite magnum aliquod, et egregium facinus fecissent. In civitate quanta est equitum temeritas, et infania, qui ova rosarum, aut Angelorum aqua plenissima conijciunt in ora vultusque mortalium? quanta insulitas aliorum, et ineptiae, qui furfures spargunt, et late diffundunt, sublimesque projiciunt, atque totum hominis corpus, caput, et barbam ipsam vi et copia furfurum spargunt? Idem de viis, de subdialibus pavimentis, de fenestris, de locis occultis, et apertis mala Medica jaciētes nullam rationem habēt honoratorum, aut infimorum hominum. Alii nullo discrimine malis Medicis omne genus hominum petere, ut se dant in conspectum suum, aut suam viciniam praetereunt, sine modo, sine moderatione perstant. Ita videas mala Medica longe, lateque sparsa, integra, aut fracta, aut in multas partes divisa, vias, et plateas illorum operiri multitudine, ut quacunq; transferis, omnia loca malis Medicis strata videantur. Homines infimi, et contemptissimi ementiuntur personas pastorum, anicularum, et Daemonis, et alias fictas et simulatas suscipiunt figuras: in quorum habitum atque formam lustrant vias omnes, obtunt domos notas, et ignotas, et petitionem, lu-

ca-

canicas, et farcimina extorquent, transfixasque veribus per vias omnes carnes crudas gestant, et ostentant hominibus, in quos inciderint dissonis clamoribus, et similes invitantium ad edendas, obliguriendasque cum suis, ea, quae sequitur, nocte heluonibus. Inter alias autem formas ementitas, atque simulationes Lupercalium, qui Daemonem agunt, quam se deformes, et horribicos praebent figura Daemonis horribili suscepta, cum nigro colore, carbonariosum similes, fuligine aspersi culinae, tum in vestitu flammis depictis inferorum, atque caligis angustis, et adductis aequaliter ex omni parte: undique a tergo pendente cauda, adeo deformi, longaque adeo, ut tertiam verrat, et quacunq; praetereat, sordes agitet, atque secum trahat? hunc puerorum infinita multitudo consequitur, et antecedit multis vociferationibus, et horrendis clamoribus, quorum ii a fronte deludere certatim contendunt, alii a lateribus, et a tergo caedere manibus, aut intentu palmarum frequenti revocare saepissime; et qui ex omnibus audacissimi sunt, arrepta cauda remorari, retrahere, et in unum, et in alterum versare latus. Ille vero cum vesicas in manibus gerat, ex omni parte raptim, atque furenter caedere pueros, fugare passim, atque repellere, arcere multitudinem occurrentium. Non risus minores illa commovet anicularum figura, quae os, et vultum ementiuntur anilem rugis exaratum, atque deformem quasi deficientibus jam in ore dentibus sonos vocis distinctos non edunt: ita praetergrediuntur vias dicendo filum, intorquendoque de colo tractum, atque suspensum, ut nere videantur, mille gestus agendo, cum gibbo deformi, ut incurvae incedant, tardo gradu, iquali gravitatem corporis praeeorum multitudine senio confectae, quae ad octoginta annos vitam perduxerint, perferre nequeant. Ita deliram et dementem animum agunt, ut magis quam istas simulatas aniculas delirare videris nullas. His in

Bacchanalibus maxime jentacula, antioenia, prandia, coenaeque celebrantur: neque in vico gallinario genus ullum avium, quibus mensae non exstruatur, omittitur: Cereri, Bacchoque viri, mulieresque indulgent; et illam, quae diem cinerum antecedit, nocte totam carnibus assis, coctisque ventrem inferciendo replendoque in horam usque duodecimam, numerantes horas, et horarum partes singulas, quae defunctae ad exitum usque Bacchanalium, insumunt. Tempus istud antequam adsit, et veniat, horam unam cum restare vident, multi tabernae adeunt adolescentes pistorum, ut quam minimo artocreata mercetur deglutienda bina, ternaque; quae pistorum non modo minoris solito vendunt, sed etiam plane gratis donant amicis, ea perdituri aliter in eunte media nocte, quod tempus est praesentis quadragesimae.

QUADRAGINTA DIALIA SIVE

dies majoris jejunii.

(S)

Tempus quadragesimae statim consequitur plenum pietatis, et religionis, et omnis generis bonarum actionum, atque virtutum: cum cultores Fidei Christianae, qui unum et viginti jam annos habuerunt, in eadem quadragesimae perferre debeant de praescriptionibus matris Ecclesiae: nisi in perturbationes aliquas animorum, aut exanimationes inciderint, aut imbecillitate virium, aut incommoda valetudine, aut aliis de causis de mandato medicorum id facere non astringantur. Sed omnes, nisi qui non aegrotaverint, aut habuerint aliquam excusationem legitimam, carnibus abstinere debent, et piscibus vesci. Ita macellum carniarium conclusum est hoc anni tempore, forum autem piscarium patet, in quo omnis generis pisces venduntur. Itaque comportari videntur muli, soleae, alosae, anguillae, cœgri, murænae, lucii, ostrea

ostrea, polypus, salmones, sardae, sepiae, thynni, aranei, cœcri, auratae, lampetrae, rhombi, atque alia, quae venduntur in foro piscario: ut cujusque genus et fortuna ferat. Ita domos hisce diebus pisces olere dices elixos, frixos, aut assos maxime, quorum nidore redolet culina in sublime sese ferente, et in illis comparandis ad prandia ancillas occupari, desquamare primo, exenterare deinde, purgare postea, et abluere, denique assare, torrere, aut decoquere, vel frictos conari reddere, ut apponantur in mensa, atque illorum apparatu mensae celebrentur, et exstruantur. Ad jus vero conficiendum non minore cura comparantur pastinacae, betae, caules, brassicae, cucurbitae hyemales, cicer, oriza, et alia istius, aut diversi generis. Adde ova, lac, et quae ex iis tam multa conficiuntur genera ciborum.

PRANDIA HVIUSCE TEMPORIS.

HIS, et aliis supradictis rebus apparatus, et exstruuntur mensae diebus Quadragesimae, in quibus ad primas mesas fructus apponi solent, qui communiter venales habentur in civitatibus. Jus est ex supradictis rebus: deinde genera diversorum piscium inferuntur in mensam, assa, frixa, elixa, Artichitiae pipere, cocro, et aliis aromatibus conditae: quarum panis saepe suavissimus, piscibus infertus avidius manditur. Qui beneficio bullae ovis, et lacte vesci possunt, lautius, et jucundius edunt, quam diebus ipsis carnium vescendarum: nam quae varietas ovorum? sive assa sint, sive frixa, atque haec, aut stellata, aut orbiculata, aut involuta, alia elixa, et ultima dura, vel mollia vulgo sorbilia? Finge tibi duo inferri paria sorbilia ovorum, quid ages nisi videns illa rotunda, vel ex utraque parte acuminata, media vero, quemadmodum eminent, et tumores suo sese efferunt aliquantulum, leviter ea frangendo testa nudaveris, et sua membrana tenuissima, quae sunt ovorum tegumenta, et albumen, atque luteum

O teum

teum ovi, quod vitellus appellatur, forbueris, nisi tanquam politus, et elegans reliqueris albuginem, integrum vitellum absorbendo: Ova communia sunt, sed ad escas quadragesimae magni habita, maxime recentia, et plura, si gemina fuerint: nam irrita, et pullescentia, non raro veterrimae evadunt. Ovis coqui utuntur ad condiendas, et concinnandas escas hujusce temporis. Atque haec de ovis, modo de lacte separatim.

LACTARIA.

EX lacte quam multa conficiuntur? Qui se contulerit in caulas aliquando pastorum, et ex viminibus contexta turguriola, non potuit non vidisse gregem ovium, quas pastores vesperi duas horas ante Solem occidentem in ovile compulas mulgere quotidie solent. Illud cum retibus undique circumdaturum sit, ne qua non emulsa possit ovis evadere, singulas pastor arripiens, et exprimens in multrale subjectum nberem manibus apprehenso, sic emulget, donec nihil reliquum lactis fiet: emulsa dimittit in agros patentes et apertos ad pascendum. Ita omnes percurrit oves, quae plenissimis uberibus, tanta plerunque copia lactis abundant, ut multralia multo lacte completa redundant et effundantur. Oves lacte quam plurimas utilitates praebet; sed ipsum lac liquidum candore suo praebens speciem nivis albens, sive coctum per se, sive permixtum; et ad condiciones adhibitum varias atque multiplicatas, quos habeat usus, quam mirificos, atque praestantes, aspiciamus? Cum vero lac decoquitur, et coctum, in caseariam inclusum, atque constrictum est, casei recentes formantur, ad exiguitatem, et ad magnitudinem, quam volumus, ex omni parte rotundati. Serum, et coagula lactis notissima sunt. Quae recocta constantur ex lacte, omnium suavissima judicantur praeter pingua lactis, ex ejusdem lactis cremore coagulata, cum florem lactis colligant, et absorbeant, multo suaviora. Illi vero globuli, et orbiculi lactei

tara-

tanta suavitate, et dulcedine sunt, ut ad pingua lactis proxime accedant: maxime vero melle, vel saccharo perfusi gustatum omnem voluptarium lactis superant atque vincunt interjecti inter panem recentem, aut tostum: ut plerunque venire solent Hispani. Ex his coagulatis atque coctis turres, et castella pinnulis lacteis circumdata extruuntur, et excitantur, quas gladiolis velut tormentis bellicis everti, et in patinis ad primas mensas adhiberi satis usitatum est.

RES HEBDOMADAE MAXIMI

jejunii.

Vae de Quadragesima praediximus ad corpus spectant, quae vero sequuntur ad animum. Tempus autem istud mirabiles animis praebet utilitates. Quae species et forma templorum? illorum arae nigro, et lugubri amictu convestiuntur, simulachra sanctorum pullo vestitu amictuuntur, tabulae altarium deauratae, et imaginibus variis illustratae, velis longissimis eodem colore obducuntur: neque unquam relinquuntur patentes, nisi dierum interventu festorum, atque solennium, quae his temporibus anniversaria celebritate incidere solent: atque id temporis cortinae ad eundem usum suspensae de tabula, et imaginibus patefactis adducuntur et contrahuntur propter summam diei celebritatem. Pubulae sunt decora et ornamenta sacerdotum, et omnia sunt ejusmodi, quae praebent speciem luctus ac moeroris, et aspectu suo pungat et stimulet acriter hominum mentes, ut animorum sordes eluant, expiet habes omnes, et in gratiam cum suo creatore redeant. Ad hanc rem magnam adjumentum afferunt hominibus nostris rationes, quae cum sanctis hebdomadis quadragesimae, omnibus in templis, diebus Lunae, Mercurii, et Veneris haberi solent, illustrationes usitatae templorum, frequentatio sacellorum, et religiosarum aedium, quas hoc tempore obeundo, precesque adhibendo praefinitas, quoties eas adhibere iussi sunt cultores Christianae Fidei expia-

O z tis

tis saepe conscientijs, aut magno sensu, et dolore flagitiorum habito, animo et voluntate eluendi sordes animorum per confessionem, dono ac munere Romani Pontificis culpae liberationem, et veniam peccatorum impetrat. Itur plenissimis ad templa viis, facta vi ad perrumpendam multitudinem, et ad fluctus euntium, et redeuntium superandos, percussationibus, et responsionibus mutuis de modo, praescriptioneque indulgentiarum, atque ea de re pro valvis templorum latissime explicatio, et ordo rerum gerendarum, et omnis adhibendae diligentiae ad gratiam consequendam ratio modisque proponuntur: id quod caeci quam intentam vocem templum ingredientibus praedicant; concionatores Divini verbi, dies aliquot ante, ut in gratia Dei et amicitia tantum beneficium impetrent, quid facto opus sit, de suggestis enuntiant; denique pietas et religio, summa sanctimonia, traditiones animorum plurimae, singulares et insignes multorum conversiones, qui a saeculi vanitate discesserunt, hoc solennis inediae magis quam alio tempore prospiciuntur: qui celebritate confitentium, et exercitationum frequentatione sanctissimarum, auditione frequenti concionum in diversos sacrarum familiarum coetus nuntio rebus saeculi remisso, sese cooptandos ascribendosque dederunt. Quid dicam de poenis variis atque diversis corporum, quas homines partim sua voluntate susceptas, partim per confessarios statutis persolvunt? Hi nudis pedibus obire templa sanctorum, illi funibus corpora praecingere, alii humeros onerare ferro, multi molem aliquam comportare crucis, non pauci diverberatione sanguinem profundere. Atque haec sunt praeter occultas diverberationes, castigationes corporis, cilicia adhibita, compressiones animorum, et communem pietatem, atque religionem, temporis studium, et ardorem virtutis inflammatum, qui viget hisce diebus, et maxime cernitur, et apparet.

(S)

FOR

FORMA POENITENTIS.

Forma tibi et species poenitentis ante oculos versabitur, qui capillo longissimo, barbaque longiore incomta sit et impexa, oculis obrutis, facie pallida, et exhausta, colore naturali amisso, horrido et inculto corpore. Is carnibus inhaerens cilicium gerit, et supra illud sacco asperillum, fune ex multis funiculis intorto corpore medium praecingit, a dextra Virgineum circulum ex globis praegrandibus, atque rotundis constantem habet suspensum, a sinistra scuticam ex multis funiculis, et ferro inserto factam. Ille vero cum aperto capite, et nudis pedibus incedat, tanta imbecillitate corporis, et infirmitate viri est, ut vix se loco commovere videatur: totus exhaustus est et absortus, ut vocem praetenuitate spiritus vix mittere posse videatur, et effigies iudicetur spirantis prope mortui. Quot istius poenitentis similes, si non omnino, at magna ex parte occurrebant, et videbantur compressi angustiis istiusmodi maximis, in quas corpus, et carnem exercentes, et omni ratione vexantes adducebant? non confitentium multitudo, non numerus ad sacerdotum pedes jacentium infinitus in mentem venit? quae videbitur illorum species et forma eluentium sordes animorum? Non illi videntur in animo tuo versari ad confessionem auricularem accessuri? quemadmodum se primum abdunt in cubiculum, redigunt in memoriam verba, cogitata, facta in divinam majestatem admissa, prius precantur Deum, ut omnia scelera, quae susceperint, redeant illis in memoriam, ut eos flagitiorum suorum poeniteat, ut conscientiam expiare possint, nullum, nec minimum peccatum obliviscetes ab illo tempore, cum ultimo sordes animorum eluerint? Qua precatione tibi redegerunt in memoriam crimina, quae sunt expiaturi, non abjecti ante imaginem aliquam, vel procumbentes

○ 3 in

ingenua in conspectu simulachri, vel Iesu Christi, vel Virginitatis Mariae, motu, et sensu animorum afficiuntur quam maximo, doloreque poene conficiuntur gravissimo ex recordatione flagitiorum suorum, ex conscientia scelerum admissorum, ut afficiantur vehementissime, ut dirumpi divellique dolore videantur, ut quas potuerint, lacrymas effundat, veniam peccatorum petendo quam humiliter atque demisse, vere et ex animo, quod tantum Dominum, Dominum et creatorem nefarie offenderint, profitendo se nihil in posterum tale commissuros esse, commutatos vitam in melius, et nihil amplius, nihil magis quaesituros, quam gloriam Dei immortalis, quam salutem animorum? non videmur audire homines in hunc modum lamentantes. Tu mi Deus, qui benignus et misericors es, qui non vis interitum peccatoris, sed ut ad se redeat, et in tua gratia sit in perpetuum; ut gloriam caelorum paret, et manus Daemonis, poenas fugiat inferorum; per flagra, per spinas, per cruciatus Filii tui, per merita tanti Domini, per mortem Crucis acerbissimam, nobis peccatorum et scelerum nostrorum dabis veniam: hanc petimus, et efflagitamus supplices, et ad tuam misericordiam confugientes. Hos homines ita comparatos ad confessionem, ad pedes confessorum prostratos contemplamini utroque genu flexo, apertis capitibus, junctis manibus, et oculis in terram defixis, quam magno sensu ac dolore animi patefacere conscientias suas, totos squalore maximo affectos, simplici, et aperta utentes narratione peccatorum, nihil volentes celare confessarios, sed sensus omnes intimos animorum ostendere, ut confessarii possint illis aegrotantibus adhibere salutarem medicinam. Quemadmodum vinculis peccatorum soluti, a pedibus illorum exsurgunt? quemadmodum rite confessi peccata sua poenam pro suis sceleribus per confessarios, constitutam persolvendam curant? inde tot et tam multa poenarum genera, inde variae suppliciorum acerbitates, quibus se hoc anni tempore magna mortalium pars excarnificat.

RA

RAMALIA, SIVE PALMARIA.



Dies Domini palmarum sacra solennisque habetur, cum ingressus Christi Iesu in Solymorum urbem solenni supplicatione palmarum instauretur: quae post sacratos ramos haberi solet. In illa praeferentibus Cruces singularum paroeciarum ipsis aedituis ornatas manicis pretiosissimis, et filo aureo intertextis, presbyteri, portuarii, canonici in duos ordines distributi, longo agmine, illustri et splendida pompa, omnes in linteis albei nive candidioribus palmas in sublime elatas gestant in dextris ingressu sacrae inuentis hebdomadae religione dignissimo, summa specie, et maxima dignitate procedentes: omnium ultimi pallis, et indumentis pretiosissimis amicti progrediuntur facturi rem divinam, atque hi praeferunt admotas pectoribus imagines pulcherrimas ex auro, vel argento: Pontifex populum claudit, quibus tribuni plebis, senatores, Praetor consequuntur. Egregium quidem est spectaculum, siue florem ecclesiae, siue lumina civitatis, siue cruces ipsas, atque proceras, et teneras palmas elatas in sublime tuis oculis spectare velis a summo leviter inflexas; cum ipsae palmae sua gravitate ferri videantur ad terram, tum aura flante ventilatae perstreperunt, atque sonos edunt gratissimos. Cum tamen praeseferant introitum Iesu Christi in Solymorum urbem, an animus demulceri desinet, et accipere voluptatem incredibilem amplectens ingredientem in civitatem Iesum Christum, insidentem in asina, multitudinem sese effundentem innumerabilem, et hos pallis sternentes vias, illos palmas in specie victoriae caesas asportantes. Quaeumque Iesus praeteribat, omnes gaudere lactarique vehementer, secunda acclamatione excipere, dicere regem suum, ac praedicare vindicem expectatum Israelis, et liberatorem universam multitudinem. Hac supplicationem consequitur passio Domini vocu suavissime.

O 4 CO-

cōcinētiū modulatione decātāda, quae duros, ac ferreos animos nō potest nō emollire. Quā in hac Ecclesia Hispalēsi, et caeteris huiusmodi dignitate praeditis, non audire solū, sed etiam decantantes spectare, quantam affert pietatem atque religionem? Epistola jam decātata, cum in ara maxima pullo vestitu amicti maneant absoluturi sacrum canonici, qui illud instituerunt, cantores exeunt in publicum, et singuli in sua se loc accipiunt passionem decātaturī Iesu Christi, populi, atque Iudae personas actum cum stolis, et amictu, in alba veste prodeūtes, atque unus occupat dextrum, alter suggestum sinistrum: acturus Christi personam, ut ab omnibus videatur, medium locum tenet: et in ipso choro cantorum coetus universus a fronte, et a lateribus plutei consistēs, suas vices expectat, et acuta, media, gravi voce, suis stans intervallis pro rata proportione, concentu et harmonia mirabili conjunctim omnium aures excitat, et animos tollit ad caelestia, multitudine et diversitate tantae modulationis ecclesia tota personante in ipsius passionis decursu, et in exitu praecipue, cum admortem Iesu Christi, et ad extremum, quē in Cruce tantus iste Dominus spiritum edidit, perventum est. Cum scissi veli, et apertorum sepulchrorum, et offusurū orbi terraetenebrarū lugubris et horrificus exauditur cantus, intermissione facta canendi, quanto cum silentio in genua procumbēte spectatorum universa multitudine motus sunt animorum maximū? suspirare homines, collacrymare multi, alii crebris ictibus pectora sua caedere, omnis generis virorum, atque mulierum summum fieri silentium, demissis corporibus, et oculis intueri terram, postea erigente se sacerdote, ad ea quae restāt, absolvēda, sese omnes erigere quasi pavidi et attoniti, et fere sensibus alienati suis, praesensū, praedolore maximo, quem excruciatibus in memoriam redactis exhaurerunt, proferre multi strophiola ad oculos abstergendos lacrymas adhuc effundentes acerbissimas, quas ponte obortas, et totis genis profluentes abundanter tene-

re non possunt, mulieres praefertim, quae natura, et animo teneriore, lamētis et ejulatibus miseris facellum omne cōplere, quarum non paucae hisce diebus exanimari. Tantus est sensus, et magnitudo doloris, quā recordatio cruciatuū Christi Iesu in animis bonorum Christianae Fidei cultorum excitat.

FERIA QVARTA HEBDO-

MAE. *Quarta hebdomadae quae vocatur hebdomada majoris.*

Feria quarta ad officia, quae tenebrarū vulgo dicuntur, signum datur omniū cymbalis ecclesiarum: duobus ultimis propter corpus Domini sepulturae mandatum intermisso prorsus pulsu sonoque cymbalorū populus, et clerus universus ad matutinas horum dierum preces decantādas, et audiendas hora consueta convenit. Ita templum compositum, et comparata sunt omnia, ut candelabrum altissimū, et amplissimum in stato jam loco constitutum aspiciatur, atque illud quattuordecim candelis minorib⁹, et omniū una maxima instructum, in quo suis in sedibus, a latere dextro, et a sinistro positae pari numero septenū, et in summo media interjecta maxima, quae Virginis Mariae dicitur. Omnes, cū inchoandū est precū matutinarū officium, accēdunt, singulaeque post psalmū unum decantatum extinguitur sola inflammata Virginis Mariae lucerna manente, quae cum ad psalmum miserere perventum est, in locum aliquem abdita, aut ita contexta, ne lucem illius homines aspiciant, tantis in tenebris et obscuritate fit strepitus, et fragor maximus ad exiguum tempus: qui reprimitur non multo post, quae ablata fuerat, Virginis lucerna in publicum relata, restitutaque. Exire statim de templis viri, mulieresque, suis itinerebus domos in suas reverti, praecedentibus famulis sine palliis, et apertis capitibus cum funalibus accensis lucem in noctis caligine in aedes usque praefertentibus. Huiusce diei singularem quandam, ac memorandam religionem praete-

rire non fas esse duxi, quae matutino tempore, paulo ante decantatam Domini passionem, et in ipsis vespertinis precibus adhiberi solet: nam cum per ventum est ad velum templi difficillimum, et ad tenebras orbis terrarum offusas, quasi de improvviso accuratissime maxima, solertiaque singulari (vix ut ex ore sacerdotis verba supradicta exiisse videantur) ipso puncto temporis velum a summa in extremam usque partem discinditur, numero sclopetariorum maximo, pulveris tormētarii vim et copiam dimittente crepitu fragoreque tam horribili, ut commoveri totum, et quasi ructe velle templum videatur. In ipsis vespertinis precibus, quemadmodum portionarii, canonicique pallis terram verrentibus, et cucullis capita cooperientibus in aram usque maximam progrediuntur: ad quam simulatque pervenerunt, summos, et medios gradus complentes genibus flexis, demissis corporibus, tantum temporis expectant, quantum restat ad vexillum Christi trahendum: quod ut a sacerdote trahitur, perque sacellum populo inspectate raptatur, oculis illico lacrymae cadunt spectatorum, et a pectoribus feriendis multi abstinere non possunt: circuit enim sacerdos pullis amictus indumentis sacellum omne, et propius ejusdem sacelli clathros, ut aspiciatur a viris, et mulieribus, tardo gradu, sensim, ut vix pedem movere videatur, demissum in terram usque toto trahit pavimento. Cum hoc tempore inter deambulandum versus hymni de vexillo prodeunte, deque Crucis simulachro, in quod sublatum est Iesus Christus, quam elatis cantores vocibus ingemunt, et attollant, quam animis, et corporibus intentis multitudo rapi visa est ad caelestium misteriorum cogitationem? Aspectus equidem vexilli exprimit ab spectatoribus lacrymas, et eosdem ad iusta Domini, ea, quae sequitur, die, persolvenda mirum in modum comparat signo, quod notum est salutis humanae, mortalibus prolato.

DIES SACER COENAE DOMINI.

Cum

Cum jam Cenotaphia constructa sint, quae ab ineunte Quadragesima fieri coepta fuerant, matutino tempore, quo ritu, qua religione corpus Domini in tumulum infertur? Ab ara maxima, supplicatione solenni, totam circumeuntes ecclesiam canonici sub umbella pretiosissima sacram Hostiam inclusam in calice per sacerdotem circumferunt, a dextra, et a sinistra brachia sacerdotis sustentibus duobus presbyteris in candenti veste nitentibus. Hanc pompam plenam religionis, plenam pietatis, plenam lacrymarum aspiciet universo praeunte clero, et viris primariis, hominibus nobilissimis, et civitatis Praetore consequente, et omnibus partim lucernis accensis, partim cum facibus fulgore suo non pompam cohonestantibus solum, sed totam ecclesiam illustrantibus. Cum unus vero sacerdos, ut praediximus, medius interjectus inter alios duos principes ecclesiae a lateribus una aequabiliter progredientes, ut utraque manu brachia tanquam adminiculis sustineant, caelestem victimam sub umbella portet, quacunque mitissimus Agnus fertur, anteire visus est, et adversus Hostiae sacrae regrediens semper sacerdos linteatus, foeno viridi pavimentum spargens. Sic itur in Cenotaphium, in quod Domini corpus inferendum est: et in hunc modum relinquatur honore sepulturae affectum in posteram usque diem lucem, quae se pro genere hominum Christus Iesus in Cruce tradidit. Atque non minore, quam illatum fuerat, specie religionis sanctissimum corpus effertur, prius ligno sanctissimae Crucis prolato, et adorato suppliciter, et precibus multis pro quocunque genere hominum adhibitis. Mitis enim, et misericors mater Ecclesia fores divinae pietatis pulsat ad pacem Regum Christianorum, ad Fidei sacrae conservationem, et amplificationem, ad haeresum, et errorum omnium depulsionem, ad salutem Pontificis Romani impetranda, orare Deum atque precari non oblita pro Iudeorum, et Ethnorum ad nostram religionem translatione, et tanta cum religione, ut initio precandi, saepe flectere genua, et a terra tollere jubeat suos alumnos.

P. 2

CE.

CENOTAPHIA COMMVNIA.

Sed totum hoc biduum quae species? quae dignitas Cenotaphiorum? cum ecclesiae totius parietes interiores peristromatibus pretiosissimis conuestiunt cernantur, tū ipsi tumuli multum a terra excitentur? Ad hos per gradus multos in sepulchrum usque Domini perductos ascendimus. Gradus autem tapetibus, aut ornamentis ecclesiae variis strati nitēt: qui cum multis malis Medicis, et pomis Simonis, et Hesperis, atque aureis, eisque binis, aut ternis ordine singulari collocatis ornentur, tum variis imaginibus Sanctorum, effigie multa Iesu Christi flagellati, coronati, aut in Crucem acti, tum ordine candelabrorum multiplici ad lucernarum multitudinem collocandam. Totumquam visendo collucet ornatu rerum fulgentium, et fulgore collucentium ubique lucernarum, et funalium, quae a lateribus, et a frōte, et a tergo tot et tantis flammarum strident ardoribus, a summo caera defluente multa. Eminent in summo Cenotaphio: sepulchrum insigne, aut arca multo auro, multisque ornata gemmis, in quam conditum est Iesu Christi corpus: supra arcam collocari solet effigies Crucis sanctissimae, qua Cenotaphia plerunque concluduntur.

CENOTAPHIA MAGNIFICENTISSIMA.

Atque superiora sunt Cenotaphia, quae communiter aedificari solent templis in communibus. In quibus vero reditus exiguntur maximi in sumtus operum suorum usitatos, aut cadunt ampliores anni decursu templis in ipsis, ecclesiisque vulgo cathedralibus appellatis: quam magnifico opere fiunt, atque sumtuoso ex lignis dolatis, et cādore gypsi notabili oblitis, quae duas ad minimum, aut tres contiguo-

tiones habeant suis columnis deauratis sustentatas, et ex omni parte patent, sed clathris ex eadem materia factis circumdatis, et tectas opere fornicato, ut fastigium plerunque sit acuminatum ad pyramidum altitudinem terminatum, vel tecto alterius, aut diversae formae eleganter admodum obductum: ut semper ad tectum fere templi perducatur opus, vel terminetur effigie Iesu Christi de Cruce pendens, et a lateribus similiter lateronū in cruces duas sublatorum? Ad haec Cenotaphia per multos gradus ascensus datur, qui ornantur multiplici simulachro virtutū, Iustitiae, Misericordiae, signis Patrum veteris testamēti, Sanctorumque novae legis, quae in circuitu statuta suis insignibus facile internoscuntur: tanta vero altitudine, ut procul aspecta dijudicari queant. Eadē cancellulis suis circumdata per fores sacerdotibus patent, et ad emungendas lucernas ascendentibus aedituis, et ministris ecclesiae. Totum hoc biduum multitudinem virorum, atque mulierum obeuntium sepulchra Domini, et horum ingrediētium, et illorum exeuntium, et aliorum adhibētium preces vix templa capere posse videntur. Quinodus autem precandi imaginem Crucifixi, qui velatus in pulvino serico in speciem jacentis adoraturis Fidei cultoribus propositus est? Hi post cultum et adorationem solitam osculatis pedibus nummos aliquos conferunt, qui subsidio sumtibus ecclesiae sint. Multi tāta sunt religione, praesertim mulieres aliquot, ut cum gemitu suspiriisque, non multo, aut magno intervallo, unde preces persolverunt, genibus innixae in effigiem Crucifixi perveniāt. Interea videbis ingredi, et egredi viros cruces humeris comportantes, multos se flagellis caedentes acerrime, alios astare ad inclusi Domini sepulchrum in horam usque efferendi scipionibus innixos ad sustentandam corporis imbecillitatem in aspectu Assertoris sui, pro valvis templorū stare, confidere multos cum patinis argēteis, stipē in varios usus corrogare, illos ad orbitatem puerorum alēdam, alios ad virgi-

nes in matrimonium collocandas, ad captos ab hostib⁹ redimendos, ad publicae custodiae, ad xenodochiorum egestatem sublevandam, denique ad alia infinita subsidia, quae temporibus ipsis, et praesentium, et futurarum rerum necessitatibus comparari solent. Inter quae civitatis Hispalensis domestica supellex plurima, quae ex erogatis pecuniis palam proponitur emenda ad excitandam in inopes misericordiam, praeteriri non debet: quantum enim templum in longitudinem, et in circuitum patet, totum circumdatum supellectili huiusmodi videmus: quae dari solet novis nuptis ad instruendam domum, in usus domesticos, atque necessarios. Ad has autem pecunias cogendas propositarum palam solutioni rerum homines in sellis confident praepositis mensis tapete stratis: in quibus patinae collocatae videtur, quae nummos corrogatos capiunt. Atque legata id temporis, quae relicta sunt ad opera pietatis faciunda, proferuntur ordine suo litteris exarata grandioribus, ut ab omnibus legi possint longissimis in membranis, de parietibus, de postibus palam pendentibus. Addamus concionem (quae mandatum vulgo dicitur) tempore factam usitato, post Pontificis praeclaram actionem pedum pauperum abluendorum: quem in tabulato a terra non multum excitato, ornatu pontificio videtur praesentes, et duodecim pauperes in alba veste confidentes, hos pedem unum, et alterum porrigere, Pontificem in manus sumere, et exemplo Iesu Christi abluere, et abstergere linteo candenti: quod donatur eisdem pauperibus cum nummis argenteis convolutis in una linthei eiusdem extremitate. Ad hunc etiam die verberationes publicae pertinent: de quibus sequentes exercitationes suscipiuntur.

SODALITIA.

Amplioribus in civitatibus, oppidisque celebrioribus multa sodalitia sunt Christianorum, quibus memoria cruciatuum Christi Iesu recolitur. In his videre est multitudinem

nem hominum, qui longo intervallo procedunt in duos, aut in tres ordines distributi, et tunicis candidis amicti. Gestantur varia Christi cruciatuum insignia, quorum haec praefertur, illa in media geruntur pompa, alia, et magis luctuosa pompam omnem claudunt. Qui se flagellant, amicti tunicis albensibus, et talaribus progrediuntur, qui funalia gestant, aut albis, aut nigris, et omnes caput, et ora cucullis obducti. Inter hos eodem amictu, et specie designatores pompae constituedae praefecti cum virgis in manu ultro, citroque cursare non desistunt, et modum, et ordinem progrediendi praescribere, ne quod accidere solet in turba, aliqua perturbatio existat, et hi properent et festinent, alii nimis a tergo relinquuntur, et intervallis pompa nonnullis interrumpatur, et qui de sodalitate non sunt, ordini se sodalium admisceant. Alii similiter hac, et illac omnia loca perlustrant cum pateris in manibus, et saepe pompam antecunt, aut qua parte possunt, ex ea sese commodius efferunt, et se referunt statim ad eandem cum pecuniis, quas corrogaverunt ad sodalium sumtus. Qui se flagris caedunt, multi sunt adolescentes, et ut ex corporis statura apparet, imberbes, alii corroborata iam aetate, qui copia sanguinis, quem profundunt, commovent spectatorum animos. Multi nudis pedibus, et cum Virgineis globulis, alii funiculis asperrimis praecincti, aut ex collo pendebus, et in terga reiectis progrediuntur. Videre est miserabilem multorum aspectum, copiam sanguinis longe, lateque profluentis, plagas majores medio in tergo factas, disruptas atque dilaniatas carnes, tumores vi plagarum excitatos. Audire est etiam flagellorum ictus summa vi, contusioneque brachiorum tergis inflictos, scuticis factis ex multis, et intortis funiculis, rotulis nonnullis argenteis ad sanguinem eliciendum infertis, quibus non modo summo cum dolore sanguinem homines exprimebant, sed carnes ipsas discerpebant adeo, dilacerabantque, ut multos gravi et saucios, exanimatos, ac paene confectos e pompa efferri saepe necessarium fuerit. Hanc pompam aliquot homines saepe

praecedūt suis humeris cruces cōportātes. Pueri in alba veste insignia cruciatuū Christi Iesu, quae sūt sacra monumēta fatalis nostrae in sublime elata gerunt: atque inter utrunque sodalium ordinem interjecti, et aliquot intervallis conclamant, atque praedicant his verberibus, et sanguine memoriam cruciatuum Christi Iesu recoli, et instaurari. Denique in media, et ultima pompa voces audiuntur cantu ad moerorem composito. Accedunt etiam tubicines, qui suis intervallis buccina concinunt, et dant signum notiissimū huius praesentis, et luctuosi spectaculi. Hanc pompam simulachrum Virginis Mariae atratae in habitum atque figurā lugētis cum linteo de manu pēdēti quasi ad abstergēdas lacrymas humeris atratorum cōportatū claudit: cuius aspectus nullum non hominē in lacrymas adducit: a mulierib⁹ perspectum gemitus, et lamēta extorquet in caelum sublata. Cū illud homines cum funalibus accensis a lateribus cohonestent, tum a tergo multitudo mulierum incredibilis lucernis accensis prosequitur: quorum ardore funalium, et lucernarum ordine longo collucētium pompa speciem habet illustrem; et viae, quemadmodum maculis sanguinis se flagris caedentium notantur insigniter, et cerae ipsius notis de lucernis, de funalib⁹ delapsae relinquūtur notatae, sparsaeque. Atque haec communia sunt omnium sodalitatū, propria vero sunt illius; quae solitudinis nuncupatur; quod paulo post principium effigies Crucis sine simulachro Christi Iesu in Cruce pēdentis, et multo post inferius Crucem consequitur lectus dealbatus, et in illo Christus mortuus sūdome involutus, linteo tenuissimo, per lucidoque velato capite jacens. Quem lectum circumsistebant homines armati, gladiis, atque sicis acinēti cum bipennibus longioribus ferri fulgore longe micantibus, et horrifico armorum strepitu viis omnibus personantibus. Inde longo ordine sequebantur faces accēsae, et ultima effigies Virginis Mariae nigro vestitu amicta pompam claudebat: cuius lectū multitudo funa-

nalium, quae accensa longe, lateque micabāt, mirum in modum illustrabant. Atque haec pertinent ad sodalitates, quae sanguinis appellantur.

SODALITAS NAZAREORVM.



St alia sodalitas Nazareorum, quae feria sexta statim albente caelo vias usitatas, et tēpla de praescriptionibus suis praestituta obit. Sodales hi de Beati Antonii xenodochio exeunt; omnes subrubro colore, specie atque forma, qua Christus Iesus ab aedibus Pilati in Calvariae usque verticem deductus est, funibus asperrimis praecincti, humeros onerati crucibus, gestantes de manibus suspensos Virgineos globulos: qua pōpa progrediuntur vexillo nigro praecunte, et in media pompa cōportatur in lecto Christus Iesus Crucem suis humeris comportans, tunica lugubsi amictus, spinis coronatus: qui quasi offendens, et prouens, et a carnifice truculento fune constrictus trahitur aliquot intervallis terrifico personante clangore buccinae. Hanc effigiem Virgo Maria consequebatur ludans, et anhelans, collacrumātis in speciem atque similitudinem, suspēso vultu, anxio animo, quasi festinans cum imagine Divi Ioannis digito viam demonstrantis, qua filius Iesus duceretur in crucem agendus. Atque haec omnia mortalium animos ad cruciatū Iesu recolendos excitabant: quae cum ad motus animorum faciedos vim maximam habeant, tum populi religionem, et pietatem augent habitae de passione Christi Iesu conciones in templis omnibus plenae doloris, plenaeque lacrymarum. Vt enim concionator probra, sputa, colaphos nominat, in os, et faciem involate mulieres, colaphis se caedere, laniare genas, lamentis et ejulatibus horum sonis complere templum: cum ad flagra, cum ad spinas pervenit, quem habebant auditores, vix dolorem, sensumque per ferret: cum denique aecedit ad

Crucem humeris Aſertoris impoſitá, opprimi videri multum, vixque reſiſtere poſſe dolori. Nam tanti id temporis animorum motus fieri ſolent, quanti nullius oratione. Rhetoris pro magnitudine explicari poſſunt: faciunt enim id concionatores, quo nihil ad commovendos animos magis appoſitum eſſe poteſt; ut de ſuggeſtis iſtis effigiem Chriſti Ieſu de cruce pendentis mortui atque conſecti, ſine colore, ſine ſpecie, clavorum diritate tranſfixi populo viſendá ſpectandamque proponant: ad cujus os mortui, ad pallorem, et deformitatem, ad labiorum livorem, ad pectus eminens, ad diſruptas brachiorum compages, ad manus, pedesque clavis perfoſſos, ad lateris aperti vulnus, ad formam reliquá atque figuram conſpiciendam, contemplandamque cohortantur. Quo prolato videre lugubrem imaginem ſine ſummo dolore, ſine multis lacrymis viri, mulieresque non poſſunt: nó ori, non genis, non pectoribus parcunt mulieres invadentes in has corporis partes acerrime, atque tantis ſingultibus, lamentis et ejuſque quibus tecta templorum ubique perſonant, ac ſi omnes in hoſtium manus veniſſe viderentur.

COENA DOMINI.



Veniam quae feriis hebdomadae magnae ſolennibus geruntur in Eccleſia, conferuntur ad cruciat⁹ Ieſu Chriſti inſtaurandos, inter Chriſtianosque recolendos, ſingulos breviter perſtringamus a coena Domini auſpicando: quam cum Ieſus diſcipulis ſuis dediſſet, et eoſdem ex ordine accubantes humaniſſime ad veſcendum invitaret, quanto opere ardens ſuae caritatis ſtudium, et ſitis animorú ſalutis procurandae inſatiabilis eluxit in accipiendo Iuda teterrimo cū reliquis diſcipulis ad epulas Agni caeleſtes? Credo, quae fuit tanti Domini benignitas, cum mediis acubuiſſet interjectus inter diſcipulos a lateribus diſcumbentes, invitariſſe Iudam ad manum porrigendam in paropſidem, ut veſceretur.

et.

et ederet dixiſſe ſemel, et iterum, et laetis oculis, hilari vultu aſpexiſſe, cum illoque ſuaviſſimis verbis colloquutum eſſe mitem et miſericordem Ieſum: quem de defectione cogitantem, animoque pernicié Domino comparatam verfantem agitantemque cognoſcebat. Cum vero Ieſus mollire animú Iudae pertinacem non poſſet, de industria ſermonem intulit inter coenam, ſi non compellans nomine, plane tamen oſtendens de diſcipulis ſuis, qui ſecum coenarent, unum proditionem in praeceptorem ſuum nefariam moliturum eſſe. Audire diſcipuli, Petrus rogare Ieſum de proditore, et inſtare, atque in eo perfeverare, ut indicaret auctorem ſcleris: tacere nomen Ieſus Chriſtus, nihilominus commoveri Iudas, non proditionis auditione, non benignitate Ieſu Chriſti, coenare cum diſcipulis, ſimulare facinus, atque illo foetido ore agnum comedere, et ut credo, taciturnus, horridus, et demiſſe ſemper aſpiciens, ut oculis, et vultu denuntiare jam Domini proditionem, et demonſtrare defectioné ſuam diſcipulis videretur. Sed quid eſcam Agni commemoro, cū labes haec atque perniciés os admoveſcere pani divino, et de manu Ieſu Chriſti corpus ejuſdem Domini accipere nó exhorruerit, quae ignorare nó videbat ſcleris, et proditioné ſuá, atque adeo coenantibus praedixiſſe diſcipulis? Itaque neque praedictio ſcleris, neque coenae datae celebritas, neque demiſſio ejuſdem Domini ad ſpurciſſimos Iudae pedes abluendos a proditione avocare potuerunt. Ecce enim poſt coená concelebratá architect⁹ caelorum ex ordine diſcipulos cōſidentes adit duodecim, et a Petro faciens initium ſingulorum pedes abluit, atque adeo plantas infimas, et plenas fortaiſſe ſordium, quas ex itineribus contraxerant, et inveteratas ac penitus inuſtas habuerant. At quo modo? linteo praecinctus ad ſingulorum ſe pedes demittens ſumeret eos in manus, immergeret in pelvim, manibus ſanctiſſimis ablueret, illis inquam manibus, quibus caelorum fabricam, terrarum ſedem, univerſa maria effecerat, atque linteo detergens ab uno trá-

Q a li.

siret ad alium praeteriens neminem. Inter quos cum ad Iudam accederet, sustulisse crediderim oculos ad os terribissimi Iudae, plus etiam fecisse morae abluendo, detergendoque, si leniri posset immanitas, et ad aliquod traduci mansuetudinis genus tam incredibile praesentis obsequii, demissionisque magnitudine. Admirari Petrus, admirari discipuli, Petrus retrogrédi, referre pedem, verbo, reque eniti atque contendere, ne quidquam sui Iesus Christus attingeret, denique confirmare nunquam se permissurum esse, ut suos Christus pedes ablueret: atque usque eo se tenere, donec a Christo audivit, nihil Petro posthac cum Assertore Iesu futurum, nisi pedes abluendos traderet. Quod cum neque ferre, neque audire dissidium potuisset, avidissimus nunquam praeceptorem amittendi, non pedes modo, sed etiam caput se libenter oblaturum esse, respondere, admirantibus, et cum universitate rerum obstupescantibus discipulis: solus Iudas nihil curare, cujus incredibilem stupiditatem cognoscite. Indulgentia praeceptoris deterior factus, ablutus enim, quae de prodicione cum Iudaeis pactus fuerat, ea confectum festinantèr ixit, id est proditum praeceptorem, ac dominum suum Iesum Christum.

PRECATIO DOMINI IN HORTO.

AD partes divinae misericordiae agendas proponamus ante oculos singula genera cruciatuum, quibus Christus Iesus miserabilem parentum nostrorum ruinam instaurare voluit. Quem primum tacita cogitatione coplectere cum Petro, Ioanne, et Iacobo tribus discipulis amantissimis concedentem in hortum Gethsemani, et intervallo tanto, quantum unius lapidis jactu consequi possemus; Christ^o Iesus discedit, et in genua procumbens, tensis manibus, subla-
tis oculis, quam magna contentione corporis, et animi pre-

atur Patrem aeternum, ut acerbiter calicis a se ipso, si divinae suae majestati collibitum esset, averteret. Atque id temporis simul precari Iesum, et orare non desistere, meditaberis, et una discipulos, quos secum ad exiguum tempus vigilare iusserat, quasi ad somnum afferendum expectarent verba praeceptoris, opprimi somno gravissimo omni quasi cura vacuos, ad eosdem redire iterum, atque tertio praeceptore, et post somnum bis interruptum plenissimos somno consopiri, sicque toties arctiore repetito somno, quoties excitati fuerant, demum inventos fuisse tres supra nominatos discipulos. Et in hac hortu praecatione, prae vi contentioneque maxima, quam Iesus adhibebat ad precandum, sanguine toto corpore profuebat a vertice in pedes usque large, et copiose manans. Idem potentissimus, caelestisque Dominus tantis angustiis urgebatur, ut coeperit tremere toto corpore, et exhorreere pelagus immensum et infinitum, in quod ingressurus erat, cruciatuum acerbissimorum. Venirent quidem in mentem, quae crudelissima, et inaudita genera suppliciorum pro genere hominum perpessus erat, oblivio multorum, et perfidia plusquam hostilis gentium innumerabilium, quae fructus nullos ex tot tantisque cruciatibus percepturae fuissent. Sed ecce Christo precanti, et tantas in angustias adducto, sudore multo atque sanguine mananti Angelus adest calicem acerbiteratum, quem haustrus erat, ostendens: cuius aspectu mirifice recreatus, et confirmatus, a praecatione surgit, et caelorum viribus armatus obviam procedit hostibus rapida et praecipiti celeritate ad volantibus ad Christum Iesum comprehendendum.

COMPREHENSIO.

Intuere Iudam properantem, et accelerantem cum reliquis nefariorum satellitum multitudine, qui illum ducem et assequantem cohortis inhumanissimae sequebantur. Praeibat dux

improbissimus, totus scelere, ac furore inflammatus, já alió vultu, aliis oculis, alio incessu, prodicionem, et impietaté anhelans, cótemtis infulis, et insignibus dignitatis Apostolorum, incitans celeritatem satellitum a tergo consequentiú. Festinátibus igitur et accelerátibus Iudaeis, semperque praecunte Iuda, nihil minus cogitátibus, nec opinantibus quidé, quia fieri non posse crederent, ut se quisquam in morté inferret; quoniá natura concessum est, etiá cú mors imminet, si possit homo, vitam suá, salutemque quèque conservare, ecce Christus Iesus venit in conspectum luporum immanissimorum; qui majestatem tanti Domini comprehensum veniebant, et ultro se illis obtulit, et comprehendendum, constringendumque dedit: continuo vim, praesentiamque sui numinis testatus est, si Iudaei fortasse magnitudine miraculi a furore et mentis infania, qua caeci et amentes ruebant in tenebris, resipiscere voluissent. Vix Iesus verbum ediderat, quo se ipsum illis indicarat, cú caeci ac privati luminis oculorum, resupini ceciderunt in terram, strepitu atque fragore concrepantium armorum, corporibus prostratis, ductis cruribus, sine sensu, sine mente, tanquá stipites et truci projecti viam in mediam, qui nisi amoveantur, vel sublevantur manibus, loco se commovere non possent: donec facta potestate surgendi post osculum Iudae (id enim signi Iudas dederat ad aggrediendum) hi a lateribus, illi a tergo, reliqui a fronte invadentes comprehendunt Christum Iesum, et vinculis acerrimis constringendo per vias omnes, et loca celeberrima civitatis, dissonis et horrendis clamoribus, tanquam latronem, et insignem grassatorem itinerum ex caede et sanguine vivétem, magno probro atque dedecore, raptádo, et vexando, impellendo, propellendoque vehementissime, omnibus indignissimis modis tractando, rapida praecipiti que celeritate, raptim et turbulenter, sudantem, et anhelantem, praeccluso quasi spiritu, in hanc, et in aliam domum, et ad plures iudices, atque praesides ducunt, ad Annam, ad

Gai-

Caipham pontificem illius anni, ad Pilatum, ad Herodem cupidú visendi Iesum, de quo multa audierat, et ut ipse Herodes miraculum aliquod, quod in conspectu suo Iesus ederet, avidissime exspectabat. Túc sese plures effudere, et quod nondum lucebat, et jacebant fere omnes in lectis, clamoribus, et strepitu excitati defenestris, de locis superioribus spectare seditionem a principibus concitatam, et comprehensionem admirari Iesu Christi, vicini inter se propinquiores defenestris colloqui; indignú palam vituperare facinus, confirmare factum propter invidiam, commemorare miracula, virtutes maximas, vim concionandi, a Christo in Iudaeorum gétem beneficia collata, eo denique progredi mulieres, ut lacrymas tenere non possent. Plurimi dicere, tantam ne praestantiam virtutis, tam regiam et excelsam dignitaté opprimi facibus invidiae detestandae? ne me, ne meos multi dicerent (faxit Deus) his malis perversus Daemon opprimat, moriamur, occumbamus potius, quam committam⁹, ut homines nostri, et quibus bene volumus his se rebus admisceant. Interea properare Iudaei, crebro impulsu, multoque ictu capiti, colloque Iesu Christi inflictó, donec alias, et alias praetervolando vias, tandem ad Pontificis aedes pervenerunt. Pulsare fores satellites, caedere janua bipennibus, ictibus instare, clamorib⁹ de via sublatis urgere famulos ad fores aperiendas, clamare reu se velle dare rei capitalis in Pontificis conspectum: interea dum patet aditus, dicere Christum Iesum seditiosum et turbulentum, et aliis contumeliosis et ignominiosis appellare nominibus: donec iudicis ad eundem deferendi que rei palam Iesu Christi januis patefactis potestas data fuit.

VIRGAE.

Vide spectaculum luctuosum, et acerbú, Iesum ipsum nudum, et spoliatum vestib⁹, et alligatú ad columnam, man⁹, corpusque cóstrictú acerrime: quod exude-

Qa lira

litate carnificum, verberibus caeditur acerbissimis. Primum corpus deformari livoribus, deinde sanguine profluere terga sanctissima, atque ipsas carnes dilaniari discerpique crudelissime multitudine flagellorum, quibus plagas plagis, vulnera vulneribus carnifices crudelissimi cumulant et adaugent, in medio praesertim tergo plagam maximam faciēdo, disruptis et dilaceratis carnibus, atque ipsis ossibus fere patefactis, ut mirum quidem videri debeat, non humi concidisse mortuum, aut inter dolores, crepitusque plagarum animam non exhalasse Iesum Christum. Multitudo enim, et acerbitas flagellorum satis erant ad Iesum conficiendum, nisi Filius providentia Patris aeterni ad Crucem pro humano genere subeūdā reservaretur. Natabant pavimenta sanguine, madēbant parietes palude ad extremam columnam effusa, et sese totis atrii Pilati latissime diffundente.

S P I N E A C O R O N A.


In tuere postea Iesum flagris caesum, tot plagis crudelissime concisum, indutum purpura humili atque contenta, et corona ex sentibus horrificis intertexta trajectum divinum atque caeleste caput, arundinem pro sceptro regali tanti Domini dexteræ impositam, faciem ipsam sputis deformatam, atque conspersam. Non aspicere videris satelites ipsos totam noctem somnum suis oculis non videre? nolle de industria capere deludendo, deridendoque Iesum Christum? non sic illum pro delectamento habere, quem incertatim manibus appetant, ut et os, et vultum tegere, et in genua procumbentes arundine caedere faciem divinam multa cachinnatione persistent, ridendo, cachinnandoque dicere Iesum Christum prae irrisione atque delectatione regem Iudaeorum, eundemque veli tegumento coopertum provocare ad personam percussoris divinandam? Ipse vero Iesus ta-

cere,

cere, nihil de se dicere, nec minimum commoveri inter tot injurias contumeliasque gravissimas, mitissimus Agnus omnia perferre patienter. Sic erat impositum capiti diadema terrificum, ut ad cerebrum adactae spinæ, perfoſsum, plenumque fenestrarum in circuitu totum caput relinquerent: unde multis partibus sanguinis fontes delapsi aspectum oculorum obscurabant, os et barbam deformabant, spargebāt tuNICAM intērram usque large et copiose profluentes. Ita quidem deformatus erat et foedatus admodum mortalium, et Angelorum pulcherrimus, ut hac specie atque figura miserabili Pilatus Iudæis visendum spectandumque produxerit, futurum quidem existimans, ut aspectu huiusmodi horum crudelitatem inimicorum satiare. Sed crudeles homines, plusquam immanissimæ belluæ sanguine profuso nondum satiati reliquum sanguinem haurire sitientes dissonis et horrendis clamoribus de via clamabant Pilato, ut e conspectu Iesum amoveret, et dimisso Barabba seditioso turbulentoque homine Iesum Nazarenum in crucem tolleret.

C H R I S T V S I E S V S C R V C E M

suis humeris portat.



Christus Iesus deducitur ad patibulum indutus purpurā, et spinea corona caput trajectus, crucem maximam suis humeris comportans, tanto dedecore et ignominia affectus, ut praeco praerret faciens praeconium publicum, et quam intenta voce praedicans, ut de supplicio constaret hominibus. Affingebatur falsa causa, falsumque testimonium, ut causam habuisse viderentur principes in crucem agendi Iesum Christum, quod scilicet seditiosus esset et turbulētus, quorum ille nihil facere poterat, ipsa summa sanctitas, et innocentia singularis. Nec vero homines erāt tam stulti, tamque imperiti rerum, ut non per invidiam summam traditū,

R et

et condemnatum Christum Iesum intelligerent. Quae effusio omnium generis virorum? quanta multitudo mulierum? quantus utriusque generis, et aetatis numerus? tanta multitudo, quantum capere poterant Hierosolymae, concursus ad spectaculum illud factus est. Procedebat Agnus praegrandi mole crucis oppressus, passim corpus offendens, atque proruens etiam, quem homines crudelissimi fore arbitrati, ut illum in via vires, et vita deficeret, conducti hominum opera sublevare voverunt, parte oneris impositi, non misericordia, neque benignitate commoti, sed quod metuebant, ne prius exhalaret animam, quam ad crucis patibulum perveniret. Qui tumultus et strepitus satellitum, et omnis ordinis, et aetatis hominum, qui sese ad spectandum effuderunt? Voce praconis, clangore buccinae terrifico, crepitu etiam horribili strepentium armorum omnia loca personabant, telorum, quae longissime micabant, fulgore oculorum acies perstringebatur, timor, et horror incredibilis mentes pervadere debant spectatorum. Qui gemitus, et ejulatus mulierum, quae natura sua misericordes levibus etiam de causis in lacrymas adducuntur maximas? Ad illas respexit Christus Iesus, et cruciatu suos, et mortem flere prohibens, casum miserimum, qui filios, et filias suas manebat, lugere praecipiens. Ecce procedenti Christo Iesu parens sanctissima Virgo Maria occurrit, quae notis sanguinis longe viis omnibus, quas Iesus praetergrediebatur, profusi, nullo indice monstrante vias, duci potuisset. Cum has aspiceret, cum praeconium audiret, et strepitum hominum armatorum, et ipse fulgor gladiatorum, et telorum longo intervallo micantium. Virginis oculis observaretur, quid ageret? quo esset animo affecta? quo sensu, ac dolore percussa progrediretur, donec accedens in filii conspectu consistere, oculos in filium intendit, et ipse filius matrem intuetur microne, et dolore paene confectam. Quia vero vicissim colloquendi potestas non erat, animis se ipsos, quoniam mori non poterant, alloquebantur. Itaque Iesus in pa-

patibulum usque pervenit, in quem metis oculos conjiciamus, illumque sine lacrymis, sine summo sensu, et dolore animi nemo videre poterit. Ecce iterum vestibus nudatum Christum Iesum, sublatum in crucem, pedes, et manus trajectas diritate clavorum, ipsum medium interpositum inter duos latrones, et quae nos suscepimus, scelera luentem in cruce. Qui non dirumpatur divellaturque dolore, plane ferus ac ferreus erit hoc tempore. Quem non coegerit aspectus tantum Domini vim ingentem lacrymarum profundere? velum tepli subito discissum, lapides ictibus horrificis collisi, sepulchra patefacta mortuorum, caelum atra caligine circumfusum, Sol de medio ablatum, rem omnium indignissimam aspicere non potuit. Ita quidem tenebris orbem terrarum offusis pavere praesentes, et illorum multi dicere justum, et innocentem praedicare, et inique mortem, et supplicia praeterita perpeccatum, suspicere de cruce pendentem demisso capite, pedes, manusque transfixum, et apertis brachiis exanguem, atque confectum, opoto felle, liventibus labiis, trajecto latere, rivis sanguinis, et aquae permixtae manatibus, sic denique videre efflantem animam Agnum misericentissimum, ut prius precatus fuerit ab aeterno Patre veniam pro suis inimicis, et quos potentia sua, quos invicta virtute potuisset ulcisci, salvos et integros reliquit.

CHRISTI REDITVS IN HANC LVCEM.

EXequiis jam et justis Christo Iesu perfolutis, descriptis tot cruciatuum et tormentorum generibus suo ordine crudelissimis tempus adest ejusdem excitati Domini a mortuis laetum et jucundum admodum. Pridie ferias hujus diei, haedos, et agnos balare, et multitudinem arietum, et omnis generis pecudum, et maxime vitulorum vendendam in campos finitimos civitatibus trahi, cogique non ignoramus, et biduum ante retibus inclusam teneri. Convenire videmus multos, ergo

res, emere sibi necessarios arietes, et agnos ad prandia, ad coenas: qui Sabbatho, quod diem hunc festum, et: solennem antecedit, aut jumentis, aut: humeris bajulorum xiiis omnibus emti comportantur in civitatem, unde in aedes deportantur amicorum, aut propinquorum, aut religiosorum, more usitato et inveterata consuetudine dandi, accipiēdi que munera vicissim. Ita carnes intermissae revocantur, et homines horam unam, aut duas antequam prandere consueverant, aut coenare, prandia, coenasque suas praeponūt: atque tempus coenandi maturius, multo, quā hyeme reperitur. Ita quidem ab hoc tempore praecepti mortales meridiationes, quibus antea uti multi non solebant, addunt propter commutationem horarum facta usitatas, et prope statas: coenati rusticantur, aut conferunt sermones familiares: interim, quoad cubitum eundi tempus est, et hoc spatio sub dio plerunque in impluviis, in hortis urbanis deambulant, et reficiunt corpora. Atque haec spectant ad corpus, ad cultum vero divinum, et ad animorum salutem, quae sequitur, exercitatio.

DIES IDEM ANNIVERSARIUS

Domini reviviscentis.

Habet Christiani tres ferias Iesu Christi a mortuis excitati sacras, atque solennes, et in celebrationibus oppidis, quattuor dies praefinitos, et institutos, qui maximo gaudio laetitiaque recoluntur. Primus omnium laetissimus, et celeberrimus est, in quo gratulatione publica, primo diluculo, aut antequam luceret, vel cum lucere jam fere coepit, Christus effertur e sepultura, cui mandatus fuerat, et quā illustra pompa, specie splendoreque clarissimo, in habitum atque figuram triumphantis, immortali gloria circumfusus, clarissimus, et ornatissimus, in lecto pulcherrime strato, multis gemmis, et margaritis distincto stans, et vexillum rubro

co-

colore explicatum ferens in manu, quasi manubiis et spoliis, quae sibi victor bellorum effecerat, ornatus, et tam insigni victoria parta triumphum gloriosissimum agēs, cātu symphoniae, et modulatione vocum suavissimarum vehitur. In oculis inest, divina claritas, splendet corpus sanctissimū. Solis splendore clarius, collucent vulnera plusquam sydera toto caelo fulgentia. Quemadmodū Sol, cum maxime clarus exoritur, toto terrarum orbe radios diffundit exoriēs clarissimos, ita Iesus Christus ex manibus, ex pedib⁹, ex corpore vulnerum lumen eximia claritate collucens, oculos mortalium suo splendore perstringens, diffundere videbatur a parte

CHRISTVS IESVS REDIENS

in hanc vitam.

TRiduum jam erat, cum Christus Iesus in sepulturā fuerat illatus, atque ipse vindex nostrae libertatis sepulchrum oclufum mole lapidis imensi sua divina virtute penetrans, a mortuis existēs in terrarū loca rediit, immortali gloria, caelesti claritate circumfusus, amictu immortalitatis ornatus, clarior et illustrior syderū, Lunae, et Solis splendore clarissimo. Atque illae manus, pedesque sanctissimi, corpus omne pulcherrimum, et splendidissimū, facies tantae pulchritudinis splendore illustrata, ut rebus omnibus clarissimis, obscuritatem afferret; ipsa vulnera magis quā carbunculi, magis quam sapphiri, quam smaragdi, quam lapides alii pretiosi eximio fulgore collucentes splendebant, quorū splendore, et oris claritate fulgenti ipsos custodes, armatos homines, qui in custodia positi fuerant, obstupescit, et oculorum, quos in sepulchrum intentos habebāt, aciem perstrinxit, ne lucem tantam perferre possent, et splendore divinitatis illustrem. Hujus tantae gloriae fulgore splendidissimus Christus Iesus quadraginta dies, qui consequuti fuerūt,

R 3 in

in ascensum usque suum in caelorum sedes, Magdalenae, discipulis suis, et maxime Virgini Mariae se visendum spectandumque dedit.

SACRAE POSTVLATIONES VVL

go litaniae.

Ebdomada, quae diem ascendentis Domini in caelorum sedes antecedit, de more et instituto matris Ecclesiae supplicationes habetur a templis maximis in aedes aliquot sacras celeberrimas. Atque Hispali videre est primum omnium praeferrunt Cruces hujusce civitatis ecclesiarum, quas aeditui elatas in sublime praeferrunt, quas consequuntur milites sacrarum familiarum, singuli in duos ordines distributi: omnes pro antiquitate sua progrediuntur, secundum illos sunt presbyteri in linteis longe, lateque albensibus, a presbyteris proximi sunt portionarii, et canonici, quique dignitates habent in Ecclesia, procedunt pompa, et auctoritate singulari, omnium ultimi, qui pallis ex filo aureo intertextis convestiti sacrum facturi sunt: quorum unus Crucem sanctissimam, et alter effigiem summae religionis manibus comportat. Inter utrumque ordinem interjecti praefinitis in locis tibianes, paulo inferius cantores intervallis suo jam more praefinitis cantus mirifice concinentes efficiunt viis omnibus, qua pompa progreditur, tibiarum, et vocum suavitate personante. Cohonestant supplicationem Praetor Hispalensis, tribuni plebis, et senatores omnes, multi nobiles viri, et mulieres, quae ad supplicationem sese effuderunt. Atque illo ipso puncto temporis, cum supplicatio haberi coepta est, tota civitas pulsu crebro cymbalorum personat. Videre autem est vias, quas praetergrediuntur, purgatas, et rigatas omnibus in locis, et quoniam tempus amoenum est atque florens, herbis, ac floribus stratas, parietes visendo peristromatum, et au-

lac-

laeorum vestitu decoratos: donec in templum perventum est, in quo sacrum fit ritu, et caerimoniis Ecclesiae, interposita concione, in qua auditores excitatur, ut a Deo Optimo, Maximo, ea, quae causa fuerunt sacri, decretaeque supplicationis, fructuum scilicet perceptionem uberem atque praestantem, pestis, et omnis generis malorum a nostris capitibus depulsionem precentur. Absoluto sacro, eodem, quo venerant, ar ut itinere diverso in templum, unde exierant, non minore religione revertuntur.

CHRISTVS IESVS ASCENDENS

Erius Christi Iesu in hanc vitam reduntis confequitur tempus illud, cum summus praepotensque Iesus praeteritis jam quadraginta diebus, quibus se visendum discipulis saepe praebuerat, praesentibus eiusdem sociis et comitibus, et matre sanctissima Virgine Maria, sua divina potentia, ac robore caelesti in caelorum sedes ascendit. Cernere quidem esset Assessoris humani generis sese efferentem in sublime, sublati brachiis, tenus manibus, nubis claritate circumfusum splendenti, visenda specie atque maiestate, taquam in currum deaurato, spolis atque manubiis ornatum, quas sibi victor bellorum insignis, effecerat, aeris regionem praetereuntem sensim, et pompa mirabili, altius, et altius ascendere, discipulos, et matrem sublati oculis, et in illis penitus intentis suspicientes, et admirantes potentia, et divina tanti Domini virtute, donec a caelestibus altissimo, ex oculis eorum se subduxit, et sese in beatas sedes, et divina domicilia caelorum intulit. Praerunt Patres sanctissimi, Reges clarissimi, Divini Vates, Patriarchae, et Principes veteris legis, Moyses, David, et Abraham, qui tot annos expositates ad veteris Assessoris Iesus ad ipsius virtute ex inferorum sedibus liberati, suis infulis, et insignibus, tamen nostrae libertatis iudicem comitareretur. Ipse Christus Iesus nubem caelestem divinitate maiestatis fulgore, clari splendore, Solis, tota illuminante,

R 4. ch.

clarioré et illustrioré reddens, in speciem atque similitudinem triumphantis, omnium celsissimus, tanquam in veste pretiosa pellucidis et clarissimis fulgoribus illustrata, in caelorum sedes ingrederetur. Quae mens, aut cogitatio capere poterit gloriam, et laetitiam infinitam, laudes, et honores tributos, cantus dulcissime personantes, modulationes, et harmonias caelestes omnino vocum varietate dissimiles, omnes tamen inaudita suavitate praeditas, denique plausus et admirationes effectas ingressu, et aspectu Iesu Christi triumphantis gloriosum agentis: ut ab aditu aulae caelorum in tabernaculum usque sanctissimae Triados perpetuum agmè videretur nulla facta intermissione, non perturbatione, quae conventus, et pompam quamlibet hominum interrumpere saepe vidimus. Quantam non modo voluptatem afferet, sed etiam admiratione videre coetus omnes Regum, Vatum, et Patrum antiquorum coactam atque frequentem, et universam contendentem in locupletem hanc, et illustrem beatorum civitatem, caelorum regiones conclusas patefieri jam, et communicari cum mortalibus, sedes Angelorum vacuas instaurari, supra gloriam divinorum spirituum efferrí naturam humanam ad Patris aeterni dexteram filio Christo Iesu gloriosissime, magnificentissimeque confidente, unde caelitibus in omnem saeculorum aeternitatem praesideat extremi die iudicii bonos praemiis, improbos supplicis sempiternis affecturus: Ita recolitur, et instauratur dies iste celeberrimus, tanto studio, tanta religione mortalium in his infimis terrarum locis, ut viri, mulieresque praecipue ad omnem pietatem, et misericordiam propensae a duodecima in primam usque pomeridianam horam, quo tempore Christus Iesus in caelorum sedes ascendisse creditur, stare soleant in ecclesiis in attentissima tanti misterii meditatione cum lucernis inflammatís, in templis lucernarum ardentium fulgore collucentibus in sublimae semper intuentes: ut homines patriam caelestem, in quam nati sunt, oculis, et animis intentis affectare non

non videantur solum, sed etiam appetere vehementissime, et quasi pennis a terra sublatis, in supera atque caelestia regna Beatorum involare.

FERIAE QVINQVAGESIMI DIEI
vulgo Pentecostes.



Adfuit tempus optatum: discipulis non minus, quam speratum divini Spiritus advenientis, et complentis animos, mentesque discipulorum tanta largitate munerum divinorum, quantum in insipientibus laudandi benignitatem Iesu Christi dies occasionem praesens afferet, eademque fidem, quam Iesus dederat discipulis, praestitam admirandi. Ecce enim cum socii et comites Christi Iesu promissum Spiritum expectarent intra parietes unius cubiculi contenti, luce publica carebant obsecrando, orando majestatem tanti Domini pro magnitudine beneficii expectati, magno silentio, religione summa, assidua prece unum, et alterum, et reliquos dies consequutos cum multis lacrymis, et expectatione sollicita posuerunt: non secunda, non tertia feria, non reliquis sex diebus consequutis adesse, tempus expectare differendo, rejiciendoque ab una in alteram diem: donec Spiritus Divinus adhibentibus illis preces, et rotarum expectatione anxius repente incredibili crepitu fragoreque tonantis aetheris, in speciem ignis ardentis delabitur, et sese infundit in discipulorum animos: cujus divino robore ac virtute praediti, facibus tanti Spiritus inflammati recondita et abstrusa caelorum arcana variis sermonibus enuntiare coeperunt. Convenerant autem eo tempore homines innumerabiles ex diversis orbis terrarum partibus, atque hi cum diverso, patris quo sermone loquentes discipulos audirent, mirari magnopere, stupere multi, et in eam non pauci partem accipere, ut eos furere, et debacchari arbitraretur similes aliorum hominum,

quise vino compleffe viderentur. Discipuli sortiti provin-
 cias et regna terrarum, terra, marique multis aditis corporis,
 vitaeque periculis totum orbē Christi nomine compleve-
 runt. Non majorum nobilitate, non familiarum agnationi-
 bus, non litteris, non gratia principum, et imperatorum ter-
 rae, non classibus, copiisque instructis, non aliqua vi, poten-
 tiaque mortalium tot gentes, aut immanitate barbaras, aut
 humanitate cultas in Christi ditionem potestatemque rede-
 gerunt: sed concionibus suis, miraculis editis, virtute singu-
 lari, praestantia doctrinae, auxiliis caelorum, et illa ipsa, quae
 cuncta superare potest, et ad se trahere, Dei praepotentis in-
 victa virtute muniti. Infirmi ad aspectum oculorum videbā-
 tur, re ipsa maximi, potentissimique, florentes abundantia
 donorum caelestium tantas res gesserunt, quātas audivim⁹,
 et legimus aggressos fuisse, constanterque praestitisse. Quos
 cum intuerentur homines, non mortales, sed numina puta-
 bant de caelo delapsa. Sic hominum natura praediti beato-
 rum vitam agebant. Sed ad ferias Spiritus divini redeo, quē
 in ignis, et in columbae formā delapsum fuisse legim⁹: quod
 ille simplex, et apertus, veritatis amans, integer atque synce-
 rus homines hujusmodi donis affectos amet, cū his se oble-
 tet atque reficiat. Quamobrem hic mos consuetudoque jā
 inde ab initio nascentis Ecclesiae servata fuit, columbā al-
 bā, nitidā, atque speciosā, totā stellulis, ex aurea lami-
 na factis distinctā, suavitatem odoris afflantem sacerdotē
 ab ara maxima ad populum conversum in mediam turbam
 suis manib⁹ sublimem projicere, in quam intermisso statim
 volatu sese conjicere columba solet, et in gremio mulierum,
 aut in hominum manibus, quas casu nacta fuit, conquiesce-
 re. Spectare omnes volantem, et dejiciētem sese protinus in
 terram, cupere omnes, et appetere, ubi locorum sint illi, in-
 car partes columba suam conferat volatum.

(S)

DIES

DIES SACRAE EVCHARISTIAE

anniversarius.



Ernere quidem est die, quem augustissimo ri-
 tu Eucharistiae anniversarium colimus, vias
 omnes verfas, atque rigatas, et herbis, et flori-
 bus ltratas, parietes multis peristromatibus
 Damascenis, aut sericis bombycinis, aut ex fi-
 lo aureo factis convestitos, fenestras aulaeis etiam non dissi-
 mili venustate, splendoreque collucentes, multis in partibus
 viarum tabulata aedificata, apparatu et ornatu visendo lo-
 cupletissima, et in illis aras excitatas, quae nitent Sanctorum
 imaginibus exornatae, ab uno in alterum parietem in ipsis
 viarum faucibus, aut occurrentibus in compitis arcus ope-
 re mirabili, varia, visendaque arte, ex herbis, ex floribus, aut
 ex ornatu serico effectos. Caelum ipsum velis tectum et ob-
 ductum aspicitur, et quacunq; Agnus mitissimus vehitur,
 thura, et odores accenduntur. Mira est species, et splendor,
 mirus ornatus, atque magnificentia. Facto igitur sacro, riti-
 bus et caerimoniis solennibus agmen supplicationis ducitur
 in duos ordines divisum hoc apparatu, pompaque speciosis-
 sima: ut primum gigantes vasta figura oris, moleque corpo-
 ris ingenti, praeeunte parente minima statura, tardo incēssu
 progrediantur cum tympanista, ad cujus sonitum numeros
 progrediendo, saltitandoque servant, sed praecire gryphē as-
 picias quasi praenūtiātem pompam mortalibus, insectantem
 pueros porrecto collo, et retorquētē illud in dexterā, atque
 sinistram, aut in sublime tollentem, aperto semper et inhiā-
 te ore, quo galeros, et pileos de capite detrahat. Hos ille per-
 cutere pueros, alios fugare, multos prosternere in ter-
 ram non sine magna cachinnatione, et clamoribus multi-
 tudinis, quem velut monstrosam bestiam aliqui execra-
 ri, multi ut saepius aspectum irridere, et omnes pueri,

S 2 quan-

quantum in se est, ludos certatim facere conatur. Postea sodalitates omnes pompam instituunt pro antiquitate sua, cum funeralibus accensis, et in primo quoque sodalicio, vexillo, quo sodales a caeteris internoscuntur, praelato: secundum sodales milites religiosarum familiarum, ut antiquiores sunt, praestantiorum locum obtinent. Atque singularum Crucis ecclesiarum, ut quaeque vetustate praestant, ab aedituis suis in locis comportantur. Quae quam speciem habent? quam praeclarum et illustrem splendorem ornatu rosarum, quibus convestitae varia multiplicique figura cernuntur? deinde presbyteri diversarum ecclesiarum hinc omnes antecedunt portionarios, atque canonicos, qui suam in incessu facile dignitatem ostendunt: Reliquiae consequuntur, et plurimorum Ossa Sanctorum suis in lectulis pulcherrime stratis collocata: in ultima pompa vehitur Agnus mitissimus in sacrarium magnificentissimum totum ex argento factum inclusus, mortalium oculis palam expositus; quem cantores templi maximi antecedunt suis praestitutis temporibus suavissime concinentes: pueri vero sacrificuli cultu et ornatu serico pulcherrime vestiti, suis intervallis carmina Hispana vocibus modulata sonantibus edentes aures incredibili perfundunt suavitate. Qui comitatus omnis ordinis, ac generis virorum illustrium? quantus splendor tribunorum plebis, et senatorum? ipse Praetor Hispalensis, qui plerumque aut crucifer est Divi Iacobi, aut alicujus ordinis equestris, vel ditionis amplissimae: dominatu potentissimus, Comes, aut Marchio quantam dignitatem sustinet? quid dicam de Cardinali excellentissimo, de Archiepiscopo Hispalensi coetum, et ordinem ecclesiae clarissimum claudentes: ipsi vero administri Inquisitorum, Censores omnes in speciem et formam Censoriae dignitatis tanta cum maiestate progredientes. quid non habent amplitudinis? Multitudo, quae sese effudit ad pompam cohonestandam innumerabilis est, numerus etiam infinitus spectantium virorum, atque mulierum de viis, de fe-

ne:

nestris. Pro foribus ad spectandum tabulata sunt excitata diversis in locis plurima, et aditus et vestibula propinquo-
ra, viae publicae sellis in suis confidentes dominos, et honoratos viros continent. Interea dum pompa procedit, pulsu cymbalorum incitato civitas personat, et omnes viae suis praestitutis spatiis, sonitu tiliarum, et vocibus cantorum suavissime concinentium vicissim percrepant. Mediis interjectis intervallis utriusque ordinis saltatores agiles et expeditos, choreas Aegyptiorum numerose ductas, formas equitantium simulatas, sonalia, tympana ubique locorum concrepantia, saltationum plurimas, atque diversas varietates videre nemo non potest. Quaecumque autem vehitur Hostia Sanctissima, omni cultu, et religione, obsequio, et honore affici, omnes sese demittere et abicere ad caelorum Architectum venerandum, procumbere protinus ad adorandum in genua, ferire pectora vehementer, et ictuum pectoribus inflictorum crepitu personare loca omnia, faustis acclamationibus, et missis passim pro religione vocibus, magno sensu, ac dulcedine Panis caelestis aspectu affici, hi Angelorum aquam, aut rosarum, illi flores, violas, et rosas, alii grana saccharo condita profundere copiose. Cum ad plateam Divi Salvatoris perventum est, tormentis papyraceis Hostia caelestis accipitur, et quam magno crepitu ac fragore tormentorum, quae ex rotulis artificiose factis emittuntur. In hac platea paulisper pompa consistit, dum dignissima parens Virgo Maria Filio suo sanctissimo demissionis officium praestat, et corpus inclinat demissione summa adorando filium suum Iesum Christum: cuius aspectu religionis motus fieri solent animorum incredibiles, mulieres tollunt clamores in caelum, et circumfundunt aera gemitibus, et ejulatibus maximis. Atque haec fuit pompa, haec species, haec illustratio tanti Domini maiestate dignissima. Tandem usitatis viis omnibus, locisque peragratis celebrioribus, post quatuor horas in templum maximum reducitur, atque ab hoc tempore in occasum usque

S. 3,

SOS

Solis, comoediae dialogis ridiculis interpositis aguntur de curribus ecclesiae maximae adversis pro foribus ejusdem templi, utroque civitatis, et ecclesiae flore confidente, praesidentibus ab una parte, et ab altera Praetore, Cardinalique praecellentissimo. Atque octo post continuos dies prolatus in publicum Agnus ipse mitissimus circumdatus multitudine lucernarum, et funalium accensorum, quorum fulgore totum facellum maximum collucet et illustratur, oculis omnium visendus spectandusque proponitur. Itur hisce diebus concursu maximo ad venerandam, adorandamque tanti Domini majestatem, neque ullam horam diei vacare templum maximum aspiciemus his venientibus, et abeuntibus aliis, ut aspectu Domini sui perfruantur, et se illi commendent ac dedant, denique precentur, quae sibi opus fuerint, et ad corporum, et ad animorum salutem. Quae pietas totos hosce dies? quae dulcedo? quae suavitas animorum? quae religio vel clericorum preces divinas continentium, aut flexis genibus recitantium? qui cantus Hispanorum carminum de sacra sinaxi, de tanto beneficio suavissimi jucundissimique? Quemadmodum tota lustratio pompae plena fuit, et illustris et splendida, atque habuit summam speciem, ac tantam dignitatem; ita in venerando colendoque corpore Christi Iesu cultores Fidei in hac hebdomada solliciti videntur, atque insigniter admirabiles: ut rerum, quae geruntur, cultus, qui adhibetur; magnificentia singulari, et insigni oculi, sensusque teneatur.

DIE S. NATALITII BEATI IOAN-

nis facer.


Inter dies festos atque solennes nostrae Religionis, qui facer est Divo Ianni Baptistae, laetissimus atque jucundissimus recolitur. Neque Christiani solum, sed etiam Mauri, Turcae nostrae religionis expertes, Iudaei quoque teterrimi diem hunc gaudiis omnibus et laetitiis instaurat. Ut enim omittam contentiones acerrimas, et diuturnitate temporis incensas, quae monialibus esse solent in instauracione praesentis diei,

diei, dum se officio, pietate, et magnificentia ab studiosis Divi Ioannis Evangelistae vinci non patiuntur, et ample magnificeque ornant templum, aras thure, et odoribus perfundunt, spargunt easdem herbis, ac floribus, parietes compositis pretiosissimis, visendisque peristromatibus. Quae amplitudo? qui splendor, et apparatus templi? non illum metiamini, ut indocti faciunt, jejunitate verborum et inopia, sed in adhibenda magnificentia et apparatione plus ab illis adhibitu cogitate, quam a me adubratus fuerit. Nam ecclesia sic tota splendet atque nitet, ut magis nitere non possit neque splendere, arae ita sunt exornatae, ut accuratius, et elegantius ornari nequeant. Pulcherrimus, et venustissimus est ornatus, decora et ornamenta omnia maximi pretii et aestimationis. Non hic serica, non Damascena quaeratis, sed ex tela argenteo, vel aureo filo intertexta: quae a summa ara in pavimentum usque dejecta, et ab uno in alterum latus producta explicataque sint, et illorum cornua dejecta habentia laterum pulcherrimos licis suis sericis admirabili serie pedetibus. Quae infusitae vel funiculi multiplici filo intorti praecedunt insigniter totum opus illustre cohonestates quam elegantiam, et magnificentiam praeseferunt? In medio (quod frontale vulgus appellat) ornamento altaris, atque in utroque dejectu imagines Beati Ioannis, et in illis vitae suae mysteria miro opere picta, et elaborata visuntur, et ad speciem, et ad ornatum, et ad pietatem; et ad religionem excitandam. Ipsa vero ara quam longa, lataque est; et lineis strata mappis albeti nive candidioribus, mirum in modum albescit, atque nitet. De media ara quod matile, quam insignem, quam illustre pendet in ornamentum usque medium supra mediam aram quae corporalia sacerdos facturus rem divinam explicat, atque eleganter et apte componit ad religionem. Imboretiosissimo circumdata? ab his rebus tollite oculos ad similitudinem, ad imagines, quibus arae, quibus totum templum condecoratur, omnia quanto nitore et splendore maximo illustrata collucet? Prodit sacerdos facturus sacrum quam pretiosissimo cultu et ornatu corporis, cuius aspectus religionem maximam injicit, et sa-

ſacerdotem non venerandum ſolum, et ſumma religione colendum, ſed etiam viſendum et ſpectandum, ſummaque cū admiratione proponat aſpicientibus. Cum ille contendit in aram ſubdiaconis, diaconiſque praeſentibus, nitent atque ſplendent ornamenta pretioſiſſima a ſummo in finē uſque, ſive luſtraverimus oculis tunicas albentes, ſive manipulū in brachium ſiniſtrum inſertum pendentem, et cingulū veſtē albam aſtringens, et ſtolam de collo dejectam, et a lateribus tranſverſam continens, ſive caſulam ipſam totā pulcherrimam, totam ex filo aureo multis imaginibus illuſtratam, et gemmis clariffime radiantibus diſtinctam; nunquam equidē ab apparatu, et magnificentia recedemus. Cantus rei divinae et harmoniae monialium in ſacro, veſpertiniſque precibus decantandis admirationis plenae ſunt atque ſtuporis. Moniales, quae ſuaviore voce ſunt, canunt ad organa, ad citharam, et verſus Hiſpanos interponunt adhibito tibiariū cātū ſuaviſſimo, et templi maximi cantoribus evocatis ad celebritatem feriarum magis cohoneſtandam. Ipſa Divi Ioannis Baptiſtae imago pulcherrimo veſtitu, et ornatu in lectulis argenteis collocata, et ſolenni pompa per eccleſiam circumlata tot preſbyteris, et cantorib⁹, tibiis tota vicinia perſonante quantum habet dignitatis atque ſplendoris? celebritate harum feriarum illuſtri, pervagataque totam civitatē, deſertis omnibus quibuſcūque tēplis, refertiſſimae monialium aedes ſacrae multitudinem virorum, atque mulierum omnis generis, et ordinis capere non poſſunt. A tanti perwigilio diei praemittere ſellas equites, et ſtratas relinquere templorū ſedes digniores primariae faeminae, multi praecocupare ab albenti caelo praeflantiora loca, ſcabella concrepare arcte confidentium multitudine, multos ante dies totā pervagari civitatē fama concionatoris, ipſo denique die locorum anguſtiis, excludi plurimi, acgre multa cū difficultate confertiſſimam perſumpere multitudinem potentiores, principesque civitatis, qui ſerius multo, quam debuerāt

in eccleſiam venerūt. Ita celebres atque viſendas rebus omnibus haſce ferias moniales reddunt. Quae quos impendant ſumptus apparandis rebus, mittendis donis ac muneribus, concinnandis ſuis bellariis, et omni ſua vitae condiendis tragedmatibus ſatis teſtatum eſt omnibus. Atque haec de monialibus. Caeteri mortales nullos dies laetiores habere ſolēt, ſive cum totam noctē vigilant, et averſum, adverſumque flumen cymbis de industria magno conductis ultero, citroque comitant: ſive cum mane cum mulieribus in hortos concedunt, aut in latos patentefque cāpos, ut ſe ipſos oblectent, et auram matutinam captent, et decerpant hic, illicque flores, et roſas, intercipient herbas, quibus coronatae ad ſonalia choreas ductitā, et ad tympana, quibus deſerta loca concrepant omnia. Pueri nando flumina trajiciunt, et vicis in ſuis, aut patentibus in plateis rogos accedunt, ſaltuque certatim tranſmittunt velociffimo. Quid plura? Agareni inter veſtitus riparum viridiſſimos inambulans, peragrans ſaltus omnes, lucos, et nemora jucundiſſima, et delectantur magno opere currendo, jaculando, et aliis ſe plurimis oblectando modis. Vnde triti ſunt, atque vetuſtiſſimi cantus Agarenorum in Hiſpania, et a pueris Granatae decantati. Feriis Beati Ioannis, albente caelo, primo ſtatim diluculo, Agareni ad ripam fluminis Granatenſis curſu, ſaltu, et aliis oblectationibus non mediocres voluptates, et jucunditates capiunt.

FERIAE BEATO PETRO SACRAE.


 Vm propter egregiā ac ſingularem Divi Petri dignitatem, et gloriam, omnes Fidei cultores ſtudioſos Divi Petri aſpexerim; non omit tam diem Apoſtolorū Principi ſacrum, et in hac Hiſpalenſi civitate maxime celebrem: nā praeter ſupplicationem plauſu, et gratulatione maxima de-

cretam ad principis tanti sacellum, in qua simulachra Apostolorum Petri, et Pauli specie splendida, et illustri p[ro]p[ri]a cōportantur; nox, quae diem hunc antecedit, laetissima iucundissimaque agitur. Templum maximum multitudine funalium circūdatur, et turris ex omni parte multitudine lucernarum, atque rotae plurimae collocantur tormentis papyraceis circumdatae, in media platea castellum, aut praegrādis aliqua machinatio quotannis dissimili forma atque figura tormentis papyraceis confertissima, et intus duabus, aut pluribus testis ingenti vi et copia pulveris tormentarii completis; et cum datum est signū Salutationis Angelicae civitas omnis sonitu cymbalorum, et cantu tibiarum personare incipit, et turris, et templum ipsum totum in circuitu fulgore lucernarum, et funalium accensorum micare videtur et collucere clarissime. Ab hoc pūcto temporis faces ardentes, tormenta papyracea crepitu et fragore magno jaciuntur in sublime, quae medium aëra, caelum versus, instar cometarum vehementissime crepitanter praetervolant, donec deficiente paulatim materia in medio itinere absumuntur. Longo intervallo postquam horam unam, aut duas funalia ardere visa fuerant, ignes admoventur, vel de turri injiciuntur rotulis, quibus inhaerentibus multitudo tormentorum evolat papyraceorum in sublime, et tormenta perruptione facta, strepitu et fragore maximo huc, et illuc feruntur dissimili diversoque tractu, atque castello id temporis flammaram ardore deflagante: quod accensum et ardens tantam locem efficit, ut flammaram fulgore maxima pars civitatis colluceat et illustretur.



CHRONOGRAPHIAE

LIBER TERTIVS.

LVDI TROIANI.



SACRIS temporibus ad res humanas suis statutas diebus veniamus, et a ludis Trojanis, quod tempus iucundissimum laetissimumque est, librum tertium incipiamus. Quo tēpore urbs Hispalensis celebravit natalem diem Domini Ferdinādi Principis Hispaniarum, et filii Catholici Regis Philippi hoc nomine secundi, Senatores decreverunt post hominum memoriā ludos apparatusissimos, et magnificentissimos, quales non modo nunquam Hispali fuerunt, sed neque quomodo posthac fieri possint, ullo pacto videamus. Locus autem ubi commissio ludorum fuit, platea erat Beati Francisci, tota sericis Damascenis, bombycinis, et aureis aulacis ornata; fenestrae flore virorum, ac mulierum cōpletac cernebantur; et platea ad majorem commoditatem tabulatis, ad quae multis gradibus dabatur ascensus, circumdata. Videre erat, quocumque te converteres, et oculos conjiceres, numerum et multitudinem omnis generis virorum, ac mulierum. In

T 2 aedi-

aedibus Senatoriis tria genera hominum diversis in locis separatim spectabant ludos, quorum una pars erat portuoniariorum, canonicorum, et illorum, qui dignitates habebant in ecclesia: alii Censores erant sacrae Fidei, caeteri Senatores, qui propter aetatem, aut valetudinem ludos committere non poterant. In aedibus Cōsili Regii Praefes cum Auditoribus de tribus fenestris, de reliquis ad ministri huiusce Cōsili, et jurisperiti plurimi, advocati fama nominis ac celebritate notissimi ludos spectantes videbantur. Fenestrae reliquarum aedium multos ante dies cōductae magno pretio, peristromatibus convestitae visendis, a divitibus, et nobilibus viris, foeminisque primariis occupabantur. Gradus omnes tabulatorum magni conducti complebantur ab honoratis, et egregie ornatis viris et adolescentibus. Reliqua multitudo, quae maxime constricta, et ut poterat, adhaerebat tabulatis, aut accōmodata stabat usitato more et ratione vulgari, et ne postea virgis cogeretur, et fustibus relinquere locum collusoribus vacuum et inanem, quam scers, aut solertia dederat, plateae partem occupabat. Dum autē tempus accedebat, ut equites convenirent, et commutērēt ludos, multis, et variis inventis, multis diversis spectaculis oculi pascebantur, animique mortalium. Ecce autem longo post intervallo cantus tiliarum, et reliqua symphonia, et concentus musicorum exaudiuntur, comparare, et erigere se omnes ad spectandos intronus, et equitum primos ingressus in plateam. Equites tandem exspectati veniunt ex platea Ducis Sidonii via, quae Serpētis appellatur, in Divi Francisci forum: veniebant autem pompa, et ordine singulari, praehabent tibicines, tubicines etiā civitatis, et notitimpanistae, omnes autem in equis Arabice stratis, et sericis, et diversis insignibus induti. Equites omnes in sex turmas distribuebantur, quarum singulae pro sua antiquitate, et dignitate plateam ingressae fuerunt: et primū equites bini cōcursus praecellosos et singulares fecerunt omnium oculis cō-

je-

jectis in speciem, et praeludium spectaculi futuri. In quo ingressu videre erat, binos, aut ternos equites cursus acquabiles, et constantes in curriculo tenere, et taquam industrios, et valde exercitatos in medio stadio clamare, excitare equos ad cursum agilitate mirabili, et celeritate conficiendum, rectum tenere, neque quod accidere non raro solet, vicissim se exspectare, hos praecire, illos subsequi. Tantus erat cursus omnium, sic progrediebantur, ut non currere, sed advolare viderentur extremis digitis in stapedis se sustinendo, hastas speciosa vibrando venustate, aura sublatis a corpore leviter insignibus, et braeteolis vestium suaviter crepitantibus Jaetionolarum, et sonalium crepitu, specie magnifica, et illustri concurrentium, et ad jucunditatem valde apposita spectatorum propter auram, quae inter concurrendum a tunicis pallia non nihil efferebat, ut cursores videantur praebere speciem sese efficientium, et volatū appetentium in sublime. Primus igitur omnium Princeps unius turmae nobilis Hieronymus Montalvus, Accensus istius civitatis maximus, et Alvarus Duranus curriculum inierunt progressionem mirabili, aequabilique cursu ad omnem excellentiam, et speciem ludorum facto. Haec autem erant utriusque, et reliquorum equitum, quos nobilis Hieronymus ducebat, insignia. Prodiarunt omnes tunicis talaribus, et manicatis serici bombycini candidi, et incarnati, vicissim segmentorum, quae sex singula colorum erant, varietate distinctis. Candida segmenta venusta satis pictura ad speciem Romanam opere deaurato elaborata erant: quae conjungebantur, et mirifice ornabantur floccis summa arte politissimis, et ex filo serico, et argenteo intertexto confectis. Segmentatis a tunicis superinduebantur cuculiones candidi, et Damasceni, statim infra cuculiones pars quaedam (quam vulgō quartam appellat) eximio splendore fulgebatur ritu, et more Romanorum aureo insigniter picta, floccis argenteis, et liliis auratis aequabiliter, et venuste cadentibus ornata. Fugiente caputū erant

T 3 pilei

pilei instar illorum, quibus Turcae communiter utuntur, ex gauſapino incarnato facti, floccis argenteis, atque longis, et multis margaritis, et unionibus distincti, quos velis aureis, et argenteis circūdabant, atque nodi huiusmodi venustate cōjungebant, ut a dextra, et a sinistra in humeros illa deciderent venustissime, et aura leviter flante demitterentur, et efferrentur longe, lateque explicata. Atque haec sunt decora et insignia isti⁹ turmae. Nobilis Tello ducebat turmam alteram, qui cum suis equitibus similiter prodiit in plateam indutus tunicas talaris, et cyaneas, pictas omnes singulari opere, et argenteorum pulcritudine, et venustate floccorum. Cuculiones erant ex Damasceno candido, et pallido elegātia liciorum pulcerrime terminatae, et cuculli ex gauſapino cyaneo multo auri splendore collucentes: tegumēta capitum eadem forma, sed dissimili colore, quam quae superioris turmae fuerant: atque pennis versicolorib⁹ capita cuiuscunque turmae equitum ornabantur. In hunc modū ductores reliquas turmas, sed diverso colore distinctas in plateam duxerunt: qui omnes cursibus confectis, qui in primo aditu atque ingressu plateae fieri solent, et mutatis equis ad ludos committēdos, et celtis, atque spiculis acceptis in sua se singuli equites cum ductoribus loca receperūt; ut adversis, et paribus prope spatiis concurrerent, atque cursus multos, et recursus facerēt unius, et alteri⁹ partis adversae equitibus vicissitudine mirabili alii et alii equites occurrētes. Bini igitur, aut terni aliis occurrere, atque in suos adversarios singuli vicissim invadere, spicula immittere, statim celtis objectis spiculorum ictus excipere, seque ad suos celeriter recipere, quibus totidē oppositi atque objecti protinus occurrere, et in illos involare, spicula magna vi brachiorū intorquere, equos revocare statim agilitate mirabili, celtarum oppositu contra spiculorum ictus tueri sese, denique ad suas turmas reverti, omnes ictus in oppositas celtas conferri, et jacta, retortaque spicula, percussa solū cel-

ta

ta decidere in terram, aliquot nulla celtarum percussione capita praetervolare adversariorum, et altissima saepe tecta superare. Confectis ludis simulatione varia praeliorum cum putabamus spectacula confecta, equites in noctem usque illa produxerunt.

PERSONATI.



Nocte, quae praecedit ferias Regū, omnes scribae publici, civiles, et regii, item accensi omnes, non amplius cētū equites personati prodierunt in publicum. Convenerunt autē omnes in aedibus nobilis Hieronymi Montalvi Accensi Maximi. Exierunt autem septima noctis hora in equis pulcerrime stratis, et stapedis laxioribus, et operimento vario tectis, novis, et diversis, quae ad simulationē praesentem personarum spectant, inventis; denique cum funalibus accensis in manibus procedebant ordine suo, pro antiqutate, et dignitate sua, tunicis talarib⁹ amicti, nobilis Hieronymus, et qui illum sequebātur, bombycino levi ostrino, accensi, qui viginti sunt, viridi, et ex ostro cōtexto. Hosturma consequebatur viridi, et pallido colore levis bombycini induta, scribae publici tafetano cyaneo, scribae praetorii, et caeteri satellites et administri candido, et rufo. Tegumēta capitum more Turcarum, et nostrorum facta rusticanorum, clavis aureis, gemmis, et unionibus fulgentibus splendebant, et plumis versicoloribus ornabantur. Omnes murae nulis aureis multorum orbium colla circūdederant; et in tunicis lapilli, et smaragdi magni pretii et aestimationis varie dispersi atque sparsi, varia multiplicique specie ordatum omnē, insigniaque distinguebāt. Viae omnes clāgore tubarū, et tiliarum concentu, et crepitu tympanorum vicissim

T 4 65

et jucundissime personabant. Prædierunt omnes singulari ordine, et in Prætoris aedes contederunt, a quo hilare quidem admodum accepti sunt. Platea, quæ ante suas aedes longe, lateque patet, funaliū, quæ pro fenestris, quæ pro foribus ardere jusserat, fulgore illustrabatur: unde recta plateam Divi Francisci adierunt, quam totam ordine mirabili circueverunt. Claritate autem funaliū, quæ in aedibus Auditorū, et Senatus Hispalensis, et vicinorū omnium nominatæ plateæ ardebant, species omnis et nitor personatorum splendebat, et viæ omnes, omnia loca, quacūque transibant, fulgore lucernarum, quæ pro foribus, et fenestris accensæ fuerant, mirum in modum longissime, clarissimeque collucebant. A platea personati petierunt Basilicā Indici commercii, postea in Regiam arcem, in cujus arcis platea multi erant artificiosi ignes effecti, plurimæ artes, inventa varia, machinationes, et molitiones immanissimæ, et pinis altissimis lucernæ collocatæ, et accensæ totam plateam clarissima luce complebant. Ingressi in primum arcis impluvium fecerunt concursus maximos, et ludos (qui torneamenta dicuntur) celebraverunt: quibus confectis concesserunt versus templum maximum, quo cum accederent, sonitu cymbalorum omnium, et novis inventis ignium artificiosorum hilaritate maxima et lætitia fuerunt accepti. Denique peragrarunt vias aliquot, plateas omnes, et celebriores partes civitatis in horam usque noctis undecimam, qua hora redierunt nobilem Hieronymum domum suam, a quo dimissi, singuli in lecta domosque suas revertuntur: cum urbem prædicta specie, et simulatione personarum, omni gaudio et lætitia perfudissent.

TORNEAMENTVM PEDESTRE.

A Personarum simulatione præclare datur ascensus ad torneamentorum ludos, quæ cum duplici ratione cō-

1111.

mittatur, Pedestria primum describatur. Ludus hic, qui Torneamentum appellatur, factus est a principibus civitatis, qui in duas partes distributi celebrarunt adventum Ducis Sidonii in hanc civitatem. Duces utriusque partis, quarum altera Guzmaniorum, altera Manriqueiorum appellabatur, fuerunt Comes, et Marchio, uterque summus et singularis vir: unus ducebat Guzmanios, alter Manriqueios. Armis munierunt sese in aedibus ipsius Ducis Excellentissimi, et utraque pars ex diversis locis ordine mirabili prodit in peristylum, quod ornatum et instructum rebus necessariis erat, septum undique, vi et copia funaliū illustratum, ea specie atque forma, ut quadratum, et accommodatum relinqueretur ad ludorum commissionem. Spectatores erant, qui sequuntur: Dux ipse Sidonius opulentissimus erat ex una parte porticus superioris cohonestatus multis principibus, et flore nobilitatis Hispalensis, ex altera uxori tanti Principis honorata multis formis nobilissimis, et omnibus pulcherrime adornatis. Prædierunt igitur Ductores singulita instructis et ornatis suis militibus, ut omnes termi, pilis onerati humeros, popæ, et acrobilitate in incessu servata circueverint peristylum ita primum præcedebant Duce[m] primæ partis Comitem insignem quattuor tympanistæ, et suis bicines vestiti serico bycino, et candido, et cum pennis versicoloribus in galeris: deinde sequebantur quattuor Patroni vela ex argenteo filo intertexta ornati. Thoraces ipsi, et caligæ caesim lapet ad multiplici filo argenteo distinguebantur, et pennas in capitibus albescentes, in manibus bipennem bullis ferdid, et candidis, filo aureo inserto ornatam gestabant. Marchio illusterrimus cum suis se comitibus visendum ex altera parte præbebat. Hunc qui sequebantur, non minus illustri ornatu, visendoque progrediebantur. Omnes igitur cum in peristylum venissent, illud circueverunt lustratione venustissima, et post officium, et honorem debitum Ducibus Excellentissimis, et spectatoribus tributum, ad sua loca, unde egredi debebant ad

V con-

confligendum, singuli se recipiunt. Ac primū Ductor Manriquiorum, deinde Comes illustrissimus se comparant alacres, et intenti ad conflictum ineundum. Tympana pulsari coepta sunt, et ad similitudinem bellicam, signo, quod dari solet ad confligendum, omnia percrepare toto peristyllo, tibi arum cantus exaudiri. Terni autem, ut in lustratione processerant, audito signo congregandi, ludos commiserunt fortitudine, et industria incredibili. Concurrere primo videntur fortiter et animose hastas perfringēdo, postea magno gladios impetu distringere, ictus horredo erepitu et fragore corporibus mutuos infligere, tanta vi et contentione brachiorum, ut in multas partes illos disseuerint, et procul amandaverint atque disjecerint partes discissas dissectasque gladiatorum. Videres easdem fractas in militum confligentium corporibus, spirantes ignis inflammati scintillas, non paucas insilire in peristylly remotiora loca, in sublimē primum insilientes, et postea desiliētes celeritate incredibili in hūc, illumque locum, praeter volare capita spectatorū, et in dextram; et in sinistram, quo impetus eas projiciebat diversas, atque disperfas cadere: donec Patroni temporis magna parte consumpta interposito gladiatorum certamen dirimerunt, et Duces in sua se loca cum comitibus re praecclare gesta receperunt, et quidem praelii redintegrandi causa: quod ea, quae sequitur, ratione fuit instauratum. Primum octoni pilis conflixerunt; postea pervenerunt ad gladios districtos, quibus alii successerunt, qui similiter octoni pilis, et gladiis, quo praediximus, ordine decertarunt: donec facto sine confligendi omnes concurrerunt ad pila, et ad gladios capiendos, et omni robore, ac magnitudine animorum incredibili congressi, pila frangere, gladiis se caedere, et alius alii resistere, et singula pro virili parte se defendere, et specimen fortitudinis, et industriae praebere singulare conabantur. Videri autem erat industriam istorum in concurrente, celeritatem aliorum in caedendo, consilium in providendo, vim

in

in ictibus infligendis, Quā acres, et industrii? quā agiles atque prompti? quam fortes, et magnanimi? quanto studio, et alacritate in adversarios incitabantur? Audire erat horribile armorum strepentium fremitum, celeres et incitatos tympanorum sonitus, fragores pilorum, et gladiatorum in corporibus fractorum horribiles, ignes expressos de gladiis, resiliētes, et sparsos, atque diversos in omnes partes, clamores spectatorum, et admirationes commotas, plausus excitatos et acclamationes, laudes et honores tributos Ductoribus, in quos praecipue spectatorum oculi conjiciebantur. Ludis concelibratis, eo, unde egressi fuere, Ductores cum suis comitonibus revertuntur, et spectatores domos in suas dimittuntur.

TORNEAMENTVM

Equestre.



Edestris torneamēti Spectaculo statim Equestre certamen accedit, cujus speciem admirabile a loci brevissima descriptione statuamus. Locus, in quo ludi concelebrati fuerunt Torneamētorum Equestriū, septus undique, quadratusque videbatur: ex una parte sex aditus erāt aperti atque patētes, singuli paribus intervallis, et ex summitate singulorum signa pendeant, et totidem fores adversae signis eisdem distinctae; per quas, et per aditus praedictos equites ad commissionem ludorum exire debebant. A lateribus tabulata excitata erant, et in illis plures gradus facti ad spectandum, omnes pulcerrime strati, et aulaeis parietes ornati pretiosissimis, et umbellis obducebantur tabulata ex aureo filo insigniter intertextis. Prae caeteris apparatu visendo, et magnificentia singulari ornatum et instructum visebatur tabulatum Senatorum, Vbi tempus erat committendi ludos, ut mos est, equites utriusque partis

uno tempore, utroque exitu prodierunt in publicum, et lustrarunt aperta et patenti platea loca. singuli dumtaxat ea, in quibus signa sua collocata fuerant, multo sonitu, et clangore tubarum septeni miro ordine procedebat, specie et venustate visenda: omnes autem ordines duodecim numerabantur. Lustratio habuit magnam speciem, et dignitatem, et propter multitudinem, et ornatum eorum, et instrata equorum. Cum multae turmae numeraretur, quaelibet diversis insignibus venustis admodum, et sumtuosis ornata, atque eorum eodem colore splendide et ornate strati prodierunt. Videre erat diversitatem serici rasi, Damasceni, bombycini, telas ex filo argenteo, et aureo intertextas in equitibus, et in equis eleganter, Arabiceque stratis longe, lateque collucere, et modo nive candidiora corpora, et equos eodem colore ornatos albere, modo colore pallido, aut rubro, pallere, et rubere, modo auri, et argenti nitore clarius Solis splendore micare, denique intermixtis, et infertis variis coloribus distinguuntur et variari vicissim, et huius, et alterius generis gemmas, uniones, et smaragdus late, varieque diffundi, fascias longas, et laticas ex aureo, et argenteo filo politissima arte factas, funiculos ex eodem filo intortos, et inflexos multipliciter, multas implicationes, et inflexiones, varias et multiplices species atque figuras in vestibus effictas atque formatas, et pennas versicoloreas etas in sublime, et a summo leviter inflexas flatu aeris, et quavis aura minima se commoventes. Omnis ornatus, et insignia corporum venustissima ad aspectum oculorum, et ad animorum voluptatem pascebant spectatores, et in admirationem adducebant: sed concursus equitum multo laudabiliorem reddidit speciem hanc, et venustatem ludorum elegantia, et industria, fortitudine, et magnitudine animorum, qua incitati omnes, alius in alium ferebatur, atque septeni congregantes fregerunt hastas, et postea gladiis districtis vehementer ictus corporibus infixērunt, nullo modo, neque ratione servata. Denique recepti in

le-

locum unde exierunt, omnes phalagefacta magno impetu, quam tumultuosissime, et fortissime ad orientes primo habitis, deinde gladiis conflaxerunt. Mirabilis autem in hoc conflictu concursus exitus duorum equitum, et magis singularis, qui tanto impetu, et furore praecipiti equis incitatus adversi concurrerunt, ut interque caesis equis ex conflictu confestim praeceps deciderit: atque unus crure sinistro fracto, alter capite graviter saucio paucos intra dies interierit.

HASTILVDIVM.

Quattuor viri nobiles, et in re militari exercitatusissimi, cupidi celebrandi Natalitia Domini specie aliqua et simulachro bellorum, edicto publico lacessierunt nobilissimum quemque, et optimum civitatis ad Hastiludium: proposuerunt amplissima praemia venustius, et fortius congressuris equitibus, et illis praecipue, qui in ludo non solum praecclare se gesserint, sed splendidior, et magis visendo ornati decorati prodierint in publicum. Iudices constituti suis nominibus in edicto appellabantur. Interim omnia necessaria ad commissionem ludorum in platea Ducis Sidonii comparabantur, et tabulata quam plurima fiebant: ita platea sepebatur, ut quadrata relinqueretur ad committendos ludos. Die igitur, quae praestituta fuerat in edicto, comparatis, et ornatis rebus omnibus, fenestris planissimis nobilium, Auditorum Regii Senatus, et ipsorum Hispalensium senatorum, fertissimis quoque omnis generis, et ordinis honoratissimorum virorum, atque mulierum, praemiis palam propositis, et iudicibus in tabulato suo amplitudine summa et dignitate confidentibus hora iam ludorum committendorum expectabatur: et cum magis multitudo suspensa pascebatur, spectandis viris, et mulieribus, quae in fenestris, quae in tabulatis, quae in caeteris spectaculis cernebantur, in laudando, et

V. 3. con-

contemplando tãto tamque mirifico ornatu, et spectaculo-
rum elegantia, et magnificẽtia, ecce subito duo viri in equis
non contractioribus, sed laxioribus stapedis stratis ingressi
sunt in plateã cum duobus vexillis colore diverso, et insig-
nibus propugnatorum distinctis, quos duo Reges armorum
comitabantur armati ferreis thoracibus, et insignibus Regũ
ornati, et eos duodecim tubicines tubis concinentes, et ver-
sicolore propugnatorum veste amicti praecedebant: cum
omnes plateam more, et usitata hujus spectaculi consuetu-
dine circumissent, armati in utroque cornu telae sua signa
collocaverunt: deinde Propugnatores magno strepitu et clã-
gore tubarum ingressi sunt in plateam. Fuit equidem advẽ-
tus illorum plenissimus pompae, splendoris, atque dignita-
tis. Tubicines duodecim praebant insignibus telae, et gale-
ris ex eadem tela, pennis versicoloribus, pallidis, et candidis
ornati: quos innumerabiles equites eodem ornatu sequebã-
tur in equis simili specie, et nitore stratis, famulis consequẽ-
tibus, et armigeris plurimis similem in modum vestitis. Vĩ-
tissimi omnium Propugnatores veniebant fulgentibus armis
muniti, et superinduti tunicas manicatas, atque talares ex
eadem tela superiore aurea, et squamis tectas, ad speciem et
ad aspectum valde visendas, ex serico bombycino, rubro co-
lore factas, singulos quattuor pueri in equis mirifice stratis
eisdem insignibus ornati sequebantur: et lustrata tela, et ho-
nore, et officio tributo principibus spectaculi praesentibus,
eadem specie atque pompa iudices adierunt, et suis delatis no-
minibus, in alteram partem telae, quae spectabat ad inferio-
rem plateam, se cõtulerunt. Multi statim collutores quater-
ni convenerunt ad committendos ludos, et singuli post telã
lustratam, post honores, et officia tributa principibus, post a-
ditos iudices, conventos, et data nomina, sonitu tympano-
rum, et sua vitate tibiatarum concurrebãt, et omnes, et qui cõ-
sequi praemium, et tueri ludos conabantur alacriter cõcur-
rendo, et acerrime pugnando de frãgendis pilis summa cor-
po-

porum, et animorum contẽtione laborabant. Propugnato-
res sese defendere, industria et alacritate nemini cedere, susti-
nere Hastiludium in tempus omne vespertinum, acriter ac-
vehementer resistere, prohibere impetus omnium colluso-
rũ, et quas natura dederat vires, et quem habebant usum re-
rum militarium, sustinendo, et propellẽdo adversarios ostẽ-
tare magnificentissime. Quid plura? Spectatores omnes, quas
habebant spes in collutorum virtute positas, domum retu-
lerunt, et animos expletos magnificentissimorũ, qui com-
missi fuerunt, spectatione ludorum. Omnes, qui commi-
serant ludos, fortiter, et animose, quemadmodum primo fe-
cerant, hastis concurrerunt. Vnus autem fortitudinis, et in-
dustriae praemio fuit affectus de genere, et de familia Guz-
maniorum: qui tanta vi, et impetu cõgressus fuit, ut nec mi-
nimum quidem hastae fuerit, quod fractum, atque disceptũ
in multas partes, aut in sublime non infilerit, aut diversum,
atque dissipatum multo varioque dispersu plateae plura lo-
ca, et quidem distantia non compleverit.

LVDVS ANNVLARIS.

Non commemorabo in hoc ludo vestitum, et
ornatum equitum, non ephippia, et nitorem
equorum, non divisa Senatoribus, et Consilia-
riis Regiis, atq; ipsis Fidei sacrae Cõsõribus lo-
ca designata, ut spectacula singuli sibi facerẽt,
non denique concursum, et multitudinem spectatorum, qui
ad ludum annularem spectandum convenire solent. Nam
collutores quemadmodum ad ludos Trojanos, et ad hasti-
ludium, et ad torneamenta, vel aperta, aut simulata, facie
prodire solent. Proponuntur praemia transmittendae has-
tae per anulũ, et rapiẽti multo magnificẽtius. Quid ergo?
Dicã dũtaxat in via publica ex una fenestra in alteram ad-
versam funẽ transversum duci, aut ex duobus lignis defixis

in terram, et funem tantum spatii a terra sublatum esse adductum atque contentum, ut neque motu, aut tactu hastae altius efferri, deprimi, vel submissius queat, atque eques hastam rectam atque directam in os annuli, si certior fuerit, sine labore, et difficultate possit transmittere. De medio fune pendet annulus, in quem dato signo decertandi equites dirigunt hastas atque conferunt, qua possunt industria atque solertia, qua arte, et ingenio mirabili: et omnes nervos corporum, et animorum ad os annuli transmittendum, et ad illum aufrendum, secumque trahendum contendunt, et hastam nullam in partem movendo, rectam semper, et in annulum directam ducendo conferendoque. Audias clamores tolli, mo veri admirationes, oculos omnium quam intentos in colutores conjici, dum is non multum abfuit ab annulo, alius annulum visus est attingere, ille certe tetigit, et si parum non sustulisset hastam, transmisisset quidem: unus tandem, qui semper in decertatione sui maximam expectationem commoverat, annulum transmittens vi adhibita, fractoque fune, victor abstulit, secumque traxit: qui praemio donatus, ex certamine gloriosus, et exultans excessit. Ante decertationem ingressus equitum in viam magna fuit specie et dignitate propter illorum ornatum, et equorum nitorem illustrem, sicut illustratio digna viris illustribus, et Hispalensi nobilitate clarissimis. Neque mediocres risus, multae quidem cachinnationes consequebantur, si quando accideret, ut quis longissime ab hastâ distaret, vel cum conabatur et existimabat hastam in annulum se transmittere, non minus quam si nunquam in annulum direxisset, ab annulo discrepabat, et totus miser aberrabat. Ita multa laude, et admiratione digni nonnulli, duo aut tres pro ridiculo et defectamento habiti fuerunt spectatoribus.

⑤

AGI-

AGITATIO TAURORVM.



AM tandem aliquando de Taurorum Agitatione dicamus. Quam quis unquam celebriorem, et magis jactatam in vulgus audivit, et per finitimos, et remotos populos, dies multos antequam agitandi tauri fuissent, sparsam atque diffusam fuisse? Quattuor hebdomadas ante praesentem diem tabulata excitari coepta sunt, in quibus erigendis tanta multitudo fabrorum occupabatur lignariorum, tanti clamores illorum, et crepitus et fragor malleorum audiebatur, tanta comportatio tabularum, lignorum, et trabiû, tanta vis et copia funium ad alligandas, et cōstringendas multas in partibus trabes, tanta vis omnis generis clavorum ad tabulas affigendas, quanta necessaria erat ad tantam, tam longam, tamque patentem in omnes partes plateam tabulatis cōfueris circumdandam. Videres per bajulos comportari, cōferri in sua loca, et exonerari deponique materiam quam plurimam, fabros lignarios variis operis praestandis occupari, illos tabulis, aut lignis reseccadis, alios perforandis, vel dolandis, vel figendis, aut laevigadis tabulis, atque poliendis intētos esse, singulos conficiendis tabulatis operas praestare necessarias, atque ultima die, quae praecedit diē Taurorum Agitandorum, occludendis viis omnibus, atque foro sepiendo. Die igitur adventante Agitationis Taurorû, primo statim diluculo tauri concluduntur, quorû si grege vaccarum usitato in urbem trahuntur, alii, qui truculentiores, et valentiores erant, in caveam inclusi ligneam, et quidem magno strepitu, et clamoribus eorum, qui pedites, et equites ad taurorum inclusionem spectandam maturius solito, multo ante lucem surrexerant, et in sequutum in urbem usque conducerant in campos, unde trahendos illo die multo mane audiverant. Trahebantur igitur grege vaccarum consueto, et

X in

in solitudine, antequam in urbem introducerentur. Saepe homines taurum unum, et alterum, et aliquot ferociores sequi recusantes gregem praecedentem impetu facto, et perruptione vaccarum fugiebant sparsis statim ac dissipatis, et diffugientibus bobus, et tauris reliquis. Illi diversis itineribus, per patentibus campos, aut acclivia, et declivia loca, fata multa praetererunt, et transilientes rivos, torrentesque multos, in lucos se non raro abducentes ultimos, recessusque sylvarum, currere, ac diffugere, qua illos impetum ferebat praecipites: nemo autem fugientes consequi poterat, neque multi eorum, qui prius a tergo sequebantur, propter ferocitatem remorari audebant: qui se audaciores praestabant, cogendis bobus, et perducendis in locum, in quo tauros nancisci possent, auxilio erant. Ita videre est latissimis saepe campis, sparsos atque diversos homines, et tauros partim cum grege bouum commixtos, partim solutos, ac fugientes alio, quam quo homines existimabant, aut revocare se posse arbitrabantur objectis vaccis, quas illuc de industria, et ut facilius tauros reducerent, perduxerant: donec casu, aut defatigatione, vel industria equitum, et multitudinis reducti ad gregem coactum, et conjuncti cum illis atque commixti in urbem intromissi sunt, conclusaque magno, ut praedixi, strepitu, atque tumultu, et dissonis, et intolerandis clamoribus tauros consequentium. Omnes autem sese effundebant ad tauros spectandos, et de foribus, de fenestris spectabant. Platea jam multitudinem hominum capere non poterat, et a primo diluculo in vespertinum usque fenestras aedium, quae conductae fuerant multos dies ante Taurorum Agitationem, aulaeis pretiosissimis conveffiri coeptae fuerunt, maxime Senatoriae, et Auditorum Consilii Regii. Cum jam tempus esset Agitandi Tauros, signum, quod dari solet, vagis et errantibus in platea datum est recipiendi se in tutiorem locum, et cavendi sibi ipsis, ne in cornua taurorum inciderent. Taurus igitur solutus in medio

tum

tum videt, huc, et illuc non desistit circumspectare, et ipsam saepe attollendo, demittendoque caudam, cornibus minitandendo, et unguibus spargendo arenas, vires quasi sumere ad invadendum; agitadores vero sibilis multis, jactatione crebra palliorum, et conjiciendo, retorquendoque spicula provocant atque laceffunt taurum ad invadendum; cujus impetu facto in aliquem videre est sparsos atque dissipatos homines diffugere, et hos in tabulata, alios in aedes propinquiores, vel in tutiora receptacula se dare, quanta pedum celeritate possunt. Qui strenui sunt, et agiles agitadores, currenti tauro sese opponunt adversos, et objiunt, aut objectu palliorum obcaecant oculos taurorum, et impetus illorum vanos et inanes deludunt. Ita taurus unus, et alter agitur, et obruitur, cominus, et eminus multitudine jacta spiculorum: donec de circo per portam confectam emittitur. currendo fessus, ac defatigatus, saepe faucibus, et sanguine multo profuens, multis plagis ac vulneribus acceptis. Qui ferrox admodum est, atque truculentus, ejus crura gladio alicujus agitatoris succiduntur, vel equitis telo confoditur; quem equus expectat in equo, et conficiendis confodiendisque tauris assuetus, et valde exercitatus cum hasta ad necem paratissimas atque ubi taurus appropinquat, accedit et equus exercitatus; et teli aciem in cervicem infigens laetali vulnere affectum prosternit in terram, saepe ipsam etiam infringens hastam in tauri corpore truculenti vehementer immisissam. Iacere taurus, mugitu sublato in caelum omnia commovere, equus laetus et alacer in platea exsultare, atque in unius tauri, quem spectare audebat nemo, caedere triumphare: omnes in illum oculos conjicere, mirari bestiam truculentam confosam, humique jacentem, et multo magis industriam, et fortitudinem interfectoris.



DE SCOPO FERIENDO.

Sagittarii celeri inter se sagitta decertare solent, qui papyrum, tanquam scopum suorum ictuum, feriendam sibi proponunt, quo suos ictus intendant atque dirigant ad trajiciendam, et mille ictibus cōscindendam dilacerandaque papyrum. Comparant igitur illi suos arcus, depromunt sagittas, et totis viribus eos intendunt, et adducunt nervos, quantum opus est; quos cum intentos jam, et paratissimos haberent, horas multas jaculari incipiūt, atque sublatos arcus, et ad sinistrum oculum admoventes primum collineant industrie atque scienter, deinde sagittas mittere multum in tempus non desistunt, quae velocitate mirabili medium aëra terrifico stridore praetervolant: hi feriunt scopum, alii saepe aberrant, non attingunt nisi raro, multi feriendi manū cōrtissimam habēt, et nullam frustra emiserunt semper, semperque collineando: atque hi mille ictibus concisam discerptamque papyrum in mille frustula dilaceratam reliquerūt. Ita nunquam hi non trajiciebant, alii casu magis quā scientia, cum totum vesperem jaculareretur, tandē aliquando collinearunt: multi tam infelices fuerunt, ut quasi notatam nūquam, neque designatam oculis habuissent papyrum, ictum nullum inflixerint: alii nervos, cum jaculari voluissent, quoniam intentos multum habebant, ruperunt. Itaque vesperū sagittarii lactum et hidarem posuerunt exhaustis consumptisque sagittis: et jam quidem jaculando defessi domum redierunt. Atque cum plures jaculatum venissent, et ab scopo primo averſi in arboris folium omnes una jacularentur, prae jaculorum multitudine, et sagittarū umbra Solem homines non videbant.



NA-

NAVALIS CURSUS.

Praemia Hispali cōstituūtur sacris Divae Annae, solennibusque feriis a ponte in pinnulae usque portam cymbis suis concurrentibus aliquot Portitoribus: ad quem cursum jam jam ad Solis occasum futurū plurimi viri, mulieresque de suis lecticis spectandum conveniunt. Tres igitur, aut quattuor ex Portitoribus delecti, magis exercitati, magis fortes, atque valentes suis remis ineunt certamina, et quidem singuli suas cymbas agere paratissimi sunt, totis viribus, et nervis ad cursum incumbentes: atque cū pari primum et aequali cursu impellerent, postea propellerēt cymbas quanta vi et contentione brachiorum potuissent, aquarum, quae sulcabantur, et secabātur fragore incredibili, praetervexerūt permulta spatia ipsius fluminis vagas et flexuosas undas. Atque Portitores illi partim in tranſtis cōsidebāt, partim stabant, et vim adhibebant omnes, clamoribus navicis totum feriebāt aethera, cum cymba unius Aegidii incitata vehementius praecire visa est, adductis alii lacertis vertere celerius fluctus, discindere violenter sulcos, spumare impetu violento flumē, totumque remis convulsam dehiscere magis ac magis, ac profundae paene videri voragines patefieri. Non tam praecipites certamine bijugo campum equi corripuerunt, nec currus effusi carcere suo proruerunt, neque aurigae jugis immisis ad incitandos equos tantopere lora concusserunt in verbera: nunquam non proni pendentes, atque unum, et alterum intentantes, demittentesque statim in equorum terga: lorum; quam ipsi Portitores cymbas impellebant, propellebantque suas vi brachiorum, et toto corpore connitēdo. Ripae id tēporis totae plausu multo, fremituque spectatorum, et summis favētium studiis personabant, atque terra ipsa resiliere, profilire muri videbantur clamoribus hominum, favoreque tam multo.

X 3. bam.

bam tantam, fremitumque omnium, cum adhuc Aegidii cymba evolare videretur, illam conſequebatur altera Franciſci remis melior, ſed pōdere tardior aequum curſum tenere nō poterat: aequo deinde intervallo, nullo diſcrimine, duae aliae Antonii, Bernardinique locum priorem ſuperare contendebant, et modo illa anteibat, modo ſubſequebatur, interdum ambae coaequatis ferebantur frontibus, et conjunctis prope proſis aquarum ſpatia multa pariter ſecabant: cum jam in pinnularum conſpectum, quamquam multo ante metam veniſſent, duae poſteriores cymbae, una remis fractis, altera contabulatione diſſipata, neſcio qua de cauſa, conſtruerunt, duae reliquae ſeſe victrices compellabant, cumque properarent, et accelerarēt curſum, utraque parē tenuiſſet, niſi unus Portitor diverſus abiſſet, qui revocat⁹ a multis, ab inimicis in fraudem ſe induci arbitratus, remis ad ſcopum cymbam retorquere noluit, atque aemulus multum praecunte cymba flumine decurrens aperto locum, palmamque tenuit.

DE MALO, SEU LIGNO SUPERANDO.

In ſpectaculis aliquando publicis malus erigi ſolet, aut lignum in mali ſimilitudinem reſtū, atque praecellſum tollit, in cujus acuminato ſtaſtigio ſericum eminet raſum, quod qui auferre voluerit, in malum ſcandere paratiſſimus eſſe debet. Atque lignum aſcenſu difficillimum eſt, quod cū altiſſimum ſit, et ex omni parte laevigatū, tum ſapone totū in ſummitatem uſque oblitum: quamobrem illud accidere neceſſarium eſt, ut lubricum ſit, atque in illo, niſi magna cū difficultate, ſeſe aſcendentes ſuſtinere non poſſint. In hoc igitur lignum ſpectantibus cunctis de platea, de fenestris, de ſpectaculis omnis generis viris, atque mulieribus, unus, et alter, et multi malum ſcandere aggrediuntur brachiis complexi, atque ſenſim, cruribus repentes, et toto corpore contenden-

dentem ſe in ſublimem locum dare: ſed ſaepe in medio cum fuerint, qui magis agiles, et induſtrii ſunt, et aſcēdendi principes magis ſingulares, poſt adhibitam magnam contentionem, ut medium ſubeant teneantque malum, derepēte cum altius aſcendere contendant, in lubrico ſe ſuſtinere amplius non poſſunt: decidunt igitur delabunturque incitata praecipitūque rapiditate in terra uſque: Ridere ſpectatores, cachinnari multitudo, idem atque alii aſcenſum repetere, conari iterum, ac ſaepe ſcandere, in eoque peritare aviditate conſequendi ſerici raſi, nihil curare riſus, nihil cachinnationes: et quoniam ſaepe infimi homines ſunt, operarii, aut bajuli, experiri ſaepe, periculum facere, ſemper tamē recidere reſlabique, et fruſtra conari toties, tandemque cachinnatione cunctorum, et ignominia, maloque ſuo, poſt impetum majorem, et graviorem, vehementioremque prolapſionē, perſequi contentius, et aſcendendo ſericum raſum appetere nō deſiſtere. Inter hos unus agilitate mirabili, et induſtria ſingulari, in lignum cum ſumma ſpectatorum admiratione, quem ſingulis momentis reſapſurum fuiſſe omnes exſpectabant, jam jamque metus erat, et indicia manifeſta, niſi firmiter, et conſtanter ad malum adhaeſiſſet, et ſeſe cum illo conſtrinxiſſe atque adeo conſuiſſe videretur, ſudans, et anhelans aſcendit, et ſericum auferens raſum, collo celeriter ſuſpēdit: qui totus gaudio exultans, triumphanſque cōfeſſim ſe dedit praecipitem per malum a ſummo in infimam uſque terram. In quam cum ſe pervenire jam, et appropinquare ſentiret, uno ſaltu proſiluit quā celeriter, et digitis cōcrepās, omnibus, qui erāt in platea de collo ſericum raſum ablatū ſpectatoribus exultans oſtendebat, atque clamans illud offerrebat ſtatim juſtū pretiū perſolventi: ſed ſe ipſum praecoſtū facti poenitere clamabat ſtatim confirmans ad thoracē, vel ad femoralia conſicienda ſatis idoneum eſſe: totum explicatū agitabat, verſabat in omnes partes, atque circumſerebat, ut plane totus prae laetitia deſipere videretur.

LVDVS GLADIATORIVS.

Satis multus fuisse videor ludis, et spectaculis describendis, neque puerilibus adhuc descriptis, sed solum virilibus; quibus admiscebimus, quae utriusque aetatis communia sunt. Absolvamus autem exercitationes huiusce generis gladiatorii certaminibus, quae proponuntur, atque acerrime committuntur in plateis ab Hispanorum genere praestanti. Illi admirabilem speciem praebent praehistorum: nam cum digladiandi ludum aperiant lanistae, et domibus suis adolescentes industrios in capiundis, tractandis, et versandis armis exerceant, hi diebus festis producunt in plateis arma, et aliquos ex discipulis nobiles, et celebratos, et plurimarum palmarum gladiatores: arma sunt scuta, quibus corpus contra ictus tegantur, galea ad capitis defensionem, et ad digladiandum duo gladii, sed hebetes et obtusi, cum nihil velint sibi nocere gladiatores hos magistri sui, sed ludicram, et simulatam armorum artem exercere: quam ob rem neque scutis, neque galeis utuntur fere semper, sed gladiis cum scortis, sic cum punctim invaserint ora vultusque adversarii, oculum eruunt. Primum igitur unus a latere uno, et alter ab altero gladium versare incipit, opponere transversum alteri, vel rectum, aut obliquum, ut ars ictum inferre, vel fugere ac declinare jubet. Cum joco res agatur, et artis solum exercendae causa, satis putant boni gladiatores fuisse, et ad scientiam, et ad praestantiam suam ostentandam ictus notare, designareque. Illi modo caesim, modo punctim in adversarium invehuntur, quam venuste se subtrahunt, gradum referunt, et cum opus est se totos inferunt, et datam sibi fuisse potestatem necis faciundae, si inimice res ageretur, ostendunt; denique victus gladium deponit lanista in pacificatoris, aut patroni morem gladium interponente suum, ut decertare desinant, et alius cum victore certamen ineat.

FO

FOLIA PICTA.



Ccedat Chartae Pictae pueris, virisque nostro malo tam usitatae. Liber vulgo nominatur Octo et Quadraginta Foliorum, solutus ille, foliis in partibus disjunctis, atque dissolutis jactari solet: e quibus Ludus Foliorum constat Pictorum. Fasciculi igitur Foliorum proferuntur in publicum, quae in quattuor diversa genera, aut familias dividuntur, in aureos nummos, in carchesia, in baculos, in enses: in unaquaque familia numeratur rex, regina, eques, monas, dyas, trias, quaternio, pentas, senio, heptas, octoas, enneas: quorum singula suis punctis, et figuris notata facile internoscuntur: et pro numero punctorum, quae obtigerint, lucrum faciunt collusores. Cum igitur de ludo conveniant, aut communi consensione, vel sortitione facta, distributor, priusquam folia distribuere, alias chartas aliis inferendo, atque immiscendo confuse, permisteque Fasciculum componere consuevit: quo composito, cum satis chartas miscuisse visus est, distribuit folia singulis collusoribus ex ordine suo, et aequabiliter. Atque periti ludendi, priusquam chartam aliquam nosse coeperint, chartas sibi datas numerare solent, num plures, an pauciores acceperint; nam si unam habuerint plus aequo, et statim atque acceperint, indicaverint collusoribus, dolum aliquem, aut machinam non videbatur commoliti fuisse. Atque caute sibi provident legem statuendo, ut qui plures solus, et legitimis chartis acceperint, si statim non indicaverint, illum amittant ludum, et in Fasciculum chartas referant. Cum igitur incipit ludus, et singuli sua folia ostendunt, ex numero quaestus mediocris est, aut uberrimus, aut iactura in unum, aut in alterum modum: quique lucratus fuerit punctis superior is auferat pecunias de mensa, et illum, qui sequitur fors attingit impertiendi, qui commiscet iterum folia, et impertitur

Y atten-

attente, ne unam plus iusto praebeat. Age igitur quemadmodum incipiunt chartas internoscere? quam sensim? quanto cum metu? quanta interdum voluptate? cuius generis sint et familiae? plures ne unius ceciderint, an diversi generis? baculi ne, an enses? vel numi aurei, vel reliqui generis? et ubi tres unius ordinis obtigerunt, sine dubitatione illam diversi generis abjiciunt, et expectant alteram, ut concursus fiat unius generis foliorum: quae postquam cum aliis cõfluxit, quam collusor laetus est? Atque solet illud etiam accidere, ut cum tres diversi generis ille sortiatur chartas, tertiam, quae minoribus punctis constiterit, abjiciat de manibus, et unam expectet ad constandam (quam vulgo primam appellamus) omnium principem. Qui vero habet in manu quinque supra quinquaginta, tacet inscius eorum, quae collusoribus aliis obtigerint, qui prae gaudio vix apud se esse potest: auget igitur sponsonem, quam alii duo in tribus primis chartis consistentes, nondum ultima perspecta, cum unus ad principem quamvis minimam, alter ad concursum chartarum expectet, nõ solum sponsonem augeri voluit, sed fieri accessionem majorem postulât, et plus addi ad sponsonem adversarii: itaque quidquid reliquum est nummorum, atque restat in mensa, adaugêt et accumulât, tantum scilicet incrementum, quantum adest et praesens est, et amplius nummos argenteos, quos depromere voluerit de erumena. Deturteretur primus amplificatione sponsonis, et quia quantum sponso facta capere potest, in eam sortem confertur, ludus est in magna expectatione. Suspensis, et intentis spectatoribus, quae charta ceciderit, unus explorare incipit, et sensim, quam lenissime potest, non ut punctum, quod appetit, quod expectat, et quod sibi necessarium est ad ludum optimum, prorsus emineat, sed ut praebeat speciem minimam, et spem afferat, et excitet expectationem figurae, quae cadere debeat, donec usque eo progressus est chartam proferendo, ut appareat plane, cuius generis sit: quae cum ad constandam prin-

prin-

principem ceciderit, alter cum suis quinque et quinquaginta punctis, de spe, quam habebat, minime dejectus pecuniam omnem si non abstulit, at expectat illius generis minima (e ablaturo esse. Ita quidẽ res in eum statum adducta est, ut is, qui ad chartarum concursum contendit, cum collusore, qui principem constatam ostendit, de lucro certamen suscipiat: atque ad pactiones solent descendere, ut aut partiantur pecuniam aequabiliter, aut ut suam unusquisque auferat, reliquum, qui lucretur, vel amittat, vel auferat. Sed cum inter se minime conveniant, quia primus, vel totum perdere, vel lucrari vult, secundus ubi exploravit (nam reliqui jam suas in Fasciculum rejecerunt chartas) cum charta, quam expectabat, cecidisset, quoniam quattuor unius generis confluerunt, totam aufert pecuniam. Ecce ludos omnium optimos, et fortunatissimos, quibus nulli possunt feliciores esse; qui prius quam concurrant, ludi contingunt varia et ancipiti fortuna; ut unus prius lucretur, et perdat paulo post ludo dissipato, et male cohaerenti, aut felici et fortunato. Interim dum ludus durat, inter colludendum nummi intercipiuntur de lucro, et donantur illis, qui praesentes spectatores fuerint: saepe tot tantaeque fiunt donationes de lucro facto, ut plus donatum fuerit, quam lucrifactum. Aliquis tam felix est et fortunatus in Pactis. Foliis versandis; ut collusores spoliatos, et exinanitos prorsus dimittat. Qui sibi cavere, vult, ubi videt non multum in mensa superesse pecuniarum, ludo desistit: neque precibus adduci potest ad perfequendum, tuendumque ludum amplius, quod incerti semper exitus ludorum sint: quod ille felicissimum quemque pignerari solet, et quem in lucro exultantem aspicit, et spoliantem caeteros, saepe nummulis suis consuevit evertere: ut incertos et dubios eventus; et casus ludendi nunquam non etiam felicissimus metuat. Sic equidem homines malus iste ludus mul-

Y z

Stat atque perdit, ut istos collutores in egestatem, et miseriae, inauditas conjiciat.

FVNAMBVLVS.

Non est praetermittenda jucunda Funambuli spectatio, sed cum ludis commiscenda virilibus: constat enim inter omnes in Italia Schoenobates esse, qui Schoenobaticam faciunt, et in illa exercent discipulos artem hanc docendo. suis praeceptionibus, usu et exercitatione summa, ad similitudinem aliarum humilium, aut ingenuarum artium, atque in iis praecipue locis ubi minus periculi creetur discipulis, in fluviis putatote, vel in marinis aquis littori propinquioribus: ut cum illi, qui Schoenobaticam docentur, nandi periti sint, funem inambulantes ab una in alteram navem protentum, quod initio accidere saepe necessarium est, antequam artem perdiscant, si reciderint in fluvium, emergant illico nando, vel ad litus, vel ad catadromum, in quem resiliant saltu citatissimo. Ita quidem docentur hanc artem, et exercentur in illa, usque eo, donec Funambuli mirabiles evadant: qui nullo non modo timore, sed audacia, celeritate, dexteritateque singulari Schoenobaticam faciunt. Finge igitur impluvium, in quod concurrat ad Funambulium spectandum infinita multitudo, circumdatum foris, et cuneis superioribus, et inferioribus, totum quam amplum, et longum est, ab hominibus partim sedentibus, partim stantibus occupatur: cubiculorum fenestrae multorum spectant in impluvium, quas mulieres nobilissimae, locupletissimaeque magno pretio conducunt ad spectandum: nam reliqua multitudo minore pretio, nota jam omnibus, et constituto admittitur in impluvium: plus autem pretii dat sessionem deponens, ut qui fellam voluerit, nummum unum offert argenteum. Funes autem duo sunt proten-

tenti, qui de quattuor palis crassioribus, rotundis, et altissimis producti sunt ad rerum varietatem, quas praestiturus est in utroque fune Schoenobates: Nam hi non semper uno die, quod sciunt, id praestant populo, sed in singulos dies addunt aliquid novi, ut non solum multi spectatores quotidie conveniant recentiores, sed ne desint etiam ii, qui semel spectarunt ducti novitate, quae maximam hominibus cupiditatem injicit, idque praedicant quam intenta voce, et augentes verbis, de catadromo spectatoribus, antequam dimittantur, et procompitis, prolocis celebrioribus varietatem proscribunt, et diem, et horam. Prodeunt igitur aliquando Schoenobates duo, unus aperta, alter tecta facie, primus ad subuculam usque nudatus, cum femoralibus, et tibialibus sericis, ut aspectu suo captet populi plausum in ipso statim aditu, et in catadromum ascensu primo inde ille venientem alterum in habitum atque figuram ridiculam vocat: Schoenobatem appellando, qui singulas inter saltationum varietates colloquola miscet ridiculam. Primus se scientem artis admodum praebens alterum provocat quasi inscientem, aut formidolosum, cujus se simulat ignarum, et ad audendum, quod comes propectus in audaciam praestiterat, timidum, et formidolosum: unde risus multi, multae cachinnationes, maximi plausus, et admirationes crebrae. Ordiamur igitur ab eo, quod principium dat huic spectaculo. Nam primum Funirepus is cum tigillo catadromum ascendit, quem ab utraque parte manibus transversum apprehendens aequabiliter sustentat, ut non plus spatii ab una, quam ab altera extremitate reliquum sit. Iste obrepit modo sensim, et recto semper corpore prorepens, quasi agna pompa corporis lustraret viam huc, illucque circumspectans, modo celeriter, et currens interdum, atque tanta celeritate, quantam in lato, patentique campo susciperet alius homo. Idem revocat se statim, cum ad summum catadromum pervenit retrocedens, retroque currens, atque sursum versus, retrorsum vicissim: neque semel duntaxat, sed bis, atque

saepius. Cum autem est in summo catadromo, alterū accersit comitem Funambuli nomine compellans. Is se fatuum, et arūs inscientem fingere, simulare de industria multas prolapsiones, offensiones passim, tarditatē, et metū in proropendo, et in dextrā, et in sinistrā lapsus periculosos, et a recto fune defectionē crebram, ut jam jam casurus videatur. Sūt autem inter utrunque interrogandi, et respondēdi non ingratae vices, cum unus jubet experiri, alter pertentat, et cū trepidatione summa: quae omnia pertinent ad suspendendos animos spectatorum, quos pendere videas Funambuli studio stupidos et attonitos, dum hic secundus scite simulat, et artis suae scientia comitem, et celeritate superat industrius et agilius post simulationem ad omnia. Hi duo uno pede sublato catadromum etiam praetergrediuntur, et conclusis oculis, vel tectis aliquo linteolo: atque dū unus in fune stat divaricatis cruribus, alteri concedit locum a fronte proropendi longius neque minimum attingēs comitem, et tanta cum venustate, quāta cedētes de via officii causa homines elegantes et urbani cum sui generis, et fortunae civibus utuntur. Ac ne spectatores putent in tigillo transverso niti Funambulū ad progressiones, cursusque suos, illum de manibus nonnunquam relinquunt brachiis protentis, et ad dexteram, et ad sinistram, suis quasi libris aequabiliter ponderibus. Ac ne brachiorum quasi libramento sustineri videantur, eadem brachia in similitudinem antennarum depressimūt, et attollunt: interdum quasi pennarum officio brachia fungerentur, praebent speciem avium sublatis pennis sese ad volatus comparantium suos. Accipiunt etiam Neurobatæ sandalia lignea, nō solearum latitudine, quibus mulieres utuntur progredientes summo fastidio, et pompa corporis, sed ipsas palis angustissimis inhaerentes gerendo non ungue lato amplioribus, et ab eisdem soleis palmos duos longius productis processus faciunt mirabiles sursum, atque deorsum veloces et incitatos, totumque percurrunt catadromum

num retrocedentes non minore venustate, quā sursum versus adversi contendentes. Iam vero quis nō putet arte spiritus nequissimi fieri, quod sequitur, ut in sacculum lineum illaris pedibus, et ad collum usque sublato, ut illic totū corpus cooperiat, et ad collum perductus nodis funicularū cōstringatur, unus de Funambulis progrediatur, et quidē cōclusis oculis, et obductis strophio? In hoc magna tenet mortaliū animos admiratio, sed in altero stupor potius opprimit videndo, quod fieri non posse putant multi, nisi patiente cum Daemone facta scelerata; et utriusque Funambuli animorum devotione detestabili; ut saltationē adhibeant unius, et alterius generis vario motu corporis salientes, et ad sonum lyrae, quae id tēporis de inferiore loco pulsatur adhibita saepe rapida incitataque celeritate, cum una, et altera corporis scita elegantique conversione citata, et a fune sublatis semper pedibus, cum opus est, altius palmos quattuor, demissisque confestim, genuque uno, et altero flexo quasi ad saltationem egregia quadam elegantia absolvendam. Qui motus Funambuli? quam firmi, stabilesque? quam diversae dissimiles, et in tanta mutatione varietateque ex artis semper saltatoriae praescriptionibus, pedibus ipsis intra sacculum lineum contentis? quae ejusdem saltationes? quam venustae? quam concinnae? quam ad artem saltatoriam institutae? quam ad citharae suavitatē mirifice compositae? non equidem agilis, et exercitatus saltator suis in saltationibus, in loco plano, et ad saltandum idoneo tantam videretur habere venustatem. Sed tollamus oculos in Schoënobatem unum; nullo canali in thorace facto pronum brachis in pennarum speciem volatus suscipientem, et in extremum usque a summo catadromo miranda velocitate volantem, alterum resupinum, et adversum, utrunque inter volandum miras verborum suavitates dicentem oculis spectatorum, in utriusque volatus praestantiam intentis. Idem inde repetito catadromo mira cum venustate rependo

in lignum summum ascendere, natantis hominis speciem praebere, paucula ligni plantae (quantam vix palmula manus unius haberet) medio pectore pronus sustinere sese, et brachiorum, ac pedum crebra jactatione, agitationeque nativum usitata, oris frequenti flatu, in unum, et in alterum latus retortis oculis, et collo, quasi nudus in medio flumine natarat, et aquas vi brachiorum secaret, se mirabilem spectatoribus praebere, ranam coaxantem nonnunquam agere, denique abuti summa impunitate garriendi. Sed ecce in alterum uterque se dat catadromum, et cum unius praetergressus est illum non minore celeritate quam priorem, in medio consistit, et stans recto et excelso corpore, cum minus opinatur spectatores, se pronum dejicit de catadromo, et rapida praecipitique celeritate de nas conversiones faciens, funem nonnumquam manibus, neque ulla parte corporis attingens, tanquam medio suspensus in aere, quas confestim retro efficit non minore velocitate in similitudinem nolaë, quae pulsatur in orbem conversa, et averfa varietate rotata. Addunt etiam illi, ut unus comitem in humeros tollat, et illum recto corpore stantem humero utroque sustineat, et per catadromum nullo labore deportet: eundem praeterea aliquo post intervallo insidentem in tergo, cruribus ab utroque humero pendentibus tanquam onus levissimum agilitate mirabili defert in ipsa progressione multa dicitans, timiditatis arguens, quae humeris suis portat, cui minatur se praecipitaturum de humeris, ut cerebro spargat solū. Alter simulator optimus, ut illum sustineat, orare, in illo dicere plus inesse bonitatis ad misericordiam, quam perfidiae ad acerbiteriam tantam, nihil se miserum commisisse, cur tantum mali mereatur, si in hac arte tam parum profecerit, id naturae potius tribuendum timidae, quam negligentiae proficiendi. Accedit etiam incitata progressio, cursusque velocissimus plantis utriusque pedis, aeneo globulo duplici subiecto, quibus schoenobates eos processus facit, quos nostrū quilibet calceos indutus per

vias

vias omnes, et loca peragratu facillima. Sic igitur procedebat, tanta agilitate, ut contra globi naturam contendere videretur, et ipsam volubilitatem globorum contra naturalem motum sistere. Itaque tanquam in plano soleis calceorum ambularet, vestigium firmiter, et constanter ponebat. Ponatur etiam portenti simile, quod idem Schoenobates faciunt, dum derepente de catadromo se dejicere visus est unus, et totum praecipitare corpus uno pedis digitulo suspensus de catadromo eodem manens, et totius corporis molem unius vix pollicis ungue sustentans, neque per exiguum, sed per tempus multum: ut prodigii simile videatur, esse aliquem humana corporis gravitate praeditum, qui tantum levitate possit, ut toto corpore pendente, cruribus, brachiis in sublimi spectantibus, prono capite in medio aere pendere possit, atque adeo modo tam stupendo, quo ille non pede, sed unguis minima particula sustineret sese, sic suspensus toto corpore, prono capite, terramque despectante, ut ad se sublevandum, ad corpus in catadromi partem, unde pendebat, referendum, ad locum illum manibus repetendum, quod habebat necesse facere, ut summum in catadromū se restitueret, spectatores non putarent quidquam roboris habiturum fuisse. Funambulū fessum praesertim tanta varietate, gestibus, ac motu plurimo corporis. Atque ille non minore se velocitate referebat in catadromum, atque solent illi, qui demiserunt aliquando corpus, et manus ad aliquid, quod ceciderat, de terra tollendum. Quantum res ista difficultatis habeat, declararunt alii Schoenobates, qui per incuriam aliquā, aut defatigationem corporis, cum vires illos deficerent ad sublevandos sese, desperantes de fune consequendo, cum punctū amplius temporis se sustinere non possent, ceciderunt in terrā prolapsione miserabili discerpendo corpus in mille partes, et cerebro spargendo terram. Quid quod saepe Schoenobates iste de fune pendens thoracem exiit, et vestitum purgare visus, et primum subuculam. Simulare igitur ille pe-

Z di-

diculos infestos esse corpori, sursum, deorsumque reperere, morsus facere, et sanguinem haurire: quos cum perferre simularet, atque oculis cernere, protinus ad capiendos illos accurrere manibus, partes, quae dolorem acceperunt, appetendo dicere, ut praesenserunt manum, atque digitos pedetentim, ac sensim obrepentes, celeriter fugitare, et se in alias abdeō partes evadere voluisse, sed tādē captos dedisse poenas iustas ac debitas vexationis. Itaque captos, et inter duos ungues interjectos crepitu magno conficiebat perfidos, et sceleratos appellando, qui humano sanguine tandiu saginati fuissent. Addebat idem statim purgando thoracem, ne horum animalculorum gregem infestissimorum alamus, necessarium est purgare thoracem, et ipsam subuculam: enim vero decet munditia mortales, ne cum minus opinemur, pediculis scateat corpus, et cooperiatur foedissime: quorum cum aliqua multitudo est, ii solent ex interioribus corporis partibus tanquam ex latibulis emergere, et repēdo prodire foras in publicum quasi ad captandam auram, et pallium, et vestes perlustrando, non minimam hominibus infamiam inurere: accedente statim amico ad pediculum de pallio tollendum: quo facto demittunt oculos, et rubore semper afficiuntur honorati mortales, cum illico pediculum arreptum amicus dejicit in terram, et opimum dicens, et digito simul indicās, imposito pede terēdo vi maxima crepitem edit non exiguum. Quod si praedicta afferunt admirationem, quanto majorem afferet per speciem gladiationis eodem in catadromo acerrime certamen initum, et tanta cum contentione, quam gladiatores adhibent in suis certationibus, quas ferro decernunt. Videre equidem erat utrunque Schoenobatem cum gladiis configentem, et animo gladiatorio ludicram et simulatam pugnam committentem tanta cum venustate, ac si in media arena multis hominibus spectantibus digladiarentur. Primum injicere manum uterque gladiis, opponere deinde mucrones fulgentes, unum, et alterum ictū

inferre, devitare venuste, interdum notare, ac designare, nonnunquam infligere, inferre se ipsos in gladios, referre pedem celeriter, et passus multos, cum opus esset, retrocedere, alter alterum fugare, et in extremum usque catadromum propellere, cogere palmam id temporis concedere, fateri se victum, et ad extremum in genua procumbentem deprecari vitam, veniam efflagitare suppliciter, quasi verum, et hostile certamen susceptum fuisset. Mitto alia, quae quotidie his, quae primo Funambuli praesliterant, ad quaestum augendum, et ad multitudinem cogendam addebant: ex superioribus, quaecunque desiderata fuerint, nemo non consequetur.

LVDVS SCHAHIDIS.

(S)

LVDVS Schachidis effigies est et similitudo quaedam praeliorum, quae acerrime contentione committuntur: in quo duo Reges contendunt inter se de laude, et honore consequendo; et educunt tanquam in aegiem, in medium campum multitudinem disparium Latrunculorum, qui dissimili nomine sunt, atque forma, et dissimili munere funguntur in ludo. Tabula igitur pulcherrime dolata, quae alveus nominatur, multis sedibus nigris, atque albensibus campus est ludorum acerrime committendorum. Quattuor autem sedes et sexaginta sunt ex utraque parte, quarum ordines octoni, et aequabilitate semper eadem numerantur: illi quavis eadem sunt forma, atque aequabili spatio, sed diverso colore, ut praediximus, nigro, et albo, alternis albis, et nigris stationibus depicti. Latrunculi sunt pari-

numero, viribus aequis, et diverso colore nigro, et albo, dissimili forma, et officio suis nominibus vocitantur. Octo Latrunculi sunt in secundis sedibus eadem figura praediti, omnes Pedites nominantur. Qui praecedunt, suis ita nominibus internoscuntur. Omnium maximus, qui praeesse videtur caeteris tanquam in regia sede collocatus, media praecipuans stationem. Rex est: cui proxima est Regina: deinde sequuntur Sagittiferi, quos Equites praecedunt: qui utriusque cornu tenent reliqui duo, quorum unus Regis, alter Reginae latu claudit, Elephantia appellantur. Octo et triginta sedes occupantur, reliquae vacant. Rex albus nigrum locum, niger album tenet. Pedites praelia ineunt, quorum ubi niger in medium campum processit, albus ei protinus occurrit. Sed leges certandi sunt ejusmodi, ut caedens calculus in sublato locum succedat. Pedites transmittunt unam sedem, et in primo congressu duces in hostem contendunt adversi, et recto itinere, et a latere ictum infigunt, Elephantia a dextra, et a laeva, et a tergo, recto semper cursu. Ex Sagittiferis, unus nigris, alter albensibus sedibus procedens, obliquo tramite contedit; qui unam, duas, plures sedes, nisi calculus objectus fuerit impedimento, potest transmittere. Equi sese efferunt, et sese inflectunt in speciem et formam mediae Lunae, et sedes duas transiliunt ab alba in nigram impetu magno contententes. Regina a fronte, a tergo, a lateribus, sed recta semper progreditur, et in morem Sagittiferi potest procedere. Rex autem, qui medium locum tenet, non nisi unum gradum facit. Hoc igitur ordine collocatis calculis Reges incipiunt, atque suorum industria collusorum, non aliter atque militum fortissimorum praelia committunt. Collusores praescribunt leges, cavet ne qui de spectatoribus nutu significet, aut verbo praemoneat: ictus praevisos: sed taciti expectent victoriam ludi exitu terminatam. In quo collusor, qui praelium init, quam sedate in principio Peditem in medium campum educit, qui Reginam praecedit, et duas illum transmittens.

tens sedes, in alveo medio collocat: cui alter collusor Peditem diversi coloris, eisdem gradibus factis opponit, quibus statim subsidio sunt a dextra, et a sinistra alii duo calculi, singuli sua officia facientes. Sed inito praelio pacate, non est magnum admodum, neque difficile certamen, nam non multa strages editur: unus, et alter vicissim capitur sine magno strepitu, atque tumultu, hi modo calculi inferuntur, alii postea objiciuntur, illi progrediuntur, paulo post revocant sese, et pedem referunt, unius, aut alterius militis oppositu. Rex igitur post tempus aliquod, eo, quem tenet, loco sese jam movere coepit, aut alterum ad se tuendum opponere calculum adversum, et in haec, aut in illa loca contendere. Qui conflictus istorum? quae fuga aliorum? qui saltus nonnullorum? qui receptus Reginae tutiorem in locum? qui concursus omnium, et pugna acerrima contentione commissa. Strages editur, et interitio fit incredibilis toto alveo magna jam ex parte patente, et ex octo et sexaginta calculis, quibus ludus committebatur, quattuor ex una parte, et ex altera totidem, aut pauciores relinquuntur, quibus grave magis, et periculosum praelium, dubia et anceps victoria efficitur: neque quidquam aliud restare visum est, quam ut pugna reliqua ad collusorum artem, et industriam referatur. Illi id temporis multa secum animis agitare, in dubia cogitatione versari, priusquam loco calculum moveat, dubitare secum, et haesitare, velle jam attingere, et se revocare confestim, tacitas secum moliri technas, quibus conficiant et absolvant ludum: itaque Regem intercludendum curare, et ad id faciendum, ex peditibus, quos habent, amissis jam Reginae properare et accelerare, ut in ultimis adversarii sedibus aliquem collocent, et Peditem in Reginae locum, et dignitatem evehant: quem citius collusor alter promovit ad sedes perductum usque postremas, atque ita Peditem in Reginae dignitate provexit: qua Regina, et uno Peditem contendit acerrime Regem urgens, et premens, suis saepe sedibus movet, atque pellit, et multas transmittentem sedes, ac Regi-

nae, Peditisque oppositum fugientem in eum locū compellit, ut ab his duobus interclusus calculis, omni jam praesidio destitutus, captus intereat atque conficiatur.

LVDVS BACILLORVM.



Lvdus Bacillorum usitatus est diebus festis rusticis, et operariis hominibus; qui ludus, et Bacillis, et globis duplo maioribus quolibet eorum, quibus pueri in annulo ferreo utuntur, fieri solet. Bacilli sunt decem, atque unus illorum ad arbitrium illius, qui globum ultimus emittit, in aliqua parte humi statuitur longo, aut parvo intervallo distinctus a reliquis Bacillis, vel propinquus et adjunctus. Omnes autem terni statuuntur humi in hunc modum: ut singuli cuiuscunque ordinis Bacillis aliorum ordinum aduersi sint; et Bacillus, ut quicumque tenuerit sedem primam, mediam, et ultimam, ita suum respiciat aduersum. A medio autem ordine in duos alios, qui sunt reliqui dumtaxat ordines Bacillorum, duae sunt interiectae viae planae, atque rectae, utraque autem aequabili longitudine, et latitudine. Pacta sunt, et conditiones huiusce ludi, ut qui prius numerum absoluerit viginti Bacillorum, is ludum conficiat: lucrum autē, aut iactura nummorum est, quos homines ad potum, et ad fructus emendos conferunt. Bini collusores jaciunt globū a linea aliqua, et quos Bacillos ex itinere globum unum, aut alterum prostravisse contigerit, hos collusores in lucro ponūt, qui dejecerint eos in terram. Globo autem utroque emisso, ab ea parte, in quam globus uterque pervenit, et in qua constitit, quilibet ex collusoribus ut primus lusit, ita iterum emittit globū, et ex numero Bacillorum, qui prosternuntur, facit lucrum mediocre, aut maximū: nisi tam inscius et ignarus ludendi fuerit, ut nullum dejecerit, et stupentis similis māserit diuvaricatis cruribus, ut se ipsum cōpararat ad iactum illum.

De

Denique eodem modo, quo primum statuti fuerant, Bacillis repositis, ludum collusores persequuntur: donec expleto numero, quem erant absolaturi, Bacillorum, ludū cōficiūt, et lactum hilaremque agunt vesperū edentes, et bibentes ex animi sentētia.

LVDVS TRUDICVLORVM.




In ludo Trudiculorum lectus imprimis est panno rubro, aut viridi omni ex parte adducto, et explicato stratus, parvulis ligneis cancellulis, et quattuor dumtaxat a panno digitos excutatis circumdatus, atque hi cancelluli pleni fenestellis parvo intervallo distantibus, patefactis semper atque patentibus. In ea autem parte, unde globuli mittendi sunt, parvulum ferrum est erectum, huic autem paulo antequam summum lectum aduersum duplex ferrum, utrumque similiter atque primum rectum atque directum, et tertium ab utroque transversum: quod cum aliis duobus jugi veteris similitudinē habet, quod victi dedecus et infamiā subeuntes transire cogebantur. Qui colludunt sumunt bacillos in manus, qui a summo praebent speciem malleorum, extremi eam formam habent, ut possint collusores bacillorum vim intendentes manibus, globulos, quo velint, emittere, unde velint, referre, et in eis collocare partibus, unde os facilius jugi ferrei penetrare possint: quod si ora penetraverint, unius lucrū, si contrariā partem, alterius iacturā faciūt. Concertant igitur inter se, et de transmittēdo ore ferri, deque propellendo aduersarii globulo, et ab eo loco, in quod fuerit, amovēdo, aut per fenestras dejiciendo, ut duo lucrari possint. Cujus globulus per fenestulas deciderit in terram, duo amittit, et si fortasse ab ipso jugo tetigerit vel leviter ferrum, unde globuli mittuntur, duorum lucrum facit. Sed cum ab hac parte ferri primo nominati debeant adulescentes colludere, emittunt globulos a lateribus dirigendo, nisi conversum os ad ferrum, unde colludunt, penetrantes.

Z 4 uni.

unius iacturam faciant; cum os qua transmittere globulos quaestuosi debent, a ferro sit aversum, et ad partem lecti superiorem spectet, a qua nituntur ora trajicere ad lucrum faciendum. Ludus absolvitur numero, quem collusores constituerint, et lucrum, aut iactura fit ad voluntatem, et arbitrium collusorum.

COLLUSIO TABELLARVM.

ollusio Tabellarum usitata est optimis, et honestissimis hominibus in Italia ad relaxandos animos in amoenitatibus rusticis; cujus ratio sequens est, et apparatus communis. Primum tabula supra duo fulcra collocatur ad ludendum in atrio, vel in aliqua porticu, mediocris latitudinis, et longitudinis tantae, quantam adolescentes, et corroboratae jam aetatis homines, pueri etiam quindecim annos nati sine molestia, et offensione corporis consequantur in ludendo. In summa tabula lineae transversae sunt, et a lateribus paulo superius decem digitos ante extremitatem tabulae duo circi a dextra, et a sinistra, pari ambitu, et in illis duo circuli includuntur, inter quos medius est interjectus scrobiculus duplo majoris quaestus, quam duo, qui infra sunt a lateribus. Leges hujusce collusionis sic se habent. Singuli, aut bini in duas partes distributi colludunt, et concertant de lucro iactibus Tabellarum discolorum. Itaque sumunt Tabellas pro animorum voluntate singuli duodecim, aut octo, plures, aut pauciores, fere semper non amplius sex tabulas, et ad eandem rationem ludum absolvunt numero voluntario. Qui duplex a lateribus circus est, uterque cujuslibet in se comprehensae tabulae lucro est duarum Tabularum collusoribus; circulus vero propter angustias et difficultates suas in utroque circo conclusus unam addit duabus lucrifactis in circumscriptione majore: scrobiculus vero medius, qui leviter

ex

excavatus est, cum inclusus ita fuerit, ut illius orbem Tabella compleverit, non nisi quattuor Tabellarum lucro contentus est. Quae Tabella non ingressa fuerit, aut ad minimum lineas non attigerit, facit in principio iactura unius; et quocumque tempore unius accessionem adversariae: et debet alteram e manibus emittere, nec facturus est sine ludendi, quoad Tabellam unam praemisit, minimum, aut multum spatium adversaria superiorem. Poenam tamen illi statuunt voluntariam, quae inter collusores ante iactus Tabularum convenit, et superati tantum poenarum, quantum pacti sunt, dare coguntur. Constitutis igitur legibus, ac poenis, fit initium ludendi a prima parte tabulae lusoriae: initur certamen dubium satis et anceps, et quod non tam casu, quam arte dirimendum est, et scientia collusorum: nam unus collusorum mittit Tabellam in medium campum, adversarius contestum aliam emittit sensim, et leniter, ut praemittat eam, aut deturbet contrariam, et foras extra tabulam projiciat. Mirum est jam inde ab initio certaminis varios videre eventus ludi, et industriam collusorum, qui intervallo primae tabulae a lineis tam longe distant nullam permanere diu tabellam patiuntur in tabula, sed statim certiore manu, quam dici potest, depellit adversarii tabellam, et sane proxime missam, alter collusor: et saepe accidit, ut a principio ludi, neque ulla relinquatur in tabula, idque factum est industria, et arte collusorum: quoniam ab ea tabella, quam primam collinearunt, nec minimum aberrare solent. Primus jacit suam tabellam, et longe propinquorem ultimae tabulae, mittit etiam secundus alteram, et primam de suo loco dejicit venustissime, et suam in adversariae locum statuit; redit primus, et non minore venustate adversariam propellit; projicit et similiter haec secundus, et ab hoc collusore relicta primus dejicit; sic pares in ludo aliquando sunt omnes utriusque partis collusores: non raro magnam partem tabellarum effundunt, priusquam ludere destiterint. Horum in locum postquam adjuncti co-


A a mi

mites successerunt, sancte Deus, quam res calere incipit? qui ictus infiguntur? quae strages eduntur? quae funera cernuntur? qui crepitus audiuntur tabellarum? qui risus concitantur ab spectatoribus, dum nonnullae tabellae delabuntur de manibus, aut in medio cursu deficiunt, antequam ad tabellarum lineas perveniant? dum in illa defectio ante lineas supradictas, unius, et alterius, et multarum accessio numeratur tabellarum; dum nonnullae tabellae immittuntur magno impetu ruunt, et incredibili celeritate prolabantur; dum quae sunt in tabula, de suis sedibus tolluntur, aliae dissipantur, aliae deturbantur, confunduntur, et commiscuntur omnes, plurimae, vel omnes dissipatae, diversaeque dejiciuntur varietate multa, inclinatione fortunae, ratione nunquam cogitata, neque praevisa; dum ex uno, et altero circo duae, ex circulis tres, ex scrobiculo quattuor petuntur; dum aliquis unam, duas, aut tres tabellas praecipitat; haec unius impulsu in alias incurrit, et secum praecipites dat de tabula, illa autem, quae seminarium fuit tanti mali, victrix permanet in tabula, in tot tabellarum vulneribus, et everisionibus exultat, quae dicitur, quae aguntur in ludo? Collutores accenduntur omnes, et majore studio efferuntur deturbandi tabellam pestem, et perniciem suarum. Et fit plerumque, dum eam deturbare molitur, ut pluribus perperam ludant, et effundant suas omnes tabellas, atque consumant; quibus si tabulam onerassent, et omnes eas in illa reliquissent, stabilirent fortasse ludum, neque tantam jacturam fecissent, ut exhaustis suis omnibus tabellis, facultatem adversariis largirentur faciendi quaestus uberrimos relicto ipso campo libero, lateque patenti. Nam hoc dumtaxat perfugium, et spes est in summa desperatione rerum, ut dum adversarius deturbare numerum aliarum studuerit, casu; aut de industria praecoccupet alter stationem superiorum, et altiore saepe loco jacentium.

(SS)

AN-

ANNVLVS FERREVS.



Vamquam superioribus ludis satis animos oblectare solent mortales, nescio tamen quas pueri suis collusionibus iucunditates afferunt; de quibus ab Annulo Ferreo volumus exercitationes suscipere. In collusionione annuli ferrei quattuor numerari necesse est, et eos, qui colludunt, et leges ludi, atque instrumenta, quibus utuntur, denique modum rationemque ludendi, quaeque antecedunt, quaeque consequuntur ludum: atque hic locum, quem collutores plerumque deligunt, non omittendum censeo. Solent igitur quattuor, aut sex, plures, pauciores ve pueri constituere tempus, et locum colludendi Annulo Ferreo: itaque concedunt in locum planum, et amoenum, finitimam flumini, aut in agros sanctissimarum virginum Iustae, et Rufinae, vel in impluvium aliquarum aedium, aut denique in alium quemlibet locum sibi accommodatiorem, aedibus ve propinquiorem; quo cum pervenerunt, abjectis palliis tunicati omnes incipiunt fortiri inter se, qui spectatores et arbitri, quique socii et coadjutores in ludo futuri sint. Iacta igitur alea, quae plerumque jaci solet tegula, vel gladiolo sursum versus jacto, et recedente converso, vel averso, ut inter se partes convenerunt, ut uni, aut alteri fors cecidit, ita socii singulis adjunguntur, et incipiunt colludere. Numero igitur praescripto atque definito, quem absoluturi sunt, ut lucentur, et constituto pretio, de quo concertaturi, infigunt humi Ferreum Annulum; qui factus ex ferro in similitudinem annuli rotundi tanta est in circuitu magnitudine, quantam globuli lignei ad transmissionem sine offensione postulaverint. Atque Annuli Ferrei ora lineis quibusdam internoscuntur a tergis, quae aversa sunt in principio ludi, ut collutores ipsos ora conversa spectare debeant: quae postea inter colludendum, ut collutor annu-

AA 2 lum

lum uno, aut altero, quem infligit, ictu, in hanc, et in illá partem convertit, varia loca respicere possunt, et solent. Ita videas paulo postquã ludus institut⁹ est, et res calere coepta, rectum, aut transversum, leviter inflexum, cõversum, et aversum Annulũ Ferreum. Cum ergo constituerunt, ut sena ludum absolverent, lacti, et avidi lucrandi, et a lineis, qui forte primum locum nactus est, jacet palmulis globum suum, ille conatur, ut globi ex ligno dolato sunt, ita saepe rectum, ut transmittant Annulum, et lucretur primo jactu duo, et alter cogatur statim exire, et in ejus locũ coadjutor succedere jubetur: qui cupiens ulcisci socium, quanta potest arte, atque solertia colludit; alter lucro duorum se erigit, et confutur ad melius, et industrius ludendum. Jacet unus, et alter postea, felix prim⁹ in praeoccupando loco viciniore Annulo Ferreo, et orti prorsus objecto, unde sperat se facile transmissurum esse os Annuli, et habiturum tria: sed felicior alter, qui aut occludit ora, vel a latere leviter percutiẽs, ad collutorẽ terga convertit, atque ad se ipsum ora. Sic magnum studiũ est utriusque in avertendo, convertẽdoque Annulo Ferreo, in feriendis certatim, vicissimque globulis, quos dum feliciter percutiunt, bone Deus, quos ictus, et quam vehemẽtes infligunt? quam longissime propellunt, et ab Annulo remotissimos amandant? quam interim leviter remonent? et suũ globum in adversarii locum statuunt constantissime? Alter cogitur longius ab Annulo, quam veller, ire receptum globum ad colludendum denuo ex linea, et quasi ad instaurandum ludum amissum repetere, unde aut recta conversũ globum penetrare solet, aut amovere loco, in quo erat, adversarii globulum: utriusque rei si quam felicitatem nactus est, gaudio exultat, vicisse jam se putat, et quasi exploratam habere victoriã: sed alter ita pergit ludere, ut nõ minus certior fuerit in secundo, quam in primo urgendo premendoque adversario. Quid plura? Globulus adversarii? ita resiliẽs resedit humi, ut cum tantum loci inter suum, et adversariũ glo-

globulum intercederet, ut spatium interjectum palmã utrãque caperet, tum lactus, et saepe saliens, ut vix apud se prae gaudio videatur esse, clamare coeperit, satis spatii est: et purgans palmula sua terram, amovens etiam impedimenta, et offensiones omnes, lapides obiectos, acriter feriens globulũ lineas illum citata volubilitate transilire coegerit. Qui ict⁹, et fragor globuli percutientis alterum? quae celeritas, et quã incitata volubilitas? quam longa globuli depulsi amãdatio? Quaternione ludus absolvitur: Inter colludendum audire est voces utriusque, studium, contentionemque vincendi, dũ enim aequae exercitati sunt in collusione annulari, et paene pares colludunt, quanta industria, quanta contentione, et arte colludunt? quam avide alter alterius ictus expectat? quã de industria vicissim opponunt et objectãt, et nemo detrectat, imo appetit, atque deposcit oppositus, infligit ictus, et objectum unius, et alterius globuli tempus trahunt, et se ipsos alternis ictibus ducunt? quam pulcre unus, et alter depellit, quasi nihil visus agere? quemadmodum unus singula, aut binã, et alter totidem habet? un⁹ modo praicit alteri, paulo post superatur is numero, quem puncto tẽporis post se relinquit primus, atque ita ut antea primo praestat, et excellit, saepe pares sũt, aut multo inferiores, lucroque dispares. Quã praclare unus ferit globum, et pro voluntate convertit, et avertit, et occludit ora, alius a tergo, vel a latere feriens globum propellit ad lineam? Dubia et anceps est victoria, et in hanc fortuna modo, in alteram se statim inclinare visa est, quoad magis casu, aut scientia alterum vicisse contigit. Atque hæc collusio saepe committitur in hunc modum, ut duo conveniant, et colludant, et unus cum altero congregiatur, saepe plures binis binis se opponant, et uno victo semel, socius victi adolescẽtis cum victore succedat in ludo, donec absolvitur istorum commodo, vel illorum malo, qui quos cõtulerant, nummos amiserunt: nisi pueri sint, qui pacti præmia puerilia, victi pendunt philuram papyri, aut ligulam fericã;

vel frontem talitro percutiendā victori objiciunt, vel quod saepe accidit, ut spatium loci constitutum tergo victorem quemque comportare cogantur.

TURBO.

EX multis lusionibus una Turbinis est, quae relinquitur pueris. Turbo parvus est, ex buxo factus, et admodum polito tornatus, summus latus est, et paulatim contrahitur, et acutus terminatur. Is loro circumplicatus a pueris in terram projicitur, et postea crebro ictu flagelli, quod emisso Turbine dextera suspensum manet, ad multum spatium temporis incitata conversione circumagitur, et in longa spatia uno, et altero, et multo ictu propellitur, et in orbem circumfertur pro arbitrato colludentis, vi flagellorum amādatur, propellitur, atque revocatur, effertur, ac deprimitur. Ita mutationibus varie et multipliciter factis, a pueris trahitur, hac, illaque retrahitur, agitur, atque verlatur.

SALTUS.

PVeri se interdum lacessunt et provocant ad saltandum: Modus autem saltandi est ejusmodi, ut semel, iterum, et tertio, aut saepius unus puer saliat, et ultimum saltum lapide, vel alio signo notet: deinde puer alius faciat periculum virium suarum, et agilitatis, an possit assequi metam alterius: quod si forsā semel un° vicit, alter redintegrato saltu, quantum in se est, nititur longius progredi, neque cōcedit, quoad exploratum sit, se longius quam primo non potuisse saltare. Atque pueri tum hoc, tum alio modo saltare solēt, ut arripitis totidem lapillis, quot saltus futuri sint, et saltibus singulis lapide suo notatis vires corporis exerceant: quos alter promoveri conatur longius, neque patitur sic vincia primo

mo puero, qui sibi depoposcit, aut sponte sua suscepit partes tuendi saltum contra pueros alios.

LVDVS AD CONECTV SCRIBICVLI.

Nonnunquam pueri colludunt nucibus, avellanis, aut glandibus ad Cōjectum Scrobiculi, quem in media planitie, aut inhaerentem parieti defodiunt. Itaque longo intervallo ab scrobiculo distantes nuces in scrobiculum praefinitas conjiciunt, neque desistunt, quoad lucrati sunt plurimas, vel omnibus collusorem alterum spoliarunt. Cū nuces jaciuntur: tot fere semper, quot pugnus capere potest, si non omnes in scrobiculum inferuntur, multae tamē immittuntur, reliquae resiliunt, et jacent, aut propter Scrobē, aut sparsae, atque diffusae multum, aut longe distantes.

COLLVSIO PARIVM ET
imparium.

Idem pueri collusione Parium, et Imparium non raro se oblectant; cum manum alteram complent nucibus avellanis, aut glandibus, et manum confertam his, quos praediximus, fructibus, sed tamen compressam ostendunt collusori, ut divinet numerum nucum avellanarum, quae in manu in pugnum compressa continentur, et pares, aut impares eas praedicat, si facere lucrum vult, aut jacturam aliquā: quas unus ubi praedixit pares, aut impares, alter aperiens continuo manū, et projiciens in mēsam, vel in palma patēti, atque porrecta numerat, aut singulas, aut binas, aut ternas, et ex numero lucrū, aut jacturā factā esse cōstat: quas illico totidē solvere debet, qui nuces avellanas amiserit. Sed est vicissitudo quaedā hujusce lusionis, ut ille, qui jusserit alterū divinare pares, aut impares, quas in manu cōpressa tenebat, nuces avellanas, mox debeat divinare numerū in alterius manu

contentum: atque ita tempus consumitur mutua unius, et alterius divinatione.

SIMVLATIO GALLINAE.

L Vso satis usitata fuit inter pueros, quae in simulatione Gallinae Caecae (sic enim nuncupatur) committi solet: qua pueri magnis clamoribus voluptatē capiunt. Ecce enim iacta sorte inter plurimos facies illius, cui fors adversa obtigit, strophio velatur, et oculi ita teguntur, ut nec minimā lucem possit aspicere: pueri projicientes calceos, in quā voluerunt, partem impluvii, aut locum, quē putant magis idoneum, ne in Gallinae manus unquam incidant, occupantes feriunt palmas, unam altera percutientes, aut calceis ictus in terram infigunt acres atque vehemētes. Ictu tam multiplici, et crepitu calceorum frequentissimo totum impluvium personat: et agens Gallinam puer totus facie coopertus, quasi caecus huc, et illuc brachia projiciens quam porrecta, et injiciens manus in diversas partes, si quem possit comprehendere, quantum ex strepitu potest conjectare, in has, et illas partes irruit sola dumtaxat auditione ductus, ubi percipit a fronte, a tergo, a lateribus, propter illum, vel longius pueros tumultuari, et calceis strepere concrepantibus. Hunc tanta multitudo perstreptentium calceorum, et tam diversis in locis incitatus, creberque palmarum ictus inflictus diversum agit, atque rapit insipientis similem, et omnino sui inscientem. Nam ecce dum recta eo, quo strepitus vocabat, contendit, qui calceo perstrepebat, non multū jam ab illo, qui Gallinam agit, distans, ut manus illius fugiat, nec legibus lusionis veletur illico strophio, subito interquiescit, et a tergo, et a lateribus calceorum reliquo strepitu Gallinam agens a vocatur; qui similiter conatus, et appetitiones miseri, et defessi jam pueri Gallinam agentis per multum tempus ludificantur: donec casu in pedem vixius incurrens, aut alterius

ri-

risum audiens, vel ductus strepitu, quem omnium maxime attenderat, suscepit rectum iter eum versus, qui perstrepebat inter ludendum acriter, atque omnium frequentissime. Quanta nonnullorum est industria, et solertia puerorum in cavendo puero, qui Gallinam agit Caecam? quem ut caveant, paululum sublato a terra praebentes speciem sedentium perstrepunt, interdum uno pede ad metam adhaerēte, et altero disjuncto, divaricatis mirandum in modum cruribus, saepe levi declinatione corporis, in dexteram, aut in sinistram irruentem deludunt.

OFFICIA.

ILLA collusio multum habet jucunditatis, quae Officiorum nomine nuncupatur: in qua unus ex verbo se futorem ementitur, aut factorem, et militem fingit, aut ducem; atque unam ex his personam suscipit, et eam tuetur in ludo re una de multis illius artis sive ingenua, sive sordida electa: quam si unus ex collusoribus militi, aut futori novo libens detulerit alia suscepta persona, ille, qui rem delectam arbitrato militis obtulit, officium, quo alter proxime functus est, cogitur facere. Ratio autem colludendi est hujusmodi, ut suscepta persona, ut praedixi, militis, aut pharmacopolae, vel agricolae, caeteri collusores, antequam res ad eam artem spectantes novo pharmacopolae, vel agricolae offerre debeant, ex ordine suo, cursu, aut saltu, vel festinatione recta advolent, sed primū palma feriētes caput, aut terga novi militis, gratulatur de adventu recēti in has regiones, et in haec nunquam ante hunc diem adita sola terrarum: et redeuntes ad locum, unde excurrebant gratulatum, et precatum fausta omnia novo agricolae, novo ve imperatori, singuli, ut proxime excurrebant, insiliant agilitate mirabili in puerum, qui ludum tuetur, et unam ex praedictis personis simulat, offerant rem aliquam

Bb ad

ad artem spectantem, et si quam assumit, in hanc unus ex collusoribus malo suo incurrat, nominatim eam deferens, atque devovés, in prioris locum succedit, et ad modum supra dictum, officium, quod puer proxime praestiterat, facere compellitur. Atque ad hanc rationem ineundâ, tuendâque lusionis, qui personas ementiuntur hujusmodi, brachiis ad parietes inhaerentes, et averfi, tergo leviter inflexi, ut praebeant speciem equorum, ut in eum omnes facile infilire possint, se demittunt, et insilientibus celeriter facilem ascensum praebent.

COLLUSIO ORBICULARIS.

Collusio Orbicularis ea est, quae sequitur. Adolescentes manibus una porrectis junguntur, atque utraque conexi devinctique manu in similitudinem catenae, aliis, atque aliis nexibus, et orbibus, seu annulis complicatae orbem conficiunt similem saltatorii, quem postea versant celeritate mirabili, multa, concitataque conversione, calcibus arcetes puerum aliqué. Qui a tergo est, atque solutus, quemcunque puerum, qua ratione possit, invadens, conatur comprehendere, et tanquam anulum a catena divellere, secumque trahere, ut ille se circulo cum caeteris admisceat atque jungat. Ille autem, quem coepit, marsupium (sic enim vocitant) accipit, quo capto instauratur statim intermissa conversio, et pueri instaurant, et redintegrant collusionem in uniuscujusque pueri comprehensionem rapida sese et praecipiti celeritate convertentes, et omnibus modis invadere volentem a tergo puerum, calcibus amovere conantur. Videas quam celeriter pueros converti, rapidissimeque circumferri ad rotarum similitudinem velocissimarum, connexas, devinctasque manus acerrime constringi, comprimique vehementissime, ne rota dissolvatur, utroque pede calcitrare certatim, solutum autem puerum declinare pedes, fugere

ictus

ictus, et in unum, et in alterum invadere, divellerè vi et contentione brachiorum, rotam denique dissolvere, et in illam manum porrigèdo celeriter inserere sese, omnes hortari ad versandum orbem, rotamque velocius convertendam, denique quia non omnes aeque agiles sunt, et exercitati, aliqua ex parte unum, aut alterum offendere, proruere nonnunquam, dissolvi, et orbem confestim incidi necessarium est.

LUSIO ALVEORVM.

INTER alias puerorum oblectationes, quae Alveorum nominatur, perjudica est: in qua pueri dividuntur in duas partes, post jactas sortes, et post creatos simulatos Reges, qui praesint utrique factioni, quae ab ordine, quo alvei plurimi in alveario collocantur, nomen trahunt. Collusio autem ita committitur. Reges adverfi factioni praesunt utrique, et quidem stantes; cum reliqui confideant humi praebentes speciem alveorû aliis adverfi, et quilibet in statione, quam praecipitavit, suorum, Rex illius partis, cui lapis obtigit demittens sese, atque ea simulatione, ne ab altero rege, vel ab aliquo collusore partis adversae videri possit, hos, et illos, aliosque, magnam paene partem percurrens, lapidem, quem in manu compressa gerit, cui collibitum fuerit, quam occultissime tradit asservandum, quem qui accepit retinendum curat tanta simulatione, ne quidquam adversarii sentire possint: tradito jam lapide, Regem alterum, qui tradidit divinare jubet, apud quem deposuerit, qui si nomen pueri, qui lapidem habet, non divinavit, puer partis ejusdem antecedens reliquos, semel saltitat; si certus augur fuerit, qui extremus est adversae partis. Atque Rex alter eadem ratione tradit suis comitibus lapi-

Bb 2 dem

dem. Tota autem haec collusio posita est in divinatione lapidis apud hunc, vel apud alterum permanētis. Quae pars cum lapide tandiu permanferit, ut saltibus cōmilitonū suorum pervenerit citius ad fines constitutos, ubi pars aliqua scopum attigit, victrix exsultat gaudio, et quam velociter confurgunt omnes, atque concurrunt, neque cursu desistūt prius, donec pueri devictae factionis consequuntur victores dissipatos, diversosq; fugiētes: quos nacti de pacto, deq; praescriptionibus collusionis in locum usque praestitutum sublatos in humeros deportare coguntur. Qui dum vehuntur, graves et molesti esse non desinunt adversarium urgēdo, premendoque suorum gravitate corporum, atque de industria vim adhibendo maximam, recalcitrādo, aut in dextram, vel in sinistram se convertendo, et saepe tāta vi et cōtentione brachiorum, ut puerum equi munere fungentem retrocedere, aut offendere, et proruere compellant. Interdū equites utroque crure quasi stimulis agitātes, atque suffodientes calcaribus vexāt, et premunt, ut pueri agilitate et velocitate multa instar equorum, cursum institutum conficiant.

SIMVLATAE TRIREMES.



In hac collusione, quae a triremibus nomen trahit, pueri divisi in duas turmas in pueros alios tanquam in equos a tergo conscendunt, atque tergis puerilib⁹ comportati, ita equites protentis brachiis manum utranque conjungunt, atque componunt, ut praebeant speciem prorae triremiū, et alii aliis adversi, quasi in medio mari signo dato concurrendi pugna navalis committeretur, acerrime configūt. Fit concursus maximus, confusio et perturbatio partis utriusque, dum quilibet, quantum in se est, enititur atque cōtēdit, ut aliū detergo dejiciat, ille vero, ut defendat atque tuatur se, et adversarium praecipitem deturbet. Ita plurimi cadunt ex utraque parte, et in terram praecipites aguntur, et a-

lii super aliorum corpora strati commiscuntur, et confunduntur: saepe magno impetu, furentique ruentes latus offendunt, aut partem aliquam corporis: qui infra sunt, clamare, vociferarique premi se, suffocari, et enecari: qui supra alios ceciderunt, hos urgere, premere, et quo magis infra se jacentes clamant, magis resistere, vim omnem, et contentionem adhibere, comprimere, denique conari spiritus nō raro vitales praeccludere, os, et nares manibus occludēdo, et omnem sui defendendi facultatem eripiendo.

CURSUS.

Saepe adolescentes mutuo se laceffunt ad currendum, et sibi cursum inire contendunt: victus pendit id, quod inter utrunque convenerit, et locum, in quem pervenire debeant, constituunt. Pariter igitur duo ab aliquo dimittūtur, et currendo citius, quo cōtendunt, pervenire conantur. Mirum est quantos processus uterque facit, quanta cum celeritate volat, ut quisque cursum, quem petivit, tenere contendit. Cernere est hunc modo praeuentē, illum a tergo relictū, jam jam consequentem, et calcibus quasi ferientem, interdū pares, aequali utrunque cursu, sed mirabili non minus celeritate, brachiis, et toto corpore enitentes et cōtēdētes cursum conficere, acclamantem unum, et alterum, ah mitte me, ne me retineas, et se omni ratione ad currendum incitantes; denique aut pares, aut altero velocius pervenientes ad metā constitutam; quae finis, et terminus erat suarum contentionum. Hūc qui prius adeptus est, clamat omnibus, qui in platea, vel in stadio sūt, vici, vici equidē, et sine cōtroversia, vici proculdubio: atque iterū mecum currendo decertare nōlet. Alter, nisi offendissem lapidem, aut cecidissem, nō praecurrisses: adde, quod suis clamoribus nonnulli me ipsam a cursu revocaverunt, aut remorari potuerūt: et tu scis me pallium non abjecisse, quo implicabar, ne te cursu adaequarem.

Adesto modo, meoque inhaere lateri, cum quis acclamavit, velociter curremus, et alacriter: nā hoc modo te vicisse, nullum habet honorem, et mea nihil refert, qui iterum, et saepius a me in cursu victus ab hoc loco excessisti: et pedē victor nunquam praecurrebas.

SPHAERIS.

Sphaeristerium fieri solet in loco amplo, longo, et expedito, et in atrio, si pila est palmaria, aut in impluvio, sive follis sit, in platea longe, lateque patēti: interdū viri reticulis colludunt. Quacunq; autē ratione pila ludat, collusores in duas partes dividuntur, et fortiuntur, aut de cōmuni cōsensu deligunt comites pro arbitrato suo: qui terni, vel quaterni colludunt. Quanti ludant, prius constituunt inter se; et quis etiam sit ludi scopus, quoto ludo debeat cōstare victoria, tertio, an quarto; postea comites tenent locum praefinitū, qui jaciunt, et qui excipiunt pilam: unus consistit in medio, alius a tergo, is tenet lineam, sive scopum praefixū: atque his alii diversae partis, ut commodum fuerit, totidē obijciuntur: denique illis in locis sunt omnes, et hujus, et alterius partis collusores, in quibus retinere pilam, retorquere, huic, et alteri saltui possint obistere, et se contra solertiam, et conatus adversariorum opponere diligentissime. Antequam tamē ludus committatur, puero merces datur, qui testula, vel solea, aut lapide nolet, et designet locum cujuscunque jactus, de quo concertaturi sunt. Arbitri item statuuntur, qui lites, contētionēque dirimant, et ex bono, et aequo, quod sequi debeant, decernant. Itaque incipiunt colludere, et faciunt periculum pilae uno jactu praeludii, quem nulli esse conveniunt ad ludum. Vbi autem serior agit, et in his, quae praediximus, locis singuli sunt collusores, qui primo jacturus est pilā, praemonet jactus singulos, et quā intēta voce, ut audiri possit a collusoribus: et clamās, excipite, jactat pilā quāta vi potest, et cōtentione brachiorū, ut lineam

tran

trāfiliat; ne si deficiat in medio cursu, quindecim ex defectio-
ne lucrētur adversarii. Ita autē sublimē ille mittit, ut in medio, aut in cornu aliquot positos praetervolet, neq; brachiis sublatis, aut aliquo saltu sese cōfestim in sublime efferendo, illā cōsequatur ad remittēdū: ita nonnunquam emittit infimam, ut praetereat adversarium infimo suo volatu, mediam pilam, aut sublimem exspectantem. Res ubi calere coepit, et collusores agiles, et industrii sunt, multum diuque durare solet pila, missa primo, moxque remissa, semel, bis, et iterum ab utraque parte rejecta. Id temporis clamores multi tolluntur, magnae quaeſtiones habentur, jactus unus, et alter in quaeſtionem venit: quamobrem in disquisitione ponitur, quaerijubent collusores ab spectatoribus de hujusmodi jactu; cōfuluntur praesentes, et tota res ad arbitrium eorum, qui judicare possunt, et videre aliquid potuerunt, revocatur: quorum dicta nulla contentione, neque certamine collusores sequuntur inter ludendum. Quemadmodū comes aliū comitem objurgat? quanto opere exprobrat tarditatē occurrēdi, et ferius, quā intererat sua, pilae retinendae, quā remorari poterat? quāta laude spectatores agilitatē, et industriā alicujus, qui reprehēditur, prosequuntur? instāt, et premūt, ut se purget, causam afferat praeteritae, ac non protinus pilae remissae; in illum, qui in medio erat, aut paulo ante illum, culpam omnes conferebant: ita quidem nihil est, quod amovendae prorsus a se noncurantiae causa collusor iste non afferat. Ioannes, inquit, me impedivit; alter, facile potuisses pilā remittere; tertius, istae tuae fuerunt partes, si constisses tuo loco; atque id tēporis averſa manu quidni cōtendisti remittere? ali? quā tu facilius retorqueres, qui eras in linea, et remisso impetu magna jā ex parte, quo ferebatur, cōversa manu rejicere potuisses: sed neq; te movisti aliquatū loco, neque remisisti manū ad rejiciēdū: ita quindecim restāt adversariis ad cōficiēdū ludū, et nos amissimus bis quindecim; qui si haberemus triginta, pares essemus, aut in quindecim adversariis

Bb 4 ex-

excelleremus: ita jam nulla spes est vincendi, tam longinquo praefertim, uno, et altero remotissimo termino adversariorum. Sed finis sit cōtendendi, ac nos potius comparemus ad ludendum deinceps alacrius; neque hoc ludo dumtaxat consistit victoria. Colludunt igitur, et qui inferiores erant, amittunt victoriam primi ludi, et incipiunt secundum ludū cōmittere: atque idem tres colludunt tribus eisdem victoribus quos victi, qui sese efferre vidēt victoria relata, praemonēt. et rogant, ne se de primo feliciter confecto ludo jactare velint, solere se scite, et industrie, quam acceperint pilā, remittere: ludo autem praeterito, quoniam pila primo in laterculū incurrit, nec resiliuit, neque fuit in manu comitis illā sistere, semel quindecim, et iterum totidem illos habuisse; id autem esse perinde, ac si triginta illis largiti fuissent: quod si modo vicerint, se palmam concessuros esse. Ita maledicebant lateri, in quem pila incurrerat; male, etiam clamabant, sit pilae, quae non, ut solebat antea, cum sibi commodum fuerit, resiliuerit; omnem a se culpam amovebant, et in laterem, in offensionem conjiciebant: sed victi tandem fuerunt, pacta equidem omnia ex conventu observata, atque omnes manserūt in cōditionibus in illud usque tempus, cum ludus confectus est. Cum autem pilae, quibus colludunt, ut supra demonstravi, diversae sint, una, quae follis dicitur, pilae genus omnium maximum, constans ex aluta, vento inflata lētius fertur, magisque resilit, tardiusque descendit, quasi de industria collusorē exspectans. Atque hoc genus pilae pugno excutitur, et usitatū Italis, aliquot etiam locis in Castella. Alia est lana referta, et confuta, omnium minima; qua ludimus aut aperta manu, vel palmulis, vel reticulis usitatis.


TESSERAE.

Tesseræ ossicula sunt quadrata, omni ex parte candida, et punctis distincta tribus in partibus, in una autē nullo

pua-

puncto notantur: quibus, qui volūt ludere, colludunt vicissim, et tesseris inter ludendum autuntur tribus, quas inclusas manibus, et agitates prius emittunt in alveum aleatorium, et ex numero punctorum lucrum fit parvum, mediocre, aut maximum, vel nullum, si ceciderint ea parte, qua nullis punctis notatae sunt. Illae tamen quacunque ratione cadāt, firmas, et stabiles cadere necesse est.

COLLUSIO LATEBRARVM.

 Osi sortem jactam ille, cui fors obtigit, cōvertens ad parietem stat, et clausis oculis, aut manibus in tectis, ne videre possit, quo se collusores absconditū recipiāt: omnes diversi latebras quaerunt, et latibula, sive remota, sive propinqua. Vbi se omnes latebris suis occultaverunt, ille, de quo supra diximus, jubetur exquirere, et latebras omnes investigare, si quem repente possit ebrum, qui se abdiderunt: Interim dum is, qui mansit, exquirat loca omnia, latebras conatur investigare peragrandō, conticere omnes, neque minimū se cōmovere, non tulsit, ne locus aliquis occultator et receptor collusorum indicetur. Dum puer huc, et illuc quaesitum et investigatum latebras contendit, de improvviso ex latebris fere omnibus pueri reliqui currentes erumpunt, et ad volant velociter in locum constitutum ad conspuendum. Alii tamen tam in mirificas se latebras conjecerunt, tam penitus abdiderunt sese, occultaruntque, ut nusquam apparere poterint: et cum minus alii pueri opinabantur, repente evolarunt ad conspuendum. Quaesitor occurrere statim illis non desinit, et ut comprehendat, omni ratione nititur: sed illi pedibus evadunt, atque arte mirifica, et agilitate incredibili sese a manibus eripiunt. Quid plura? multi pedum velocitate freti, et arte deludendi, neque in obscūritate aliqua latere, neque in occulto sese abdere constituerunt, aut quia

Cc

nul-

nulla latebra esse possit, quam quaesitor explorare non valeat. Itaque sese in medio impluvio, in oculis spectatorum, in publica luce proponunt, ut oculis omnium cerni possint, et factum quaesitor, certare de comprehendendo, num illi valeat ad modum currando, aut vitando, latus unum, et alterum, deludendo mirabiliter una, et alia circuitione, mille ludos coram faciendo, nonnullis cursibus, aut saltu, vel laterum levi inflexione, demissione capitis, crebra declinatione corporis, et aliis multis artibus, atque technis se liberare, et periculum fugere comprehensionis. Si unus capitur, denuo ludus instauratur, et poenam, quam collusores constituerunt, ille persolvit, atque aliorum, quae sustinere debent, aut obijcendi buccas inflatas palmis apertis, tumorem illum, inane compressione depulsuris.

COLLUSIO ACICULARVM

Non parum jucunda est, Acicularum collusio, cum eas pueri in se sectant, atque intorquent, atque binivita flatu, oris alterno conantur movere, et quocumque voluerint, impellere, propellere interdum, aut unde collibitum fuerit, referre, rejicereque saepe, et quilibet in adversariam aciculam inferre, atque dirigere, aut non desistant, quoad imponentes unam in alteram, utranque aut supra, vel infra connectant, et implicent. Hanc cum ita connectam, et implicatam ludatus est puer, de lusione victor aufert, et ad aliam lucranda certamen instauratur.

COLLUSIO NUMMORVM IN SUBLIME PROJECTORVM

Talis est Nummorum collusio in sublimi Projectorum, quae fit, ut duo, vel plures nummos aereos, vel argenteos in manus sumant, et vicissim in sublimi mittant, aut sensim, et bene-

niter, vel mediocriter, aut vehementer, et illis deciditibus in lapidem, aut in laterem, ut propinquiores lapidum, vel laterum extremitatibus, aut ab eis remotiones, magis que distincti fuerint, maxime si medium laterem delapsi tulerint, ex propinquitate jacturam, et ex longinquitate atque recessu lucrum collusores faciant. Nam quanto propius medium lapidem tulerint, lucrifaciunt nummos inter se pactos, atque constitutos. Interdum ita nummis colludunt, eos in sublimi projiciendo, mittendoque vicissim, ut leonis, vel castelli, aut aliorum signorum, quae in nummis impressa fuerint, effigie ad arbitrium et ad voluntatem non jacentis operatae lucrum, aut jactura fiat.

TROCHVLVS

Colludunt nonnumquam plures, quotquot voluerint, cum rubine parvo, qui Trochylus dicitur, cum omnes nuges, grana sacchara, et edita, vel fructus aliquos emunt, et de communi consensione pro rata portione distribuunt, atque partiantur, et quot pacti fuerint inter se, in mediam tabulam conferunt, et ex forma litterae, quae ceciderit, collusor aut unam, vel omnes aufert, aut nullam de medio tollit, vel unam ad caeteras addit atque confert. Incipiunt igitur ex ordine suo collusores sublimi emittant Trochylum in mediam tabulam demittere, intervallo aliquo in orbem ille circumferatur, et rapida celeritate torquetur, quoad vi, et impatu conversio nis remisso, atque compresso, cadit una, aut altera ex quatuor partibus, quae litteris notatae sunt, in sublimi spectante, et ex ea lucrum, aut jactura fit ratione supra dicta. Interim suspensis animis, et intentis admodum, et in magno metu versantes collusores ex spectata littera, quae ceciderit, quae si. Si fuerit una, si fuerit altera. Tu omnes aufert, si. Per confert unam ad pactas nuges, et ad numerum casum, quae sunt in tabula, si. Denoniam aufert potest, et Trochylum, qui sequitur, illi proximus accipit, projiciendum.

dum. Saepe autem aliquis tam infelix est, ut spoliatus de lu-
do discedat. Neque collutores solent ludos saepe desistere, do-
nec fructus omnes sustulerint.

LVDVS. BALMARIS.

Vdus Palmaris communis est illorū, qui num-
mos lucrari volunt. Duo nummis aereis, vel
aerugenteis de lucro, ea, quae sequitur, ratione
contendunt, ut palmum, aut longiorem, vel
breuiorem, ut eis collibitum fuerit, ex palca,
vel ex arundine conficiant, paleam, aut arundinem in pal-
mare spatium concidentes: ille, qui prius palmum confece-
rit, nummos inter se pactos aufert. Primus jacet nummos pro-
pius, aut longius, ut vult, aut quantum potest a pariete, quē
nummis percusserat, distantes, alter similiter feribos a pariete
proiiciendo suos nummos in longum, aut in breue spatium,
ex longitudine, aut propinquitate loci, quem nummi a pa-
riete percusso profluentes tenuerunt, de palmo conficiendo
inter se uno, et altero jactu decertant, passim unum, et alterū
palmum palea conferendo, metiendoque locorum interval-
la certatim: quorum unus sit tantum spatium nummos proje-
cerit, ut palmus interiectus inter utrumque nummum plane
videatur interesse, quamquam minimum attingat utranque,
si consequatur tamen, lucrum necessario fit. Quo nummus
autem unius nummis alterius propius accesserit, lucrum cer-
tius est, et exploratius. Saepe discrimen dubium est, et res ha-
bet multum difficultatis, atque contentiosis, et propter exi-
guum intervallum non facile dijudicari potest. Id igitur te-
poris collutores abjiciunt se in terram, et prouolunt genit-
ibus, quantum intervallum metiuntur: quod tanta metitio,
et accuratione fieri debet, ut nummum unum, aut alterum,
nec minimum loco moti non moveant, nisi adveniens com-
moveri senserit, a motum continuo, vel promotum esse cla-
mat.

mat. Iactus aliquando ad nihilum recidere solet, cū aliquis
collutorum contendendo pro jure longissime a pariete, vel
recta a fronte parietis, unde nummi projiciuntur, vel a lateri-
bus, decidit nummus in locum quā maxime propinquum
parieti, non amplius tres digitos a pariete distantem. Nam
alter continuo leniter jaciens sine difficultate suum num-
mum palmum non complet solum, sed valde propinquum,
aut supra nummum alterum jacente humi suos jacet. Quid
illud, quod cadere infeliciter solet, cum offendens nummus
lapidem, aut alicujus objectu rei resilit a pariete longissimo
intervallo, aut quod nō raro in hac collusione videmus ac-
cidere, ut jaciens puer, dum vult propius parietem jacere num-
mos ipsos, ut adhibita, et projectione longiore locum aliquē
nummis offendat, atque ita longo intervallo nummos a pa-
riete projectos, proflite necessarium est, inde per longa spa-
tia provolvi, donec ex conspectu oculorum amittantur, et
paleis, atque pulvere involuti commistiquē nunquam ap-
pareant. In quibus investigandis, dum pueri pulverem spar-
gunt, atque latentes in illo nummos perscrutari student, qua-
tum temporis consumitur? quam graves molestiae suscipiū-
tur? Itaque vestes ipsas ex aliqua parte multū detrimētū ca-
pere, ad minimum inquinatis fordibus occurrentibus saepe
videmus: post multum autem tempus, nummos non inve-
niunt pueri, et quoniam ex illis fuerunt, quibus cum fructu,
aut rem aliquam emtum in forum mittebantur, reversi sine
nummis, sine fructibus domum inanes, quoniam suspicio est
pueros colluisse, et ludendo amisisse potius, quam quod illi
dicebant, casu, vel incuria decidisse sibi vias progredienti-
bus usitatas, atque rectas, et directas in forum, vapulant
acriter ac vehementer, ne quid simile committant in po-
sterum.

COLLUSIO ABSCONDENDAE

ligulae.

Collusio Abscondendae Ligulae, vel alterius cuiuscunque rei, quantam pueris voluptatem affert, atque lactitiam? multi conveniunt ad abscondendam, occultandaque ligulam sericam, aut coriaceam, et ille, cui fors obtigit abscondendae ligulae, post abditam, et occultatam ligulam, quam intenta voce facit potestatem collusoribus quaerendae ligulae, et ex latebris in lucem proferendae, si casu, si consilio, si qua plurimum valet sagacitate, investigando invenire poterit. Quaerere pueri ligulam, investigare sagaciter, obire latebras; explorare recessus omnes, angulos, et foramina quae occultissima: quod si quisquam propter illam est, si non longe abest, ut occultator pueros quaerentes atque investigantes ludos faciat non ingratos, ut agitet, vexet, atque in omnes verset partes, clamare, respiciant se ipsos aliqui, caveant sibi, provideantque, non multum a ligula abesse, posuisse pedem, admovisse manum in locum, ubi latet occultata ligula, a tergo reliquisse, retrogredi necessarium esse, si vult ligulam in suas manus venire. Quid tam sui ipsius, tam locorum inscius sit ante oculos versari, ne deflagret, ne ardeat, orare milles, et obsecrare suppliciter.

LIGULAE PROMOTAE

Contendunt pueri de ligulis longius saltu promovedis, quas ab eo loco, unde primus saltus futurus est, manibus secum portando transverfas, qui primo saltat, humi statuit, et relinquit postea saltaturus promovedis longius. Pueri saltare non desistunt, donec longius promovere non possint, neque unus alterius saltu cōsequatur. Atque ut in ligulis, et in lapide, et in aliis rebus promovedis pueri se exercere solent,

IA-

IACTVS GLOBVLORVM.



Adolescentes, et saepe barbati, non raro nati multos annos de globulis in aliquem locum proferendis, statuendisque, iactibus praefinitis globulorum concertare solent. Vicissim igitur ab aliquo loco, longo ante intervallo cursu suscepto, ut vehementius possint e manibus globum emittere, quanta vi possunt brachiorum, totum corpus, et vires intendendo globulos proiciunt: globuli simul atque de manibus missus est, magno impetu et concitata conversione fertur. spatia camporum longissima praetervolans, quoad illa sua rapida volubilitate remissa, compressaque consistit: hunc iactum, alter, qui secundo jactat, iactu secundo consequi summo opere nititur atque contendit; et saepe unus, saepe alter praicit, aut subsequitur, et longo intervallo aut globulum praemittit, vel subsequitur sine spe consequendi jam globulum longissimo distantem. Iactus nonnulli felicissimi sunt, alii tam infelices, ut globi nonnunquam comparatis ad jaciendum adolescentibus de manibus excidant, et elabuntur, aut quia cum longius volare viderentur, in lapidem incurrerunt, et resiliens eo referuntur, unde projecti fuerunt, vi et magnitudine gravioris ictus accepti: interdum praecipites prouunt in declivia, aut pulverulenta loca, vel ceciderunt in foveam, et vim suam incitatamque celeritatem amittentes subsistunt pulvere involuti, vel immeriti caeno, et penitus inhaerentes; unde cum extrahuntur, laboriosum est, atque difficile pungere, et abstergere sordes infinitas, et mirandum in modum impressas. Qui comitantur collusores, admirantur volubilitatem globulorum, in multis iactibus aliorum longiores, et velociores processus. Denique qui prius globum praestitit iactibus in constituto loco peritulerunt, atque adeo intulerunt, obtruseruntque, iuram quodam pacti fuerit faciunt, et iactibus aliquando paucioribus de ex eo loco, in que

Cc 4

in-

intu lerunt globum, in illum, unde jaciendi principium factum est, globulam eundem referendum accipiunt.

SIMVLATIONES IVDICIALES.

PVeri simulatas personas iudicum agunt, et mentiuntur Praetores, Propraetores, Accensos maximos, et minores, ministros et satellites iudicum usitatos, scribas, atque praeco-nes: qui fortitione, aut consensione munera demandant singulorum. Idem locum carceris praestituunt, et ad potestatis praereptae simulationem reos maximorum criminum faciunt, quos comprehensos, et vinctos ad Praetores deducunt, atque in Praetorum conspectu furti simulati accusant, litem intendunt, cogunt iudicem sententiam ferre: rei damnati appellant iudices alios, sed appellare prohibiti flagris, vel tiremibus simulant se addicere, ut iustitiam seruent, et crimina non inultra relinquunt, qui ad verorum similitudinem iudicum sua exercent iudicia. Arque etiam supplicia damnati perferre coguntur virgarum. Ita in aliorum terga puerorum tanquam in iumentum impositi spatia praetervecti locorum sequentibus accenso atque scriba simulatis caeduntur virgis praecone supplicium, et causam supplicii praedicante. Singuli vultu, atque fronte praebent speciem personarum, quas agere se simulant, et qui officia faciunt simulata reorum, supplices se atque demissos mentiuntur: qui vero se iudices, Praetoresque fingunt, pro fascibus ostentant et gerunt arundines, aut virgas tenuissimas: atque ficto non modo sermone, sed etiam vultu, incessu, motu corporis veram quasi dignitatem gererent, gloriam tantam, et splendorem magistratum illustrem adumbrant.

SIMVLATIO TAURORVM.

Quam iucunda est Simulatio Taurorum Agitandorum: ille, cui taurum agere sorte obtigit, aut funiculo mo-

re

re taurorum agitandorum trahitur, et agitur, aut solutus duobus palis in manibus tanquam cornibus simulat se taurum trucem ac vehementem, et pedibus, ut taurus ungulis, terram ferit, spargit arenas, minatur cornibus, oculis intuetur minacibus, retrocedit caput motitas, et palos intendens tanquam cornua in agitadores, in hos invadit, illos fugat, prostermit alios, palis plures ferit, et quasi saeviens cornibus pro mortuo puerum aliquem relinquit: puer se mortuum simulat, aut graviter percussus. Ita in receptacula, quae plerumque praestituuntur a pueris, lapides aliquot, aut aedium vestibula patentium, pueri se recipiunt. Atque puer taurum agens crebros taurorum mugitus imitatur. Neque facultas datur, si pueri per fugium aliquod tenuerint, capiendi quencquam, ut agat taurum de passionibus, et de conditionibus ludorum, in quibus pueri comprehensi tauros agere compelluntur.

SPECIES LVDORVM TRO- janorum.




Veri praebent Speciem Ludorum Trojanorum, et cursus, atque concursus equestres simulat; cum distributi in duas saltem turmas, et creatis cujuscunque turmae Ductoribus, in arundinibus equitant, et praebent speciem equitantium iactando sese, et in cursu sibilis, atque clamoribus tanquam equum arundinem incitando, et illam a cursu revocando, et versando in unum, et in alterum latus, ut motus, et pompam equorum fingant atque simulent. Idem sese efferre simulant arundinem in speciem equi sese in priores pedes erigentis. Conficiunt igitur pueri sibi insignia papyracea, galeros, tunicas, et manicas praecipue, quas distinguunt stellulis ex auro adulterino, vel ex eadem papyro, rubore, aut pallore, vel alio colore notantes: atque has induunt vestes

D d pa

papyraceas cum signis, et scutis ex eadem papyro confectis equitantes in arundine, cui caput saepe simulatum ex panno concinnatum affingunt, et fraenum cum loris longioribus, ad speciem hanc, et simulationem ridiculā prodeunt in mediā plateam, et primos cursus faciunt in equitum similitudinem, quos ad aditum illustrē ludis faciendum ante ludorum commissiōnem inire solent. Denique imitantur ludorum simulachra Trojanorum jaciendo, et rejiciendo arundines, iterum, atque iterum, et saepius intorquēdo, retorquēdoque spicula, invadendo modo, modoque fugiendo, denique se tuendo contra ictus adversariorum oppositu et objectu scutorum.

PAPILIO.



Ollusio Papilionis ea est, quae sequitur. Deligunt pueri sedes plurimas, atque stationes, quas animis comprehensas habet, et ab illis rebus, quas delegerunt, suis illas nominibus vocat, aut nominibus arborum, malum Medicam, prunum, amygdalum, arbutum, caprificum, cerasum, cupressum, aut ab urbibus, et oppidis appellant, Cordubam, Granatam, Hispalim, Augustam Firmam, Madritū, Toletum: et post delectas sedes has, unus collusorum de sede Papilionis, et habitatione percontatur, et quidem quasi dubius et ignarus, quam Papilio sedem habeat. Audivi, inquit, et haesitans, et quasi revocans se ipsum Papilionem habere sedem in amygdalo. Cui statim ille, qui arborem hanc delegit, minime quidem. Continuo qui percontatur, ubi nam ergo sedet? ille vero, in Caprifico. Tunc ille, qui Caprificum assumpsit, minime sane, neque in hac sede manet. Itaque rogatus de sede, statim, celeriter, puncto temporis, ubi moratur, respondet: atque nominata sede, negat ille, ad quē locus spectat nulla minima mora interposita. Quod si commoratur, vel si locum, quē aliquis delegit, ipse nominat, perferre debet poenā constitutā, aut frontē offerre talitro percutiendā, vel stigmatē aliquo

quo, vel carbone notandā. Audire est celeritatē, et praecipitatē volubilitatē percontandi, urgēdi, ac premendi, contētiōnē, et vim adhibitā incredibilē, ut responsum detur, et quidē illico, sine mora, has, et harum similes alias percontationes, consequi responsiones non dissimiles, has cōtinenter fieri, et sine intermissione, tanta celeritate, et agilitate linguae, volubilitate praecipiti et incitata verborū; ut non detur spatium alias res cogitandi. Atque illi, qui percōtātur, quā haesitare se simulant, mittere velle vocē videntur, et se continent: atque cū dimidium verbum proloquuti fuerint, et nondū absolverint, se ipsos revocant. Quemadmodum illi, qui rogare volunt, expectant hos, et illos, et ante percontationē, faciē in hanc, et in illam partem versant, convertunt, et averunt oculos, atque saepe retorquent, ut illos inopinātes percontationibus postea suis opprimant: nonnulli faciles admodum, atque prompti sunt in respondendo, alii capiuntur passim variis praesertim ducti percontationibus. In tāta tamen, et tam crebra percontatione, et celeritate respondendi necesse est id accidere frequenter, ut perturbatio magna, et confusio mutuis percōtationibus, et respōsionibus existat; et cum multi passim labantur, capianturque, ut confusionē hujusmodi cachinnatio multa consequatur.

SIMVLATA BOMBILATIO.

Collusio haec, quae a similitudine bombi, quem apes cedere solent, nomen traxit, grata satis est et perjucundā spectatoribus propter simulatos puerorum Bombos, et cōmissiōnē pugnae periculosam ad ictus, et colaphos infligēdos pervenientem. Pueri igitur tres diductis ac divaricatis cruribus stant, et ex his duo a lateribus, et facie aliquātulum amota, qui genam, quae spectat ad illum, qui medius interjectus est, oppositu palmae tegunt: atque idem duo brachium alterum sublatum, et erectum, intentamque manum

in faciem interjecti collusoris immittendam statim ad par pari referendum, quod illum excruciet, priusquam se ipsum demiserit. Qui medium tenet locum, demisso aliquantulum corpore, et nonnihil contracto, quasi sibi cavens, et faciem respiciens, huc, et illuc, in sinistram, et in dextram intentans manus, et ore bobos apud minaces, et horribiles imitans ad aliquod temporis spatium ictus intendere brachiis sublatis, et imminentibus in unum, et in alterum se versans latus omni cautione non desinit; ut unum ex duobus minus opinantem feriat: qui cum semper paratus adsit, et eidem imminens, vix ad ictum infligendum brachia demisit, cum in se dimissum brachium illius, in quem invasit, malo suo perferens: quo malo sapere coepit, et magis sibi cavens ad alium conversus, eodem horribili bombo, colaphum, aut ictum minitatur; et in hunc, et in alterum se convertit, et avertit statim, et simulat se intendendo manus, et nonnunquam ori propius admovendo, ictum velle infligere: atque cum satis paratum utrumque ad cavendum videat, omittit illos saepius, donec post unam, et alteram intermissionem, et ad eisdem reditum, et plurimam, et providam simulationem, ex improvviso, praeter opinionem, cum magis se ipsum cavere sibi, et omni se ratione protectum esse arbitratur, qui damnum accepit, magna vi et contentione colaphum infixit acerrimum, quo quinque digitos in ore expressos, et inustos reliquit. Is mirabili celeritate, et agilitate nunquam audita, cum corpus puncto temporis demississet, nullam offensionem suscepit. Clamores illico facti fuere maximi, maximae admirationes consequutae, cachinnationes ingentes exauditaе toto conventu, celebritateque spectatorum. Succensere percussus, et in percussoris locum succedere alius appetens honoris, et cupidissimus ulciscendi suum amicum, et familiarem: quem ineuntem certamen periculosissimum ut spectatores viderunt, erigere sese omnes, et suspensos exitum exspectare contentionis aspicientes. Hunc, ut honorem ipse tueretur suum, nunquam homines

incautum, neque improvidam videre potuerunt, semper autem providentem, et omni solertia, et cautione protegentem vultum, et ora defendentem, prospicientem bombos adversarii, et contra brachiorum intentiones, et remissiones, contra decessus, et accessus manuum frequentissimos nonnunquam non objicientem brachium, et manum intentam; et cum adversarius jam jam manum intenderet, et colaphum inflictum esse putaret, geminatum, vehementemque tulit. Atque hac ille ratione vindicavit ictus amico vehementer inflictos.

SIMVLATIO REGINAE.

Collusio, quae a Regina nomen accepit, pacata satis, atque sedata nimis est. Colludunt multi confidentes, et quieti manus manibus compressas in pugnos imponentes, et qui ultimus numerum expleverit supra reliquorum manus suam praecessam, et eminentem relinquens princeps est ille collusionis: et quod collibitum fuerit, onus cuiusunque collusori pro arbitratu suo potest imponere. Princeps igitur jubet hunc saltare, illum percrepare digiris, canere, aut quidquam agere: qui si non paruerit, nulla fide, nulla existimatione vir, humilis, et contemptus homo habetur; et jactatur, et omnium in illum probrorum plenae voces certatim mittuntur. Atque in probris maxime in promptu est conditionibus debuisse stare, quas omnes tulissent, non violare fidem, fugere omnem infamiam, praesentes non minus homines esse, non minus honoratos, et splendidos, et illos accepisse condiciones constitutas: se neque ad jocum, neque ad ludum natum. Vbi probris omnibus puerum cum ceteri vexarunt, sibilis conscissum excludunt, et ejiciunt foras.



COLLVSIO PALLIORVM SVRRI-
piendorum.

Solent pueri suscipere campestres corporum exercitationes collusione Palliorū Surripiedorum. Ecce enim in aperto patentique campo tunicati facta sortitione sociorū in duas partes distribuuntur: singuli suas partes agere, tueri pallia in cumulo deposita palliorum, quae singuli ad cumulum quasi tollendum instar aggeris exstructi contulerunt, pro virili parte contendunt. Ac primū constructo cumulo congestoq; palliorū, in singulis stationibus alia pallia aliis objecta sunt, quasi castra proposita diripienda propugnatoribus, et pari quidem intervallo a linea, quam sibi descripserunt; unde pallia primo tuentur atque defendūt, et de invadendo in adversariorum stationes contendere incipiūt disjūcti separatique. Ecce nemine relicto in custodia palliorum omnes ad lineam, quae sua descriptione terminos dividit utriusque partis colludentiū, currunt, et advolant, et minimis intervallis disjuncti in stationem adversariorū irrue-re conantur levi saltu, et cursu uno, et altero, sursum, atque deorsum se ipsos quasi provocantes, et alii alios incitantes, ut sese inferant, audeant aliquid, et agilitate sua deludētes industriam, et conatus aliorum, sese in adversariorum stationē intromittant: in quam ubi se dederunt, accelerare videas, et festinare, ut non currere, sed advolare videantur ad cumulū palliorum, in quem qui cursu praeierit, et accesserit, in medium se cumulum abjicit pronus palliorum, aut refidet, vel ingenua procumbēs exspectat adversarios, ut pallium, quod inter illos unum, et insigne trophaeum victoriae convenit, de aggere constructo auferat. Antequam in aggerem fiat alterius impetus, quam sparsi atque dissipati, confusi ac permisti, et alii cum aliis sese confundentes, ut internosci non possint, suscipiant cursus rapidos et concitatos, rectos, trans-

transversos, sursum, ac deorsum, nullo certo ordine, neque ratione, et quoquo modo possint, de capiēdo adversario, qui sese in stationes suas intulit, et incitavit audacter, certant, et persequuntur vehementer? Ad quem defendendum, et eripiendum ex manibus adversariorum, dum focii accurrūt, et advolant celeriter, quod praelium initur? quae pugna committitur? hi quos impetus faciunt? quā se spargunt atque diffundunt pallia semper circūeuntes, et obsidentes, ne de cumulo unū auferatur, et conātes insequi quā longissime, quibus cursibus, et circuitiōib⁹ adversarii spatia praetervolāt immensa camporum, et iterum, et saepe decursa spatia repetendo, ac praetervolando? quid cum alii sese objiciunt, et currentibus opponunt mediū praecidendo cursum, distinēdo nonnunquā oppositu suo, cogendo saepius, ut se revocēt, et pedes referant Euro velociores, dū alii objectu suo, dū se illis in manus quasi dando, et arte deludēdo mirabili, cū jam capi videantur, aut esse in manibus adversarii, distinent huc; atque illuc avertendo, vexando, defatigandoque, rectū indicando cursum ad sua pallia, si fortasse fortunā tentandā putēt, ut illo intervallo de suis collusoribus audaciores cōcurrant celeriter ad pallia surripieda? Atque haec omnia semper ex cursu firmatis, renovatisque animis fiunt, donec praedas, rapinasque faciunt ex nova cōparatione palliorū. Quo inito praelio, cursuque suscepto inter unā, et alterā rapinā multa perpetienda sunt, et dāda documēta celeritatis: donec quis palliū auferat, aut evadens manus inimicorū se ad suos referat recipiatque. Sed in hac Palliorū cōtētione Rapiēdorum nō hāc solū cōfusionē et perturbationē puerorū cōsiderem⁹ prospiciēdo terminos unius factionis, et hostes confusos ac permistos, alios in alios advolātes, et se magna cōtētione corporū, et velocitate suscepti curs⁹ vicissim insectātes, sed in diversis stationibus utriusque partis vagari collusores ac discurrere, et se inter utriusq; partis interjecta spatia diffundere latissime, et circuire stationes oppositas, ut cū hic modo vi-

deatur, alio se cōferāt: et cū haec pallia praeripiēda curēt, illa ab aliis, qui praecurrerūt, et cumulū palliorum praecoccuparunt, praerepta sunt. Sed quid pluribus descriptionē lōgiore facio? Collusio praeda palliorum absoluitur, et victores poenas constitutas de pueris spoliatis, victisque sumunt.

COLLUSIO CAPIENDORVM
adversariorum.

Hujus nō dissimilis est illa collusio Capiendorum Hominū, cum in duas similiter turmas divisi de suis longo intervallo disjunctis stationibus aliis alii occurrunt, et procurrentes ad volant, ut se ipsos comprehendant, aut saltem palma percussi cedant confestim, et se dent in manus adversariorum: a quibus trahūtur statim in stationes adversarias comprehensi, et tanquam bello capti, qui sunt apud adversarios, et in illorum detinentur stationibus, donec ab aliquo de suis collusoribus ab illa custodia liberentur, et ad suos liberati reducantur. Atque istud fieri de legibus collusionis potest, si quis procurrente in vadit, antequam in cursu caperetur, in stationes contrarias. Hac in collusione longior non ero; quoniam omnia, quae in superiore, in hac concurrere necessarium est.

MAIAE.

Quamquā puellarum sit ea, quae sequitur, exercitatio, tamen non est omittenda; quia ad collusiones spectat, et ab ea decorum honestatis non abest. In more veteri puellis provinciae Bacticae positū est incunte Majoro creare Majas de numero puellarū, quae locupletiores sunt in vicinia. Atque singulis diebus festis puellae producūt eas in publicum vestitu, et ornatu pulcherrimo visendas: quas in sella

sella collocant egregie vestitas, et pulcherrimas, sicut praedictis videri possunt. Quae puellae quibus parvae natū, tamen jam annos aliquos habent, de severitate Majorum, quam gravem, quam severam, quam ad dignitatem compositam personam sustinent illae nunquam ab uno loco oculorum obtutum amoventes Reginas agere visae sunt auctoritate praecellenti, et quasi reginae, quam in sella retinet miranda dignitate praedicta, semper enim eundem vultum, et orbem mentis constantem nunquam oculos retroque non circumspiciunt, non se videri mobilitate reliquarū puellarum se convertunt ad praetereuntes; sed quasi statim eleganter vestitae, politae, comtaeque Majae personam impostam sustinent nihil aspicientes praeter illa, quae posita sunt ante oculos, vel ipsis in terrā defixis subjecta necessariū est eas intueri. Puellae nonnullae astant quasi paratissimae madata Majae, exequi diligenter. Itaque nutum, et significationes intueri, ut si quid opus fuerit, si quid de loco, in quo est, significet, sine mora exequantur. Omnes puellae illi dicere Majam suam, hoc nomine, et hoc ore asserere, atque ubi hanc rationem in sella ferica collocata habeant in tabularum a terra multum exaltato, et tapetibus strato magnificentissimis, violis, ac floribus variis ornato. Cum sella in medio tabularum ad parietem peritrochate pulcherrimo vestitum adhaeret, cum illa sedet amplissima in statione majas, quae quaeque ostentat, et terra semper intuentem, et oculis cum sepe hinc illuc in fronte, et in pupillis ipsi oculorum, quasi duabus rotis, in oculis incredibilibus. Atque tota equitata, et collaribus mille inflexionum intortis, ac retortis, et circumspiciunt, ut ubi latere, et a fronte in terra, nisi longe lateque exploratas praedictasque simulas in se ponant, illis videri, atque a tergo deserta, non gressu, nisi per se, possunt. Puellae illi, qui praetereunt, vultus, oculos, et non pigritiam, in quibus vultus, quae quaeque Majas, in se, in se, quae quaeque retinet, ut in se, in se, in se.

Majae sumtus, et ad ornatum exprimant: multum urgent et premunt, donec expellerint. Atque hae vias sursum, ac deorsum petunt, repetuntque millies, ut occurrat ingrediētibus viam, ne deflectant in aliam non inscii puellarum importunitatis, et molestiarum, quas pro nummulis extorqueētis exhibere solent. Interea totum vesperum, totas horas, et intervalla temporis omnia non solum puellarum cantibus, sed tympanorum pulsu viciniam totam personare audietis: donec post Solis occasum in aedem Majae concludunt: puellae vero in domos suas se recipiunt fessae nimium, atque defatigatae.

CURSUS.

Non est illa contentio praetereunda puerorum, cum rem aliquam duo, aut plures cursu inter se certantes petendam, consequendamque curaverint, qui simulatque ab aliquo loco pares emissi fuerunt, alacres et erecti concurrūt, praeter reliquis Antonius emicat, et cursum praetervolare visus est: hunc proxim⁹ nō magno intervallo Ildefonsus insequitur, quē Petrus sequitur non magno a tergo spatio relicto, sub quo evolat frater istius Ioannes, calcemque jam fratris terit calce suo humeris quasi fraternis incumbens, atque protinus projecto brachio rejiciens praeterit, et spatia multa transit inaudita celeritate, et incertos obtinendae victoriae adversarios reliquisset, et ad metā proculdubio pervenisset prius, nisi per lubrica surgens in rumulum, unde res auferenda fuerat, humido loco prolabens humi concidisset miser: haec cum Antonio praescurrenti, et aliquot intervalla praecipiti nemo se opposuisset, qui semper praecipit palmam consequutus fuit, velocitate pedum. Neque adversarii obijciunt fraudes, non dolo, victor excessit celeritate pedum, nihil enim loci fraudi,

di, nec dolo fuit in hujusmodi cursu.

COLLUSIO ORBICULARIS.



REBEM faciunt adolescentes, aut pueri, et cum plures aliquot intervallis distincti rotae praebent speciem, aut circumamplioris, conveniunt inter se de pila, de malo Medico, vel de aliqua re capienda, quae ab alius brachius protentis recipienda projiciatur: cujus vero tanta sit inscientia, vel inertia recipiendae pilae, ut de manibus decidat in terram atque delabatur, poenae subicitur pignoris deponendi, vel spoliationis rerum, atque adeo vestium: si quod deponat, et in communem conferat acervum, non habuerit pignus. Instituunt igitur pueri ludum, atque intentis oculis, et animis in pilam. Primum sensim, in quem collibitum fuerit, illi projiciunt pilam in vicinum, aut in adversum aliquem, vel distantem magis, et a se disjunctum collusorem, saepe in non opinantem, in inscium et ineptum: prorsus pilae, vel globo recipiendo. Atque in ipsa progressione collusionis tanta cum celeritate, tanta vi et impetu, nullo certo ordine, neque modo; ut ipse globus resiliat percutiens manus alicujus, aut excidat de manibus et delabatur, aut capita praetervectus multorum manus etiam praetervolet aliorum; ut necessarium sit quenquam egregium esse pilae receptatorem, et singularem admodū, cujus manus non evadat. Tanto pila fertur imperu, tot praetervolat manus, tam rapide, tam furenter: ita cum multi non consequantur pilam alte volantem, aut projectam recipere nesciant manibus, cadit illa saepe, et labitur in terram: unde pignora deponit, spoliari collusores necessarium est. Quae usque eo spoliatio progreditur, ut tunicam manicatam, deponendam saepe exuat aliquis de

collusoribus; et si quinquam aliquando horarum modis in se dis-
cam, non mentiar.

COLLEGIUM ORBIUM

DISSIDIUM, SEU RIXA IUVENILIS.

Quamquam nihil magis a se sublatiis abis, quae moe-
ror; tamé exercitatiois praesentis, quae gaudium, sae-
pe contaminat aegritudine, rixas juvenum; et pue-
rorum eludis aliquando profectas in hunc locum, coniecti-
mus. Adolescentes duo nobiles habuerunt in media platea
quaestionem quandam, et primum verbis inter se concerta-
runt; et omni se in dolo et infamia affecerunt; quae cum
perferre non possent, alternis maledictis inter se querentes inter
se gravissimas contumelias, gladios distingunt; et una cum
heris famuli, qui ad erant, ut dominos tuerentur, murro se
gladiis caedere incipiunt. Hi cum propter mobilitatem suam
novissimi fuissent; statim in platea quis parvi fuerat ab dissi-
patione currere; puncto temporis convenire amici, qui casu
non pauci reperiti fuerunt; commoverit otias plateae vice-
nitasque habitatores se effundere de suis aedibus; qui pla-
team praesertim, consistere, spectare concorsam, et urbem
atque rixam se se multipacificos interponere, pacem om-
nes facere conari; et quantum in se ipsis fuit, adducere ado-
lescentes ad concordiam; atque in eam rem incumbere; ne
paterentur tantum sanguinis profundi, extinguere conficique
principes clararum familiarum civitatis totius facile princi-
pum. Micabant distincti gladii, ictus audiebantur, et crepitus
gladiorum horribiles; magnus erat motus, summa perturba-
tio, multi vulnerati, duo caesi, et inter illos, qui princeps erat
seditionis, et discordiae concitatae. In media turba tum cum
magis ardere videbantur, seditione nuntiata Praetori, satelli-
tes, et administrum iudicium concurrere cum fascibus, et virgis
perumpendo multitudinem; et aditu sibi patefaciendo per
omnes partes multi comprehenduntur, et in publicam custo-

diam.

diam traditi in viculis diligentissime mandantur: multi diver-
si, et dissipati prae multitudine relictis gladiis dilabuntur,
quae in fugam conicere potuerunt; ut manus iudicum eva-
derent eurrentes; et ad volantes: multi de satellitum manibus
elapsi conquiruntur. Multi comprehendere non potuerunt; al-
liqui repertos in vincula conicere potestas nulla iudi-
cibus data est, quod in ecclesiam confugerunt; quod tutis-
simum per fugium propter immunitates Ecclesiae tota civitas
affines culpa, auctoresque seditionis: sed spes erat ipsos se
dedituros iudicibus; quod turrim, et ecclesiam; in quam se
dederat, multis custodibus iudices obsederunt; et omni ad-
itu prohibebantur famuli ad cibum inferendum: praeterea
sumtus si oblati maxime custodibus; quos neque perferre po-
tuerant illorum; multi qui se receperant in ecclesiam; ap quo
opinio multorum erat duos ex his extrahi posse; qui de his
fidiis unum occiderat. Nulli nisi de praesenti seditione ser-
mones illis diebus haberi; multae res et variae iactabantur in
his rixis usitatae, multae insignes, et novae addebantur; in-
tenalias autem unum Nobilem Joannem nimium litigiosum
nimis comitum ad rixam, omnium amicis saepe parvis de rebus
rixatum; quietam civitatem ab hoc homine saepe perturba-
tam, alterum non modo quietum, sed quietissimum semper
fuisse; atque illum primu singulari providentia Divini Nu-
minis caesum fuisse ut qui sunt de familia sua; caede tandem
aliquando suorum docti sciunt abstinere manus; continere
linguam, et insolentiam; atque illos tandem reprimere oppri-
tus, quibus quotidie magnas in civitate seditiones factas, et
constatas esse constabat. Qui in utriusque partis seditione
fuerant, de compositione continuo per pacificos agen-
du curabant, atque viros allegabant principes civitatis; qua
desperatissimam esse pacem una mors faciebat, et vulnerati;
qui obstabant vehementer irati, ne aliquid de reconciliandis
hominibus se confecturos esse sperarent; qui omnia inimic-
eissime infestissimeque contendebant.

Ecce 3. CON-



Doleſcentum rixa praepoſita, Puerilis nō videtur omittenda. Vidi pueros duos verbis inter ſe decertātes, donec ad manus, et ad brachia pervenerunt: qui cū inſtigendo ſibi mutuos ictus, et accipiēdo turbas dediffent maximas, brachiis ſe medios complexi multum diuque luſtati fuerunt vi et contentione corporū, et aſtringēdo ſe acerrime, efferendo, deprimendoque quantum poterant, atque iſtis ſe capitibus non leviter percutiēdo, nonnunquam pedibus in terrā ſemper innixi vehementer alter alterū proſternere conabatur, et deſciciendum proſternendumque quacunque ratione ſupplantare: donec qui plus viriū habebat, alterum reſupinum proſtravit, et in illum aſcendens ſtomachus inſultabat proſtrato in hunc modum, et iracūde nimis, et inſolenter. Tu ne ſtatues te viriū ſatis non habere, ut tandem aliquando mecum luſtari, atque cōgredi deſinas in poſterum? Cum aliis te fortioribus mihi magnae luſtationes fuerunt, qui cum mihi conceſſerint omnes, tu victus diſces ab hoc tempore nihil habere cōtentionis cū Francisco Antonio. Atque haec repetens, et inculcans modis puerum indigniſſimis tractabat, utranque manum comprehendens inſtigit colaphos, vellicabat aures, ſimiae figurā in ore mētebatur, verbis ita vexabat, et violabat. Si quid auſus in poſterū, faciam ut mei memineris in perpetuum. Non ad libidinem meam de te quodvis poſſum exēplum ſumere? quis tu ad me? quis ad meas vires? qui parentes? qui maiores tui? ut ad mei generis nobilitatē cōparandus? Ille, qui infra erat, cum primo reſiſtere, vi deſcicere de corpore victorē exultātē ſtuderet, ſi deſectū in illū inſilire poſſet, atque gratiā promaleficiis parē referre, ad extremū cum conata perficere nō poſſe videretur, quae victor vellet, et imperaret ſe factorum eſſe promiſit: et victorē profeſſus eſt, et ſimul clara voce reſta-

ſtatus, neque verbo, neque re in poſterū violaturū eſſe puerū, qui ſalvū et in colūmē, cū deterius tractari in ſua manu poſitū eſſet, abire juſſerit. Itaque nulla in re non cōceſſit petitioni adverſarii. Sed ecce continuo pueri cū fuſtibus, cum fundis, et armis puerilibus cōvenire, depoſcere certatim ſodalē ſuum, appellare nequā et improbū victorē, qui magis fraude fallaciſque ſuis, ſupplantando ſcilicet, quam corporis viribus, robore ac fortitudine ſua viciffet: de via clamarē, quoniā jam ille ſe domum in propinquiorem abdiderat, ut ſi vir eſſet, et virium ſpecimē praebere vellet, prodiret in publicum ad decertationē, et ad dimicationē ſubēunda. Hāc cur extimeſceret, qui in nullam (quemadmodū ipſe dicebat) non ſolitus eſſet deſcendere? Siccine quacunque modo adverſariorū inimicitias, omnes dimicationes deſugietē viderent? Siccine in extremo diſcrimine, lapidumque dimicatione ſocios deſerere, pro quibus labor omnis, et dimicatio ſibi ſubēnda fuiſſet? Exire victor alter protinus de domo, in quā ſe conjecerat, tot injuriis laeſiſſus, et quidē curreſ, et advolans, jā cum funda in manu, et in illam lapidē ſtatuens, atque circumagens vi brachiorū ſaepius, multiplici in orbē gyro citata converſione rotans, ut cū ſe commilitones lapidationis aggregaverint, nihil ſibi fuiſſet optatius, nihil etiā prius, quā ad lapidationē pervenire. Viri pueros omnes et minis, et terroribus verborū jaētis fugare velle, partim interventu ſuo dirimere litē et quaefitionē, denuo redintegrandā, ſed nihil proficere. Sic factioſi fuerāt, et turbulēti pueri, tāto furore, et amētia ferebātur, ut ad omnē dimicationē paratiſſimi depoſcerent lapidationē, et principē adverſariae factionis. Is quoniā, et a manibus, et a cōſpectu ſe ſuo illo die remove-
rat, exſpectarunt, quoad ſuis manibus nilum eſt nuriffent. Cum igitur adverſarii puerum quotidie, tempus, et loca quae videri ſolebat, obſervarent, paucos poſt dies ruri viſus eſt cum aliis ſuae factionis: ubi puerum, quem dātū ſibi ſemper videbant, ad ſcelus ulciſcendum, viderunt, accurrentes elamarunt.

MILITARIS LVSTRATIO

Pedestris.

Non minorē speciem habuit Militaris Lustratio Pedestris. In qua cohortes plurimae prodierūt ordine singulari agmine toto in tres ordines distributo; in hunc autem modum, ut terni progredierentur, et omnes aequabiliter vestigium imprimentes, et ab his, qui venerant a tergo, qui praebant paribus semper intervallis, nulla nec minima progressio longioris, aut brevioris interjecta discrepātia; ut quasi pedibus distantiam intervallorum in procedendo metiri viderentur. Ita mirabilis erat series, et progressio militū modo semper adhibito, et ordine praeclaro progrediendi. Vias igitur milites lustrabant praecunte Duce cū hasta licidā sericis ornata, qua ille figebat gradum summa cum dignitate, et stans temporibus ad milites conversus aliquoties totam cohortem consistere, cum opus fuisset, jubebat: qui tūc nullo verbo facto, minima significatione, puncto temporis, rei, quae significabatur, non inscientes consistebant. Procedebant autem milites praecunte Duce, quem puer anteibat armiger galeam Ducis in capite gerēs pennis versicoloribus elatis admodum in sublime decoratam, et parmam in sinistra auri eximio splendore collucentem: sequebantur sclopetarii suis humeris sclopos comportātes jam quidem pulvere tormentario refertos, ut cum vellent, disploderēt suis temporibus. Omnes autem progrediebantur gladiis, et sicis accincti pendentibus a tergo buxeis lagunculis tormentario pulvere completis, unde ad sclopos complendos quantum necessarium esset, emitterent: tum ornati vestitu pulcherrimo, et diverso colore femoralibus, et tibialibus, quae fasciis cruribus astringebantur sericis, et ornabantur illustriore ementita specie rosarum, et calceorum candore concisorum, et ligulis sericis, et versicoloribus astrictorum. Accedebat ornamentum capitis galerus sericus, varietate colorum.


lorum, plumisque, et pennarum venustate decoratus. A collo mitellae sericae, vel aureae muraenulae pendebant. Quāto administrorum labor? quanta Ducum diligentia? quae cursatio Tribunorum? quae castrorum simul Praefectorū, ne quid non ageretur ad speciem et ad similitudinem bellicam? Horum militum in progressione quanta comparatio scloporum? quanta eorundem diligentia pulvere tormentario complendorum, aliorum inferciendorum papyro, simulque cum virgulis illatis comprimendorum, ad alios admotio mixorum ad ignem concipiendum, multorum uno tempore horrendum in modum displasio scloporum strepitu et fragore horribili quacunq̄ue locorum progrediebantur percrepante? In medio vexillum ferebatur hastatorum multitudine stipatum, idemque hastati in humeros hastis impositis vexillum conseq̄uebantur; qui iussi consistere, rectas humi statuebant mucronibus in sublime spectantibus; quas pugno compresso sustinebant in humeros paulo post revocaturi toto agmine progrediēte longius. Cū milites ingrederētur in plateā lustrata jam universa paene civitate, cunctōrum oculos in se cōvertebant totius ordinis magnifica specie, tanto et tā illustri cunctarū cohortiū splendore. Lustrare totā cohortē, sursum deorsumque cursitare Tribunum, componere milites, magis ac magis agmē ordinare, hasta, si facto opus esset, militē minus ordinate procedentē, aut nō admodū cautū et providū ferire, verbis interdum castigare, tyronē dicere, jubere in veteranos intueri, suum officiū castrorū Praefectus facere, et muneris quēque sui monere. Ita quidē omnes ordine militari procedebāt, partim sclopis displodēdis, partim rerū militariū speciē multā praebendo, res agēdo varias, et partes suas praeclare praestādo singuli milites laudē ex re militari maximā cōseq̄uebātur. Saepe verbū Imperatoris uno momēto tēporis totam cohortē praetervolans ad militum aures perveniebat extremorum: jubebatur nonnunquam contendere, aliquando properare ma-

gis et festinare, et interdum quasi currétium similés accele-
rare more militari conclamando ad tympani pulsati sonum
citatissimum. In media cohorte Signifer gerebat vexillum
suis insignibus distinctum; quod interdum in dextram, et in
sinistram jaçtabat, circumagebat etiam et cum venustate, et
agilitate mirabili, atque una saepe manu sustinendo, et adeo
fortiter, ut robur Signiferi mirarentur omnes. Illud in illa
jaçtatione aëris flatu ventilatum quantopere concrepabat?
quos sinus mirandam in concavitatem efficiebat? quãtã cû
fericorum mirifice concrepantium ostétatione patebat ex-
plicatum cunctorum oculis expositum ad spectãdum? To-
tũ explicatum non minore postea venustate idem cõtra-
hebat colligebatq; Signifer, in terga rejiciés oras extremas,
et in pectora mirabiliter revocans, ne flante vento huc et il-
luc jaçtaretur, et propter longitudinem terra tractũ pulvere
multo cooperiretur, atque adeo sordes viarũ palsim obvias
colligeret. Postquam plateam circumierunt cohortes, et sin-
gulae stationes suas occuparunt, oculis, et animis quam intét-
tis signum exspectabant displodendi dãdum. Cohortes igitur
cohortibus erãt oppositae, et aliae aliis adversãe speciẽ
et simulachrum militare praebentes: quae cum in armis om-
nes essent, omnes etiam ad scloporum displõsionem paratissimae
telorũ micantium culpidẽ pectoribus adversariorum
intenta, mortemque plane minitante terrificam, dato signo
displodere suos cõfestim sclopos in alias aliae cohortes stre-
pitu et fragore terrifico quasi ruentis civitatis, ruere cuncta
videbantur aedificia, et solo adaequari, hastati pilis obje-
ctis opponere minantia pila: denique milites omnes dare
operam, ut suam cohortem viderentur defendere, et ad-
versariã velle penitus delere, atque in officio faciundo,
perstare in illud usque tempus, cum receptui datum sig-
nũ audiretur.

(S)

COM-

COMPARATIO REI BELLICAE.



Vm bellũ aliquod suscipitur praesertim gra-
ve, atque periculosum; qualia multa commo-
ventur, et confirmantur crudelia, et exitiosa:
sive fuerint expertes bellorum, qui bella gere-
re incipiant, sive scientia rei militaris value-
rint, quantis curis et anxietatibus implicãtur, in quãto me-
tu, et labore versantur, simulatque môtus aliquis novus bel-
licus crepare coepit? quemadmodũ Reges omnia, quae ne-
cessaria sunt ad bellum, diligẽter comparant, et ne quid de-
esse possit, provident accuratissime? Prima cura est deligẽdi
Imperatores invictissimos, qui summam rerũ administrent;
in quibus scientia rei militaris, virtus, auctoritas, et felici-
tas insit. Et quia terra, marique bellũ omni contentione cõ-
paratur, unus rebus maritimis, alter terrestribus praeficitur;
et maximae aedificantur ornanturque classes, et omni rerũ
cõpia instruuntur. Habentur ubique locorũ delectus militũ,
milites conscribuntur, atque illi fiunt sine vi, sine tumultu,
studio et voluntate, qui se pro regno, pro religione defendẽ-
da militiae juramento obligare voluerunt. Ita complentur
omnia loca militum multitudine; quorum alii tyrones ru-
des, et inexercitati sunt, alii veteres, et exercitati: qui vete-
rani dicuntur multis in praeliis cum hostibus cõgressi. Per-
crepant ubique tympanorum sonitu loca celebriora, deser-
taque. Vexilla proferuntur in publicum, et recensentur festis
diebus, et lustrãtur exercitus: magna provisio frumenti, cae-
terique commeatus, et diligens adhibetur praeparatio: cujus
rei datur procuratio, ut non cogatur solum frumentũ, sed
cõportetur ad naves onerarias. Hi frumentum cogũt, alii
cibaria conficiunt: fabri ferrarii faciunt tela, gladios, instru-
menta bellica. Quanta vis comparatur pulveris tormenta-
rii? quanta multitudo, et numerus omnis generis telorũ im-

Ff 3, po-

ponitur in currus? quanta vis et copia cujusque generis rerum bellicarum? Quis scuta, galeas, loricas, tormeta manuarum, sclopos, glades, ferreas fistulas, atque tubas ex eodem ferro numerare queat? Milites suis cum balteis, cum pennis versicoloribus in galeris eleganter, venusteque eminentibus, accincti ab uno latere gladio, ab altero sica praebent speciem militarem, et Martem horribilem truculentumque spirare videntur. Nullus sermo nisi de bello commoto: scilicet quantum illud, et quam pestiferum futurum sit, quantum illud, quod extinctum putabatur, et nunc renatum, et inflammatum magis videatur. Adde exitus incertos esse, communemque Martem, qui fortissimum quemque pignerari solet, et saepe spoliatum jam, et exsultantem evertit, et perculit ab abjecto. Fit etiam sermo de Duce, qui praepositus est bello administrando: si confecerit illud, ut caetera, quae facta sunt, et illata se Duce fortissimo, bellum calamitosum et exitiabile Ducem confecturum esse, quo arderet Hispania, quod diu persequi deberent, et sustinere nostri homines, quo salus contineretur, gloria Hispanorum agatur, atque dignitas, quo profligato atque sublato pacem habitura regna sint, et futura semper in posterum quieta tranquillaque. Ita ad rationem bellicae disciplinae milites, qui sua jam Ducibus nomina dederunt, in plateis exercentur, et ad hostiles incursus coclamantur. Ut autem recte simulent concursus praeliorum et impetus, quos facere debent in hostes, quotidie sunt insignes et spectatae species, simulachra ludicra praeliorum, et specie videnda lustrationes recensionesque militum conscriptorum.

CASTRA.

AD praelia committenda quoniam idoneus diligendus est locus, eorum species et forma, quae sequitur, jure videtur addenda castrorum. Cum locum faciendis castris idoneum Imperatores nacti fuerint, non ad radices

mon-

montis, non ad paludes et lacus aquis existentibus restagnantes, sed in aliqua patenti planitie procul a motis fastigio jacenti, ne praecupato vertice, a lateribus, vel a tergo hostes immineant, aut in jugo directo, et eminenti aditu ex omni parte difficili atque aspero, leni tamen aliquo fastigio in planitiam vergenti castra collocanda sunt: quae tantum in circuitu pateant in longitudinem, et in latitudinem, quantum acies instructa occupare possit, et ipsa tetoria magistratuum militarium, militum sarcinas, et impedimenta, tabernaculum, quod Praetorium dicitur, usitatis intentum velis commode capiatur ex omni parte, quoad fieri possit, laxata semper pro militum, et exercitus instruendi numero. Optime explorato loco, castra munita natura loci, maxime si propinquiora fuerint flumini, sylvae, pabulo, ut pabulari, lignari, aquari milites nulla difficultate queant, ita deligenda sunt, ut ex una parte montis altitudine, ex altera flumine interclusa omni aditu prohibeant adversarios: quae cum vallo, et fossa circumdederit Imperator, castellis necessariis, operibus, munitionibus seperit, nihil est quod vineas et aggres inimicorum perhorrescat castris se suis tenens munitionibusque: quarum magnitudinem, et exstructa velle opera dirumpere, propter arduum ascensum, et propter munitiones immanes frustra contraria acies contendet. Habeant castra portas, et eas duxat, quas castra Romanorum habuerunt: quorum forma ex litterarum monumentis accipite.

CASTRA ROMANA.

Vm Imperator locanda ponendaque castra decrevisset, siue quadrata, siue trigona, siue rotunda, siue lunata fuissent, siue planis, et patentibus in campis, aut arduis, et acclivibus in locis, seu in valle humili demissaque, vel in summo jugo, ac ven-


Ff 4 ti-

rite ponerentur, cum diu habenda, nec locum aliquem ver-
sus movēda fuissent, nō parva muniēdorū Imperator castro-
rū cura sollicitudineq; afficiebatur: ut intercluderet omnes
ad castra vias, obstrueret aditus quoscūque, et eadē castra bel-
licis operibus, munitionibusque fortiter militaribus sepiret
atque firmaret. Vallo igitur, fossa, castellis, et omnis generis
mirificis, et insanis molibus munita castra cogitate in unā
earum, quas supra diximus, formam et speciē facta, tum un-
dique septa vallataque fortiter, et mirifice, quibus castris, at-
que adeo intra munitiones lixae, calones, magistratus om-
nes, milites, Duces, Imperatores, item casae militum, et ipsa
tentoria, tum Praetorium praecipuis, et rubentibus, aut cae-
ruleis intenta velis, sarcinae, quaevis impedimenta contine-
antur. Quinque fuerunt in circuitu Romanis portae, si am-
pliora castra fuissent; nam angustiora duabus portis ad sum-
mum fiebant: quarum prima princepsque reliquarum Prae-
toria dicebatur orientem Solem spectans, aut in hostiles a-
cies cōversa, altera a tergo castrorū Decumana, tertia Prin-
ceps nuncupata, quarta post Praetorium, et ultima appellata
Quintana. Illae cum ad singulares usus factae numero prae-
finito continerentur, hanc habebat utilitatem Decumana,
ut per illam milites egrederentur, cum ad arma conclamatū
fuiisset, nullo concitato tumultu. Atque ab illo tempore ex-
tra castra in unum cogebatur cōtrahebaturq; multitudo, ut
recte et ex ordine fierent omnia, ut legiones explicari, collo-
cari decuriae, cēturiae disponi, signa educi possent, et omnia
ad Romanae militiae disciplinam cōponi ornarique facilli-
me propter portam, unde copiae educebantur, cum erat cum
hoste configendum. Per illam, quae terga Decumanae res-
picit, quae patens erat, et ampla admodum, desertores, faci-
norosi, in quos jure militari animadvertendum erat, effere-
bantur. Tertia Princeps maximo fuit usui, ut ex illa Duces,
et Principes, cum opus esset, subsidio suis venirent. Quarta
vicina ad nodū fuit Praetorio. Restat ultima per quam com-
mea-

meatus in castra convehantur, et rerum utensilium vis et
copia maxima venalis exponebatur. Inde etiam exportatio
fiebat, et importatio mercium, et ad multitudinis, et ad rei
militaris varios et multiplices usus. Omnes suis ita distabāt
intervallis, ut factis hostium eruptionibus et incursionibus
repentinis, nulla interposita mora, portis omnibus patenti-
bus et apertis effusus equitatus in hostes uno statim impetu
diversi irrumperent. Quidquid de castellis positis, de turri-
bus excitatis, de caeteris machinationib⁹ bellicis ad castro-
rum defensionem veteres scriptum reliquerunt, taceamus,
quod breves esse cupimus: dummodo illud intelligam⁹, ro-
bur et firmitatem, quae fuit in castris plerunque Romanis,
in vallo, fossaque positam fuisse. Nam ita castra Romani
ponebant, ut nunquam non in illa contra ascensum trans-
gressionemque hostium, vallo, fossa, aggere maximo cingē-
rentur: ut cum ipsa natura loci, tum his praesidiis oppositis
vallata fuissent, et ipsi Duces, et omnis septus atque munitus
esset exercitus. Ita quidem, quamquam hostes omni multi-
tudine militem castra Romanorum obfederunt, et tormē-
tis omnibus verberantes assidue, vehementerque oppugna-
runt, expugnare, et capere pauca potuerunt: cum enim Ro-
mani orientissimi rei militaris castra fere omnia, quae ado-
nebantur, captis castellis, incēsisque, aut dirutis, et solo adae-
quatis, perfractis vestibibus, evulsis portis, disiectis machina-
tionibus, et ex omni parte, qua eruptionem faciebant, muni-
tionibus perruptis, cōperint, rerum semper potiti fuerunt:
ut nihil unquam, quod animis intenderint, nō perficere po-
tuerint. Quamobrē semper hostes mirati fuerunt Romanos
vineas agere, turres altissimas excitare, omnem aggerē mō-
tium instar attollere. At quam facili negotio castra Roma-
ni faciebant, quasque vellent, moles machinabantur, vallis
ipsis, id est quibusdam palis, quos moventes castra secū Ro-
mani deportabant, iisque, quoties considebant, humi defi-
xis, et quantum opus erat, in terram adactis, terram, et lapi-

des aggerere solebant, ut tuti essent ab hostium incurfionibus, et quo vis impetu repentino. Haec postea castra turribus, et castellis, ut praedixi, circumdabant altissimis atque frequentissimis. Possem ad castrorum firmitatem Romanorum bella maxima periculosissimaque, quae illi gesserunt; nonnulla commemorare: sed describendorum ratio castrorum longius protrahere sermonem non patitur. Id addam dumtaxat, tantum a capiendis castris Romanis hostes abfuisse, ut quaquā impetu magno pugnātes, atque resistētes in castris Romanos aliqui hostes circumierint, castra ab aliquo cornu a dextro, aut a sinistro nudaverint, raro tamen ab omni parte adorti Romanos castris spoliaverint.


PRÆLIVM TERRESTRE.

 Astris in hostium conspectu positis acies utraque instruitur ad dimicandum; et quoniam temere in acie versari, et manum cum hoste configere immane quidem et belluarū simile est, id faciūt Imperatores, ut cohortati suos educat e castris pedestres copias, et equestres, et paribus intervallis constituent in hanc aliquando rationem, ut triplicem Imperatores aciem instruant, primam uni Duci, secundam alicui invicto viro attribuant, reliquam sibi reservent, et fortio rem atque firmiorem: ut Dux cornu dextrum acriter aggrediatur, alter in assignatū locum aequè fortiter invadat, Imperator cum reliquo exercitu praelium alacer atque fortis ineat. Ad hunc modum acie tripartita, copiae relinquuntur auxiliares, quae subsidio laborantibus esse possint, ut in eam partem, qua acies inclinata fuerit, subsidio veniant recentes atque parati milites. Intentis igitur jam et paratissimis militibus ad configendum vix datur signum praeliandi, cum alios alii magnis clamoribus aggrediuntur, et acerrime et furenter invadunt. Primum per multum tempus

pus variis tormentis, et pulvere tormentario globis accensis vehementissime pugnari solet. Tormenta autem cum graviores offensiones habeant, quo frequentius mittuntur contenta et adducta vehementius, accedente etiam scloporum ex utraque parte missorum multitudine quanta caligo fumo latissime se diffundente, et in sublime ascendente totum aëra circumfundit longo spatio aspectum utriusque exercitus eripiens, ut neque se videre saepius possint, qui in eadem acie versantur? Inde missilibus acerrime pugnatur, spiculis ultro citroque dimissis: donec tandem ad gladios pervenitur. Id temporis audire est horribiles armorum strepentium sonitus, vim omnem, et crepitum gladiatorum, fragorem equitum ex utraque parte concurrentium, strepitum tormentorum tanta vi et contentione missorum, ut tonitrua fragore ruentis aetheris te audire arbitreris. Videre etiam est fulgorem gladiatorum oculis eorum, qui pugnabant, obversantem, ignes ex tormentis, ex gladiis expressos, et instar fulguris crebro micantis ante oculos et ora versantes. Adde districtos mucrones, fulgentes gladios, tela micantia, horum profusum sanguinem, aliorum caedes factas, utriusque mistos partis cadaverum jacentium cumulos, et corporibus corporum moles impositas congestasque. Qui congregantium exercituum conflictus acerrimi? quae vulnera ab his inflicta, ab aliis accepta? quae caedes? quae sanguinis flumina totis excurrentia campis patentibus? diffundebatur sanguis per campos latissimos, atque longissimos, multis in locis cadaverum jacentium oppositu paludes cernebantur restagnantes, jacebant cadavera militum suomet provoluta sanguine, et aliis alia superinjecta, quae conculcabant proterebant milites configendo, et nihil corpora, nihil ora spectantes, et per eorum corpora transgressi de corporibus etiā tāquā de locis praecelsis pugnantes. Nihil igitur milites metuētes mortē in hostes invadēbat: pugnabatur acriter ac

vehemēter, et multum diuque dubia et ancipiti victōria, dū plurimi ex utraque parte cadebant, et vulneribus ultrō citroque illatis, et acceptis crura, brachia, manus praecidebantur: atque hi stare, alii cadere videbātur. Laborabatur vehementer multis in locis, et qui fortes videri volebant, tanta audacia fuerunt, ut ex hostium manibus commilitones suos eriperint. Reperti sunt, qui tela, gladios, et scuta de manibus extorquerent in confertissima inimicorum agmina se fortiter et audacter inferendo, nullo metu inter gladios, et inter tela micātia versati. Vtriusque partis vulnerati numerari non possunt. Qui ceciderunt in acie, plurimi fuerūt, ex his non pauci desiderati fuere singulares: inter quos Signiferi duo, Duces quattuor, Equites Divi Iacobi, et aliorum ordinum undeviginti: reliqua multitudo, quae nominari nō potest, ad decē millia pervenisse dicitur: vixque praelio abstinerunt, donec Imperatore partis adversae capto nostri victoriam confestim inclararunt. Hac praedicata magna pars terga vertit, reliquus exercitus fessus et fugatus est, victoria autem parta, castra capta, et direpta fuerunt.

OPPVGNATIO CASTRORVM.

 Redo ego vos desiderare Castrorū Oppugnationē aliquā, quā ex duobus Caesaris locis conflata his nostris exercitationibus suppleam censui. Fingite igitur Ducem habuisse exercitum ad montis cuiusdam radices, cūque dies hibernorum imminerent, frumentumque esset in castra comportandum, subito per exploratores certiorē esse factum, ex ea parte montis, quae suis castris eminebat, a maxima multitudo hostium castra teneri: qui montium impendentium altitudine nixi, et magnopere confisi, tū quod exercitum, multaque se habere videbant, quibus copias hostium imminutas considerent, perumpere se posse castra non

non magno negotio putabant. Itaque belli renovandi, exercitusque adversarii opprimendi consilium coeperunt his de causis, tum etiam, quod quāquam Dux ille exercitus omnium copiarum genere abundantes haberet, tamē propter iniquitatem loci cum hostes ex ipsis montibus in vallē decurrerent, et tela conjicerent, ne primum quidem posse impetui sustineri arbitrabantur. Accedebat illa quoque causa, quod tanta paucitas esset militum in castris inferioribus, cū milites partim aquatum, partim lignatum, partim frumentatum missi fuissent, ut in hyemem omnem de frumēto, reliquoque comœtu satis esset provisum. Atque is exiguus numerus tanta detracta multitudine dissimulari non poterat. Multi etiam quod nulla belli suspicio fuisset, castellis conjuribus multo ante expugnatis, praelioque secundissimo facto, missis undique ad finitimas gentes legatis, pace facta fusi et pallantes per agros vagabantur et errabant. Imperator igitur bello repentino exorto, concilio celeriter convocato sententias exquirere coepit: quo in concilio, cum tantum repentinī periculi praeter opinionem accidisset, ac jam omnia ferē loca multitudine armatorum completa conspicerētur, neque subsidio veniri, neque comœtus supportari interclusis itineribus posset, prope jā desperata salute nonnullae hujusmodi sententiae dicebantur: ut impedimentis relictis eruptione facta, eisdem itineribus, quibus eo pervenissent, ad salutem contenderent: majori tamen parti placuit, hoc reservato ad extremum consilio, interim rei evētum experiri, et castra defendere. Brevi spatio interjecto, vix ut his rebus, quas constituissent, colloquendis, atque administrandis tempus daretur, hostes ex omnibus partibus dato signo decurrere, lapides, gesaque in vallē conjicere: Romani primo integris viribus fortiter pugnare, neque ullū frustra telū ex loco etiam inferiore mittere, ut quaeque pars castrorum nudata defensoribus premi videbatur, eo occurrere, et auxilium ferre: sed hoc superari, quod diuturnitate pugnae

hostes defessi cum praelio excedebant, alii integris succedebant, quarum rerum a nostris propter paucitatem fieri nihil poterat: ac non modo defesso ex pugna excedendi, sed nec faucio quidem ejus loci, ubi constiterat, relinquendi, ac sui recipiendi facultas dabatur. Ita quidem hoc toto tempore, quod sex horas duravit, videre esset fortiter pugnantes Romanos, resistetes ac defedetes castra sua, et gladius transilire conantes adversarios, partim repellere, partim caedere, aliquos audacius progressos rursusque regressos, atque resistetes remorari, exercitus multitudinem innumerabilem sustinere: donec propter paucitatem suorum, et propter multitudinem hostium, cum victoria desperaret, ne a multitudine conficeretur, totis fere castris a fronte, et a sinistra parte nudatis, cum minimum malorum esset aperto latere legiones circumvenire, omnia fere castrorum loca ingredi, petere, et jam hostes occupare: cum jam neque pedites, neque equites hostibus resistere possent, atque omnis spes fugiendi ablata fuisset, quique exierant ad frumentationes, ad pabulationes, ad lignationes, hostes jam in nostris castris versari existimantes praecipites se fugae mandassent, simul eorum, qui cum comaeu veniebant, clamor fremitusque exaudiretur, alii diversi dissipatique in omnes partes fugerent, cum nihil Imperator unius, et aliarum cohortium adhortatione proficere videretur, ubi suos tantopere urgeri, signisque jam in unum collatis, universos milites confertos sibi ipsis ad pugnam esse impedimento exercitus multis centurionibus occisis, multis vulneratis, in his primipilo C. N. Scipione fortissimo viro multis gravissimis vulneribus confecto, ut parum abesset, quin sustinere non posset, reliquos necessario brevi tardiores futuros esse: cum hostes ab omni parte de superiore loco descendentes non intermitterent, et ab omni latere instarent, et esse in angusto vidisset, neque ullum esse subsidium, quod summitti posset, cum jam amplius horis sex continenter pugnaretur non solum telis, sed jam viribus suorum militum exhaustis,

stis, prorsusque languidioribus ad resistendum, scisso fere jam vallo, et fossis adversariorum multitudine completis, re jam ad extremum perducta casum, unam spem salutis habere exercitum clamans, si eruptione facta auxilium experiretur, convocatis centurionibus, suos paulisper intermittere praelium jubet, ac tantummodo tela excipere: ut ubi sese ex labore refecissent, post signo dato e castris erumpentes omnem spem salutis in virtute ponerent. Quod jussi sunt, faciunt, ac subito omnibus portis eruptione facta, cum neque cognoscendi quid fieret, neque sui colligendi hostibus facultatem relinquerent, commutata fortuna, eos, qui in spem potiendorum castrorum venerant, undique circumventos interficiunt: et ex hominum millibus amplius triginta, quem numerum barbarorum ad castra venisse constabat, tertia parte interfecta, reliquos perterritos in fugam committunt, ac nec in locis superioribus consistere patiuntur. Sic omnibus hostium copiis fuis, armisque plurimis exutis, se in castra munitionesque suas recipiunt. Postquam redire in castra victores, omnes laeti circuire castra, lustrare casas, in visere tertia, quae relicta fuerant, impedimenta revisendo salva integraque mirari casus belli, fortunamque Martis ancipitem, quae quos deseruisse visa fuerat, sic rebus integris victores extulisset.

DIREPTIO CASTRORVM.



Vi civitatem captu difficile invadere voluit, simul et reliquis civitatibus, quas armis capiendas decreverunt, alicujus urbis exemplo terrorem injicere, proponunt ad praedam militibus civitatem, fortunas et bona civium, omnem illis praedam concedentes nulla re excepta. Hac invitati sic pugnandi studio incenduntur ad suarum rerum sublevandam inopiam, et ad partiendam praedam omnem, quam

victoria parta capiunt, ut scalas cuncti subire, muros ascendere, per media tela, per tormenta crebro displota non dubitent, quanvis deijciendi videatur deturbadique de moenibus altissimis, et in medio ascensu globulorum ictu plurimo trajecti occasuri. Vbi vero potiti fuerunt oppido pleno et opulento, ferro, direptionique relicto, quā miserrima direptio civitatis, et vastatio nunquam visa post hominū memoriam? Hostes equidē immanes magno impetu, districtis gladiis invadunt civitatem, et facere incipiunt caedes crudelissimas nulli neque sexui, neque aetati parcendo: sed in omnes absque ullo discrimine crudelitatem suam exercendo. Per vias omnes currere atque evolare, ut aliis quisque celeritate pedum anteire potest, perrumpere portas civitatis, infringere evertereque furenter, praetervolare plateas omnes, nullum relinquere vicum civitatis, ubicunque hominē illi offendunt, gladiis invadere alacres atque laeti, atque fugientes plurimos districtis gladiis insequendo, et sese in latebras conjicientes extrahendo, in quos incidunt, omnes, a dextra, et a sinistra in omnes partes gladios versando vita crudelissime privare. Idē una fores effringere, evellere seras ferreas, impedimenta perrumpere obstantia, conclusa referare, in quini genere rerum praedari, nihil auri, nihil argenti, nihil pretiosae supellectilis non rapere, et ut proferatur in publicum, proponaturque palam, minis atque terroribus, et caedibus factis mulieres miserabiles, dominos opulentos ledigere. Minimum malorum est domibus ipsis miserandum in modum divites viros dedecorari, dum illos quidquid abditum habere suspicio est, et illud non continuo datur. immanis militum, jugulare infantes, allidere pueros ad parietem, omnes partim enectos, partim spirantes pedibus trahere, et concubare omni crudelitate deterrimi hostes festinant. Verba autem contumeliosa, probrorum et ignominiarum plenissima semper in ore sunt. In homines vulneribus prope cocisfos, et quasi exhalantes animam insultantes, vehementius, et involantes in-

fo-

solentius in sua calamitate, perfidos, tetros, et omnium infestissimos appellare, suis, qui a tergo sunt, aut qui min⁹ in caedendo audaces, vel aliquando male mulctando defessi videbantur a caedibus faciundis requiescere, quam intentis clamitare vocibus, invadite, conficite, extinguite, ut superstite relinquantis neminem. In viis, et in plateis plures, qui recentes venerant, ad illos, qui caedem immanem faciebant, sese aggregabant. Virorum audiebantur vociferationes, et sublati clamores in caelum, ejulatus mulierum, et lamentationes incredibiles, ploratus puerorum miserrimi, atque omnis inauditus et horribilis strepitus, et tumult⁹ militum hac illaque domos et tecta pervagantium. Tandem cū caedes fierent omnis generis hominū, in quos incurrebant, et clamoribus, et ejulatibus, quibus saxa perrumperentur, homines immanissimi non ulla ratione movebantur. Multorum sensus stupor adeo quidam oppresserat, ut neque lamētari quidem cladem illam, neque deplorare miseriam possent. Abdebant se omnes in remotas et latentes suarum aedium partes, aut quas poterant, quaerebant latebras, ne invenirentur: et quanvis filios, aut parentes suos ad necem arripi viderent, quoniam aliquod asserendi remedium facultatem nullā habebant, ne gemitu proderentur suo, singultibus vocem nullam audebant mittere. Sic metus illos profus exanimaverat, ut non dissimiles mortuorum humi jacerent, aut in angulū adhaerent obsecrum, et animam quidē, ne persentiri possent, diu continendo. Interea diripiebantur aedes, tollebantur aulae, aurum et argentum auferebatur, vasa omnia palam rapiebantur, disturbabantur parietes, evellebatur vestes, seraeque ferreae: alii pretiosam diripiebant supellectilē. Ut quaeque veniebāt in manus, aut oculis objiciebātur suis, ita diripere festinare properareque, ruere tecta, et omnia concidere ictu tantae calamitatis, quasi turbine aliquo, aut repentina tempestate commota, fragor ruētium ubique exaudiri rectorum, partim etiam dejectorum ex omni parte

H h aedi-

aedificiorum, partim ruina sua ad imas usque aëtas viarum vicinas trahentium propinquasque domos. Ubique direptiones, ubique neces, ubique cruor, et flumina sanguinis latissime profuētia: mors ipsa libere et immaniter exultabat strage mortalium inaudita. Atque illud miserabile fuit, cum adversarii essent nostrae religionis hostes, per fractis valvis, arcibus omnibus atque sacrariis templorum vestes pretiosae, decora omnia, et ornamenta, supellex omnis, et ornatus rapiēbatur, et imagines suis ornamentis, arae vestitu pretioso spoliabantur, calices, cruces, argētum omne et aurum, vasa sanctissima, res omnes diripiebantur consecratae divino cultui. Atque nefarii sacrilegique homines res sacras ac divinas omni scelere atque flagitio polluebant. Imagines Sanctorum, simulachra incorruptae Mariae Virginis, et filii Iesu Christi dejicere de suis locis, pedibus trahere, raptare, cōculcare properabant. Non parietes aspiceres stare sacros, profanis multis relictis, et stantibus aedificiis nullam formam, neque simulachrum manere templorum. Tantum illos Christianae religionis odium tenebat.

PUGNA NAVALIS.



Merito reprehenderemur, si terra commisso praelio satis a nobis late descripto, Navale praeteriremus: cuius subiecta accipe descriptionem. Cum classi classis opposita fuisset, et pugnam utraque pars committendā, et summa contentione pugnandam decrevisset, singuli suam classem non magno intervallo instruxerunt. Praelium fuit difficile satis, et magnum propter multitudinē navium, atque triremium hostilium, et paucitatem nostrarum: quas dato signo pugnandi magno hostes impetu aggrediuntur freti multitudine suarum. Itaque hostes senas triemes, et totidem na-

ves

ves quattuor nostris, quas objicerent, habebant: quas dum avidissime expectant, alacriter quasi victoria explorata, priusquam nostrae invaderent, nullo ordine, neque modo aggrediuntur. Primum acerrime tormentis aeneis dimissis horrenda caligo excitatur ex pulveris tormentarii fumo omnium oculis offusa; quae tam densas tenebras attulit, ut aspectum caelorum, et maris adimerent: neque quidquam videri poterat, nisi horrificus fumus in sublime volans, seseque diffundens latissimeque spargens, et inter fumantes vapores crassissimos incendia facibus coniectis concitata, quae naves plurimas inflammarunt: neque modus ullus ignium extinguendorum propter caecam fumi caliginem haberi poterat. Primis tormentis triemes, et naves hostiles plurimae solutae et dissipatae fuerunt, multae ita laceratae, ut de pugna excedere cogentur, et qua ratione possent, occulte dilabi, nonnullae vi tormentorum depressae: de nostris nullae obrutae, paucae ita verberatae, et afflictae fuerunt, ut pugnandi occasionem non amitterent: quae reliquae hostium erant, tanta suarum multitudine depressa in hunc fere numerum redactae fuerunt, ut nostris navibus, atque triemibus, quod miraculi loco videbatur, binae solum hostiles opponerentur. Res haec tantum attulit nostris hominibus animi ad dimicandum, ut cum industria, et animorum magnitudine nostri praestarent, velociter, et fortiter in naves adversarias insilirent, et quaquam aliquando multitudine depellerentur hostili, et aliquot de nostris vulnerati fuerint, praecipitati paucissimi in mare, dum audacius in naves hostium subire perstabant, tandem affirmatis obstinatisque animis perstantes in plurimas ascenderunt, alias ferreis injectis harpagonibus fugam iam adornantes remorati fuerunt, in alias impetu magno inveci tardiores omnino reddiderunt ad dimicandum. Atque inter dimicandum cum duas nostras naves acerrime verberantes adversarii depressissent inscui victoriae nostrorum

H h 2. hos

hominū in primo sinistroque cornu exploratae; in has medium locum tenentes incitati nostri vehemētius has et illas capere, alias deprimere properāt, et magna strage facta reliquas paucis exceptis, quae victoria desperata elabi poterunt, in suam potestatem redigunt.

TRIVMPHVS ROMANORVM.

C Ommisso praelio, reportataque victoria Imperatores quondam Romani Triumphi honore decorabātur; qui rebus praeclare gestis, et meritis in patriam immortalibus concedebatur: ut hoc tanto praemio juvenes ad res egregie gerendas, et advitam pro patria in extremū discrimen adducendam ardentibus quasi facibus excitarentur. Isquamquā exiguis initio de causis decernebatur, imperitamen Romani crescente magnitudine, nō triumphabat, quin minus quam quinque hostium millia uno conflictu fudisset. Nam qui cruentas admodum et luctuosas victorias militū suorum maxima strage funestatas comparasset: is triumphū nulla ratione postulabat. Quamobrem litterae ad Senatū de hostium occisorum, et de militum amissorū numero mittebantur, ut Senatui de Triumpho decernendi causa constaret: nec fides adhibebatur, nisi litteras jusiurandi religione laureatas astrinxissent Imperatores apud Quaestores urbanos. Quod si pejerassent, in eos graviter animadvertebatur. Nihil enim illustrius, nec magnificētius Triumpho laude Romani suis Imperatoribus detulerunt: id quod ex contentione multorum, ex illustri magnificaque pompa, ex tanta specie splendoreque clarissimo non difficile quidem erat invelligere. Quare describamus ex ordine Romae toties deportatos, et actos ab Imperatoribus Triūphos. Cum igitur eo perventum erat, ut Triumphum Imperatoribus Romanis decerneret: viae omnes purgatae, rigataeque, florū varietate

te.

restratae, parietes aulaeis pretiosissimis convestiti, multis picturis nitidis et illustribus decorati, arcus multis in partibus miranda effecti venustate, arae amictuae splendenti vestitu, simulachris ornatae divorum, multis perfusae odoribus cernebantur. Patebant delubra Deorum, quacunque pōpa progressura fuisset; quorum in locis propinrioribus omne genus pecoris et armentorum erat ad sacrificia Diis pro victoria deportata ritibus et caerimoniis solennibus facienda, multae artes, multa invēta, ingeniosae machinationes diversis intervallis aspiciebantur. Omnis autem multitudo, juvenes, et senes, viri, mulieresque sese ad tantum spectaculū effundebant: neque viae ab utraque parte, non valvae, nō fenestrae vim, et infinitum omnis generis mortalium numerū capere poterāt: ab albenti caelo inferiora, superioraque loca, praecelsaeque turres cernebantur praecoccupatae. Cohonestabant autem pōpam Magistratus omnes, Senatores, Tribuni plebis, Consules duo, ipsi Sacerdotes, et Pōtiffices, omnes, qui dignitates civiles, aut sacras habuissent: atque in cādenti veste ad triumphantem Imperatorem tanquam ad virum aliquem de caelo demissum excipiendum, cohonestantidumque conveniebant. Primum autem ex ordine suo proferebantur simulachra montium, fluminum, oppidorum, civitatum bello captarum, atque haec pulcerrime picta, nitidis illustrata coloribus, ex auro splendenti, aut ex ebore politissimo. Cum his conjungebantur miscebāturque turres, praecellā castella, et tabulae nitidissimae, pulcerrimaeque cum notato numero populorum, et urbium, quae partim captae, partim expugnatae, partim direptae, partim vectigales factae, et in ditionem receptae fuerūt. Accedebant Tituli Regum, Imperatorum bello devictorum suis nominibus insigniter incisi. Proxima ferebantur tela, gladii, arma, spolia hostilia: ut clare distincteque internoscerentur, et signa militaria non erecta, sed jacentia incurrus imposita: postea variis tormentis bellicis, et muralibus, cum rostris navium, fal-

Hh 3) ca.

catis curribus, fulgentibus clypeis, lecticis aureis, signis, vasis ex aere, argento, et auro factis currus onerati agebantur. Magna vis auri, et argenti rudis, et signati cernebatur; et in tabulis, ut in aerarium referretur, summa litteris grandioribus notata. Cernere etiam erat elephantos, equos captos, belluas quoque, si quae captae fuerat, feras et immanes. Proximi erant tibicines ad modos triumphales sonosque mirifice edendos hac in statione collocati: quos consequebantur boves albi cornibus inauratis, vittis ac fertis redimiti, Iovi solenni ritu sacrificandi praeceuntibus succintis adolescentibus ex auro, et argento pateras ad sanguinem excipiendum utraque manu gestantibus: inde procedebant Duceres, Victores exercitus, Tribuni militum, Centuriones, Praefecti, Equites, ac Pedites donis ac muneribus propter res suas praeclare gestas militaribus affecti. Dona autem gestabantur, quae propter magnificentiam, et propter splendorem suum longo intervallo prospecta micabant. Erant variae multiplicesque coronae, torques eximio auri splendore collucentes, milites hi omnes armis fulgentibus clari, et lauro virenti tempora redimiti, magnis vociferationibus Io triumphae clamantes, et laudibus eximiis Imperatorem tollentes in caelum. Quae vero erat species? qui aspectus hostium hos confestim consequentium, maxime clarissimorum Regum, et virorum illustrium bello praecellentium, Ducumque fortissimorum, qui progrediebantur stantes in curriculis, in ferculis, et vincitis a tergo manibus? Mortuorum autem Principum effigies, qua forma, quo ore fuissent, portabantur. Cum autem ad forum perventum erat, versus Capitolium currus triumphalis spectebat: Duces hostilis exercitus de mandato Imperatoris deducebantur in carcerem, vel vinculis in mortem usque mandandi, vel statim capite plectendi. Illae etiam coronae, quibus urbes sociae, populi que foederati Imperatoris virtutem, et labores bellicos, gratiae referendae causa de-

decoraverant, gerebantur in pompa. Currum Triumphantis anteccedebant tibicines, citharaedi, qui statis interval-
lis sonos vicissim edebant jucundissimos. Herculis signo praeposito, et homine induto praeceunte veste talari, qui ludicra dicta diceret, gesticulationibus variis risum commoveret. Cingebant autem a fronte, a tergo, et a lateribus currum Senatores, et omnes in albenti veste nitentes. Ipse autem Imperator praeceuntibus lictoribus purpura, et auro veste cõtexta fulgentibus, caput diademate redimitus, in una manu laurum gerens, in altera sceptrum ex ebore factum, et quo magis cunctorum oculos in se converteret, faciem et ora minio illitus, in curru inaurato, gemmis fulgentibus illuminato, in speciem atque similitudinem rotundatae turris facto vehebatur. Hunc currum decorabant effigies et simulachra pretiosa Divorum. Puer etiam egregia, ac liberali forma propter Imperatorem a tergo stabat, qui coronam auream gemmis clarissimis distinctam gerebat, et quam intenta voce, ut omnes audire possent, clamabat, ut consuleret Imperator in reliquum sibi tempus, recordaretur se hominẽ esse, et ex tam alto dignitatis gradu posse decidere, si se efferret, et intumesceret honoris delati claritate celsissimi. Qui Fabiorum honos, cum in currum impositi filii parentis latera stipabant? Si propter multitudinem currus eos non caperet, in currus plurimos, vel in equos phaleris et ephippiis pulcerrime stratos sublatis procedebant propius Triumphantem Imperatorem per vias publicas, per plateas omnes, per loca celebriora civitatis, quam tardissime, propter antecedentium, et consequentium machinationes, et impedimenta plurima, consequente triumphatorem multitudine captorum, qui servitute liberati, vel libertate donati fuerant. Omnes autem processus faciebant abasis capitibus, et pileati, tũ victrices legiones, et in turmas distributae, cũ fertis laureis, omnibus Imperatorem laudibus afficietes. Incõdita carmina, multa ridicula mittebantur, idque fiebat in Capitolium usque: quo-

postquam pervenerat Imperator, ille cōtinuo in genua procumbens tenfis manibus Iovi gratias agebat pro victoria consequuta. Caedebantur id tēporis victimae ritu solenni, corona aurea, de qua supra dictum est, Iovi summa religione dicabatur, et spolia, manubiaeque de facellorum parietibus appensae diversis Dris ad vota persolvenda consecrabantur ad memoriam tantae victoriae nulla saeculorum aetate morituram. Denique ne quidquam ad honoris celebritatem augendam deesset; magnificentissimum epulum conquestissimis dapibus exstructum multos dies consequutos celebrari mos erat principum flore discumbente. Nihil per totum illud tempus, viis omnibus, et plateis, domi, forisque celebrari magis sermonibus omnis generis hominum, carminibus, comoediis, ludis, et spectaculis apparatusis videri poterat, quam tātum in rempublicam ab immortali Deo reportatae victoriae beneficium collatum.

OVATIO.

Non omittamus triumphum minorem, quae Ovatia dicitur, a nobis, quemadmodū videre potuistis, late jā majore descripto. Is quavis minor appellaretur, habebat tamen speciem et dignitatem amplissimam. Traxit autem originem Ovatia, nō ab O. littera geminata, quam sublati clamoribus in caelum iterant et ingeminant milites victoria reportata redeuntes: sed ab ove, quae post ovationem maetata ante Iovis pulvinaria cadebat. Concedebatur Ovatia his de causis, si bella non rite fuissent indicta, si non gesta cum hoste justo, si contemptissimi fuissent hostes, cum non penitus subjugati, sed periculum dumtaxat propulsatum: denique si nullo sanguine constitisset victoria, vel ipsi non confertis manibus in Imperatoris deditioem venis-

nissent. Ingressurum igitur Imperatorem Ovantem pompa splendida satis decorabat Ovationis. Cū Triumphatori Senatores omnes, omnes Magistratus, Equestris ordinis, et Patritii flos, Consules denique obviam procederent. Oppida bello capta, signa militaria, spolia, arma, munera, quibus affectus fuerat, ut in Triumpho celebritate proferebantur. Praeibant etiam Duces hostrium capti, et vincti cum obsidibus, ex argento, et auro vasa facta ferebantur, militaria dona gloriosissime et magnificentissime ostentabantur: ipse autē Imperator purpura fulgenti ornatus insidebat in equo lauro, vel myrtho coronatus, et praeeunte plebe cum Equestri ordine, universo vero Senatu subsequente. Interim stantis temporibus tibiarum dulcedine viae omnes personabāt, et ut in Triumpho pompa solenni loca plurima post tibiarum cantus percrepabant terrifico buccinarum clangore.





CHRONOGRAPHIAE

LIBER QVARTVS.

ADVERSA TEMPORA
valetudini.



Urbulenta descripsimus, partimque laeta, nunc tempora, quae valetudini infesta, quaeque salubria sunt, aggrediamur. Ad temporum gravitatem aliorum, et ad salubritatem aliorum internoscendam necessarium est, ut aliquot genera morborum enumeremus, ac primum de febre dicamus. Hanc dividimus in asiduam, et in febrim tertianam, et quartanam, in quas plerumque homines incidere solent, cum ea non congruunt inter se, e quibus homines constamus: sed aut sanguis corruptus est, aut pituita redundat, aut atra bilis in corpore, et homines non raro ex coquassatione, et perturbatione corporum graves offensiones susceperunt. Qui febrim habent, propter aestum, quo saepe jactantur, ardere intrinsecus videntur: extrinsecus autem oculis, et ore accenso, omnibus corporis partibus inflammationis, siti praeter modum incredibili se enecari conqueruntur avidissimi bibendi gelidam aquam: quam ad explendam depellendamque sitim dari sibi


cu-

cupiunt, et enixe nunquam non effragitant. Atque isti quidem, quanvis cum illam aquam biberint, prius relevari videantur, deinde tamen multo gravius, vehementiusque affligantur. Urgentur expectatione, et enumeratione singularum horarum, quae restant ad tempus, cum ardor ille se remiserit, ac fregerit, et facta est illis per Medicos potestas bibendi. Recordantur interim aegroti fontes, et rivus, quos viderunt incolumes, et cyathos aqua plenissimos, quos avidè arriperent, et exhaurirent, ut sitim insatiabilem explere possent. Interim gaudent oculis aspicere defluentes aquas, et manibus agitando refrigerantur mirum in modum os abluendo, et perfricando labia, linguamque frequentissime. Atque plurimum eisdem reficiuntur, dum tempus est bibendi, et frustulum sacchari madefaciunt in cyathum immergendo, extrahendoque, et illud cum aviditate, suavitateque maxima postea in os inferendo: quod postquam totum absumserunt, neque quidquam reliqui fecerunt sacchari, avidissime feruntur in aquam, et utraque manu comprehendentes vas ipsum demittunt, et evertunt in aqualiculam, qui vel flumina omnia absorbere velle videntur: neque potu desistunt, donec totum calicem exhauriant: atque ita recumbunt magna ex parte, quomodo illi existimant, atque confirmant, relevati, donec omnino febris discessit. Hac cum illi plane carent, et belle habere incipiunt, de gravitate, et ardore febris, de siti, quam satiare cupiebant, multa verba facere non intermittunt. Sunt etiam febres tertianae, et febres quartanae, quarum reversione, et motu quid potest esse constantius? quarum illae, cum discedunt, tertio quoque die revertuntur: febres vero quartanae quarto quoque die redeunt, et cum frigore: quod cum intolerabile saepe sit, et imbecillo corpori infestissimum, illud interdum tantum est, ut ad frigoris magnitudinem remedium illud comparatur, quoniam aegroti frigore plerumque conficiuntur, et totis labiis, et membris omnibus, et ore, et reliquis corporis partibus nive gelidioribus contremiscunt, ut se multitudine lodicum, et cujusque

li 2. ge-

generis vestium operiant: atque vim ita frigoris illis lodicibus tecti sustineant. Ad hanc vim frigoris pellendam lintea ad ignem calefacta, et lateres calefacti admodum pedibus admoventur, sicut ad caloris molestias sedandas, et ad febriū ardores frangendos, et extinguendos remedia frigidiora adhibentur. Vbi frigus discessit, febris incipit hominem affligere, et illa paulatim crescit, et augetur: donec ad eam gravitatem pervenit, ut totus homo ardere videatur. Quibus modis Medici hos morbos depellāt, ratio communis, et usitata medendi docet.

RATIO COMMVNIS ET VSITATA medendi.

 Vanvis hoc acquirsime comparatum sit, ut in morbis hominum, ut quisque est difficillimus, ita Medicus nobilissim⁹ atque optimus quaeratur, ne si inscii imperitique accersantur, pro salutaribus mortifera conscribant: tamen quas omnes communiter solent praescribere, curationes valetudinis exponamus. Atque ut video, simul ac Medicus, de quo bene omnes existimare audimus, adductus est ad aegrotum, is percontari ab aegroto de valetudine consuevit. Itaque primum omnium ille brachium unum, et alterum sumere, jubere aegrotum quiescere, explorare arteriam, et quam attentissime consulere, postea naturam, et consuetudinem aegrotantis, et causam morbi accipere. Haec ubi praecesserunt, praecipit, ut quando valetudo sustentatur notitia sui corporis, et observatione rerum earum, quae prodesse solent, aut obesse, et continentia in victu, abstineat a cibis, et escis valetudini contrariis, atque perniciosis, si salutem tueri vult. Illa consequuntur, ut aegrotus patiat venam sibi scindi unius, et alterius brachii, capiat potiones sibi praescriptas, comparet, et constituat corpus septena potatione aquarum

rum, vel mellis rosacei, aut liquoris alicujus praefiniti salutaris: nam ut corpus affectum sit ad purgationem alvi, plurimum valere constat inter Medicos ad salutem aegrotantium has potiones, et purgationes praescriptas, se cibo multo completum, et infertum esse, et humores crassos, atque concretos perturbasse constitutionem corporis, crudo nimium etiam stomacho esse, qui intra biduum justa ac debita naturae non persolverit: quando cruditates non depulerit, molestias, et offensiones gravissimas non depositurum esse certo sciat. Addit imbecillitatem virium, et debilitatem senectutis, hominē tot curis, et laboribus fractum non ita posse, quae sunt in alvo decoquere, quemadmodum adolescentes, quorū stomachus cum caleat semper, et ferveat, dura quaeque, ferrum, si opus fuerit, digerere possunt: senes vel una solent ambulatiuncula, et potu, vel cibo minimo cū febris redire domum. Quamobrem praecipit imprimis curam futuram esse depellēdi cruditates hujusmodi, et humores noxios: haec fieri nō posse, nisi alvum illi purgaverint. Interim Medicus praescribit quotidie, quibus escis vescatur, mane medium pullum assum, vel coctum, qui cibus suavissimus est, et facillimus ad concoquendum, et jus ex pullo confectum capiat, reliquā partē diei usque ad horam tertiam abstineat omnino, ut nec aquā ille gustet: signo vero audito horae tertiae, bibere illum posse, frustum ante sacchari capiendo dicit. Atque nocte coenis interdicitur aegrotis plerunque hominibus, et abstinere carnibus asis, et coctis ad tempus usque convalescendi jubentur: corporis autem reficiendi potestas permittitur, pyris, vel pomis asis, saccharo multo perfusis, aut herbis aliquot decoctis, ni mavult temperare nimios calores corporis lactucis crudis, aut scissura saccharo conditae cucurbitae, aut Cydoniato: quod valeat plurimum ad molliendum stomachum. Interim dum aegrotus curatur, prout videtur indigere, Medici praescribunt, quae valent ad laxandam, vel ad astringendam alvum, aut ad cibum, si facile projicit foras,

et evomit, continendum. Atque idem morbos ingravescentes provident: ac ne aegrotationes aliae oriantur ex intemperantia, praedicunt saepe, et edicunt abstinenciam. Quoniam autem Medici ex quibusdam rebus, et advenientes morbos, et crescentes intelligunt, causas aegrotationum omnium gignendarum praecidere conantur. Quid quod cum ex gravibus morbis graves offensiones soleant esse, si qua culpa commissa est, vel minima, cavere aegrotos jubet? quid quod gravedini omni ratione subveniunt, et humoribus, qui ex naribus profunduntur, aut si ex capite decedentes molestias afferunt aegrotis, eas Medicos depellere praecclare videmus? qui dolores existunt renum, vel stomachi, qui multi alii morbi nascuntur de improvviso, eos illi remonent diligentissime: et cum jam convalescere incipiunt, priusquam plane confirmati fuerint, non relinquunt aegrotos: quia vident gravius aegrotare eos, qui cum leviter morbo viderentur, in eum de integro inciderunt praesertim si magnus, diuturnus, ac prope desperatus fuit, contra cuius vim, et gravitatem aegrotus contendit, et beneficio Dei optimi ac maximi ex diuturnitate gravissimi morbi recreatus, quanvis non plane sanatus fuisse videbatur. Cum vero multi morbi sint huiusmodi, ut Medicus conjicere naturam, non tamé omnino assequi posse videatur propter varias, et periculosas perturbaciones, in quas aegroti incidunt, quotidie invisit, et revisit eos, qui majorem sibi curam afferunt, et quemadmodum leviter aegrotates leviter curat, ita his gravioribus morbis periculosas, et ancipites curationes adhibet. Videamus igitur Medicos revisentes aegrotum.

MEDICVS REVISIT AEGROTVM,

et prius multa medicamenta numerat:

ad extremum medetur;

aegroto.

Quo

Quoniam accersiti Medici ad morborum curationem quasi cum discipulis Medicinae studiosissimis de cathedra loquerentur, de industria multa de Medicinae pharmacis jactant invisentes aegrotum: audiamus Medicum de sella loquentem, et artis suae pharmaca magis necessaria, quaeque in usu posita sunt quotidiano numerantem. Quoniam, inquit, humana valetudo non solum variis tentatur morbis, sed etiam quotidie conflictatur acerrime, numeremus aliquot remedia ex nostrae artis praescriptionibus adhibita. Haec quoniam in medicamentis posita sunt, quaedam valent ad extergendum, quaedam ad sanguinem sistendum, quaedam ad laxandum, nonnulla ad molliendum, et ad purgandum alia, quaedam ad somnum, et ad sternutamenta, alia multiplicia diversaque ad morborum diversitates dissimilitudinesque quascunque contractas, ad stomachi imbecillitatem, ad ventris inflationes, ad majoris intestini cruciatus, ad calculos in renibus comminuendos, ad vesicae exulceraciones, et lotii reddendi difficultatem, ad expoliendos, extorquendos, stabiliendosque dentes, omnis Medicorum cura in eo praecipue versari debet, ut natura, consuetudineque aegrotantis, et morbi gravitate cognita medicamenta depellendae aegritudini consentanea praefiniant. Quoniam vero omnes plerumque morbi ex humorum redundantia gignuntur, ad exonerandum exinanendumque ventrem omnis cura spectabit: quamobrem mirari non debent, inquit, aegroti, si usitatos quotidianosque morbos communi, et palam omnibus proposita medendi ratione depellamus, pilulas post scissam venam conficiendas mandando ad ventrem vacuum crassis humoribus reddendum. Potiones etiam comparantur pilularum vim habentes, et eadem officia facientes haustae. Ita officinae narthecis, pyxidibus, cucullis, myrothecis, tragematothecis, herbis, et radicibus refertae sunt. Horum medicamentorum alia simplicia sunt, alia permixta compositaque. In simplicibus humores, et liquores

res numerantur ex herbis, quae partim concisae, aut contusae, aut compressae manibus torculari igne eliciuntur. Atque humores plurimi aestivo tempore ex herbis viridibus, et recentibus stillicidio exprimentur, et aquae distillatae, seu eliquatae vocantur. Liquores vel e planta per se defluunt, vel e secto, terebratoque cortice, ramo, aut ligno erumpunt: qui componuntur, et conflantur, sive inferantur in ventrem, sive foris admoveantur corpori, sive liquidi sint, sive solidi ad usus varios. Horum nomina a Medicis quaere, quorum foeda barbarie, et sordibus Rhetoricae libros inquinare nolui. Non tamen omittam cataplasma, quoniam passim necessarium est, quod e plantis viridibus contusis, vel eisdem penitus in aqua decoctis fit sine oleo. Ceratum etiam ex speciebus paulo inferioribus conflatur, et oleo vario, addita cera, resista terebinthina, quo fiat solidius. Epithemata malagmata sunt, quae mediis corporis partibus, ventriculo, jecori, licini admovetur generatim. Nihil etiã tã clarũ est, addit Medicus, quam fomenta comparari, ut calore suo partes, quibus applicantur, foveant: quorum alia humida sunt, alia arida. Comparantur autem haec ex radicibus, herbis, seminibus, et id genus aliis. Odoramenta etiam, suffumeta ad Medicos spectant. Clysteres ad extremum reservavi, qui ex variis rebus permixtis, ad laxandum ventrem, vel eluendũ comparantur: qui quoniam salutare admodum sunt, et in humanis corporibus magnarum utilitatum efficientes, vulgo Medicinae nomine nuncupantur. Horum vim hodierno die experietur aegrotus noster, qui clysterem perferet solvendi ventris causa: quem infertum oppletumque habere visus est, ut in lotio apparent signa non adumbrata quidem, et ille conqueritur de mole gravitateque ventris, quem perferre posse miratur admodum. Edico etiam scindendam eidem venam totius corporis, et septem non amplius sanguinis uncias effundendas impero, vel tantum potius sanguinis, quantum gabbatae capere possint. usitatae. Iubeo denique illum abstinere

re in tempus usque, cum vis et ardor febris nimum vehementis fregerit sese. Videte signa ardoris, et hominis flagrantis intus, ut quasi aduri velle videatur. Arida lingua, labia simul arefacta sunt, vultus speciem praefert ignis ardentis: addit aegrotus calorem et ardorem perferre se non posse, aduri visceribus ipsis, atque intra eadem deflagrare flammarum quasi ardore succensarum. His cautum est satis atque provisum aegroti in praesens tempus, vesperi revertar, et quod agendum sit amplius, praescribemus: interim valete vos omnes, in visum alios aegrotos me conferam.

PHLEBOTOMIA SEV MISSIO

sanguinis.



Vae jussit Medicus exequantur domestici. Adest tonsor, qui priusquam venam scindat, videt aegrotũ sumere malum Medicum comparatum, et in orbiculos discissum, vel partitum in frustula, quae aegrotus ante sanguinẽ fundendum sumit: cibo enim vacuo ventre sanguinem natura pertinaciter cohibet, ne prorsus destituta nutrimento relinquatur: eum vero facile foras dat, si quidquam prius alimenti coeperit. Afferunt igitur administri excipula duo ad sanguinem excipiendum, fasciam lineam, lintei penicillum, hunc ad occludendam venam, illam ad deligandũ brachiũ, comparant oleũ, quo tonsores scalpellũ illinunt, ut sectiunculae dolor mitigetur. Itaque qui praesens est, tonsor post salutem solitam aegroti dictam percontari primum de vena incidenda, proferre vittam ex theca tonsoria, astringere brachium, fricare manu, turgere jam venae, et eminere perspicue, et ob eam causam remittere non nihil de tonsorum more: multa interea rogare, quoties sibi missus fuerit sanguis, nũmetuat ictum scalpelli, num videre soleat, an sensu minimo

exanimari? tam magno sit animo, ut neque scalpelli aspectu exhorreat? an tanta debilitatione, ut caput alio velit convertere, et oculos profus avertere a scienda vena? Denique sermonibus ulro citroque cum aegrotis habitis, officio suo functurus Tonfor jubet famulum vascula subjicere brachio, et a brachio faciem avertere, ne cruore respergatur os, cum sanguis impetu magno erumpens saliat longius, et os et faciem astantium respergat, nisi caveant et provideant sibi avertendo oculos a vasculis: ubi ictum, infixit leviter, et tantum scalpelli adigit, quantum opus erat ad recte, et ex artis suae praescriptionibus sciendam venam, hui continuo, aperui venam, et quidem recte: quam belle cadit sanguis. Tu aegrotus, nec praefensi quidem scalpellum, molliter ac blande facne, ut mollius ac blandius profecto, nihil. Quam aliter tu scindis, atque ille, quo utebar, venam recludere solebat, parum abfuit, quin nervos incideret, inde miserum me, metui quidem, ne distenderentur nervi, et in omne tempus brachium officium suum non faceret in posterum. Scis quemadmodum scalpellum non timide dimittendum est, ne summam cutem laceret, sed mediam venam incidat: si enim, ut a Medicis accipi saepe, rubet, et integer est sanguis, supprimitur, sin crassus, et niger, vitiosus: quamobrem media semper scindetur vena. Interea belle quidem, et continenter profluere sanguis cum impetu, et ad uncias usque a Medico praescriptas, agitare pollicem aegrotus in nentis speciem atque similitudinem, fundere sese magis ac magis, et in mensuram usque legitimam. Quae simulatque expleta fuit, Tonfor vulnuscule primum penicillum ex aqua frigida expressum imponere, et deligare brachium fasciola, manicam sindusii demittere, jubere etiam brachium intorquere sensim, cavere quoque diligenter ne utiquam extendat, mitela ex tela serica de collo aegrotus allatam appondere, in eam inferre brachium, et continere, ad extremum recubare, ut humores agitati sedentur atque conquiescant. Illud extremum est, ut Tonfor abluat se ipsum, et abstergat lin-

teo

teo, quod post infusam aquam famulus usitato more ministravit.

MOROSITAS AEGRO-

tantium.



In his aegrotis, quorum de morbis egimus, morositatem videamus. Hi quam difficiles ac morosi sunt? Periculose decumbunt in lecto, gravius aegrotant, difficilius curantur, serius convalescunt, et illorum animos explere nemo potest, nemo satisfacit. Quae adsunt, quaeque dantur in manus, fastidiunt, quae absunt, quaeque valetudini perniciose negantur, appetunt, si non dantur, continuo in ore moestitia, et haec saepe, si dantur, respuunt, et cum ministrorum saepe malo, conqueruntur de Medico, quasi nescierit praescribere curationem, de administratoribus, qui ad movere non properaverint, aut adhibere ignoraverint: idque faciunt, quanvis domestici providerint multo ante, et Medicorum mandata effecerint diligenter. Cum jacent, corpus jactant huc et illuc, versant se in dextram, aut in sinistram, lodes modo longius amandant, modo cooperire corpus imperant, constringere plurimum, ne ventus, ne frigus aspiret. Idem quosdam oderunt, nec oculis videre volunt, a conspectu amovent, ire jubent in malam rem cum his, quae comportant. Ipsi quoque modo levare corpus, interdum abstergere sudorem, comportare aquam, quam dent bibendam, et ad gargarismum penicillum, amovere se protinus, ut expuant et ejciant, quidquid evellerint. Cum illi lectum perferre nequeunt, induunt sese, in ambulans cubiculum, ad ambulationem efflagitant scipionem festinanter. Inde querelae multae, qui pedibus aegre consistant, et scipione vix imbecillitatem sustentent. Quam vero aegre se movent et difficulter, et innitentes scipioni semper anhelantes, et vix spiritum prae angore

reducentes? Inde crebrae postulationes rerum diversarum, quae sibi veniunt in mentem, quae nusquam reperiantur, neque comparari queant summo suscepto labore. Confident etiam ipsi moesti, tristes, cogitabundi, anxii, ut aperiantur fenestrae, premunt et urgent, quemadmodum ut claudantur paulo post. Nulla rerum species, nulli ductus aquarum ex cogitati, nulli fontes artificiosi satisfaciunt hominibus id temporis periculose morbo laborantibus: non cibus assus, non coctus, nullae conditiones. accuratatione quacunque concinnatae placent. Omnes ante oculos positas pyxidiculas, cuncta ecligmata, trochiscos, omnem aquarum, et unguentorum varietatem, pharmacopolarum totas officinas effusas in aegrotantium valetudinaria fuisse dicas. Denique cum medicamenta dari vident aegroti istiusmodi, maledicere Medico, detestari medicamenta, dicere tormentum, et mortem ipsam non desistunt. Ita neque illos domestici perferre possunt propter iracundiam, quae saepe non procul abhorret ab infania.

PRAECEPTA TUENDAE VALETUDINIS.



IN exitu huiusce materiae Medicum tradentem praecepta tuendae valetudinis attendamus. Sane tempus aestivum pomeridianum bonae valetudini valde nocere solet, quod meridiationes homines plerumque non fugiunt: quas consequitur dolor capitis, perturbatio corporis, gravitas, et lentitudo membrorum omnium, et quasi dissolutio. Languent enim homines, sibi ipsis displicent, neque ullam actionem suscipiunt per totum fere vespertinum tempus affectione corporis pessima: qua dissoluta dissipataque coagmetatio sui prorsus impos est, et tota torpet, et hebescit. Quare breves meridiationes volunt esse Medici tuendae conservandaeque valetudinis causa, bonis cibis vesci homines, abstinere

re

ne perniciosi et infestis, potum sibi ipsis praefinire prandiiis dumtaxat, et coenis bibedo, quoad sitim sustinere possint: si urgeat ac premat sitis, tantum potus capiendum est, ut sitim sedet, et post quinque minimum horas a prandio cibus erit ad decoquendum facillimus, et simplex: nam variae conditiones, praeter quam quod commistae perturbationem afferunt, tum decoctu difficillimae sunt. Adde quod pipere, crocoque, garyophyllo, cinnamomo, et aliis aromatibus conditi cibi stomachum calore deflagrare faciunt: ad quem restinguendum vis ingens aquae necessaria est. Nunquam vinum, nec escam ad satietatem homines capient: nam cum materiam temperantiae sit nimia satietas, tum morborum et aegrotationum plurimarum est seminarium. Ebrius enim vitae dies sibi praecidit, cohorret, et tremit membris omnibus, visa varia cernere oculis visus est, tetrum crebro ructando spirat odorem ex intimo pectore, memoriam thesaurum rerum omnium amittit, nulla noctu intervalla quietis habet, huc et illuc corpus jactat in lecto: stupor in corpore, immanitas in animo perspecta detestabilem, et infestum reddit mortalibus, capoplexia laborat, paralyti corripitur, et aliis morbis periculosissimis et infestissimis conflictatur. Cum vero edax fuerit, et gurges ciborum, tantam gravitatem et onus escarum corpore contentum sustinere non potest: viscera magnis cum doloribus et molestiis dirumpi velle videntur. Atque minimum malorum est hominem multitudine ciborum completum tantam redundantiam conficere non posse, frontem, et os pustulis deformari, gravedini subvenire passim opus esse, nec a se removeri per multum tempus, calculos cogi conflareque molestissimos, doloribus podagrae gravissimis complures annos cruciari. Haec cum gravia sint, tum illa communia, quae sequuntur: quod ad prandia semper crudiores veniunt, cum saepius se cibis ingurgitet, obstruuntur partes corporis, per quas exitus datur ad corporis necessitates, humoribus denique redundant crassissimis, qui semper in amittentur.

K.K. 3. dae

das vitae periculo versantur. Inde febres, apostemata, et aliae contagiones periculosae, mortiferaeque. Maxime etiam ad valetudinis conservationem praetermittendae voluptates, rebus Venereis nunquam utendum: quae frangunt vires, debilitant corpus, exedunt paulatim hominem, et mortem miserabilem invehunt. Ut enim alios taceam morbos, quis non multos juvenes recordabitur membris omnibus captos atque praepeditos, per summum dedecus, cum summis totius corporis cruciatibus mortuos esse? Quis non meminit hos lue Venerea coopertos intus, forisque grassante frustra remediis omnibus adhibitis valetudinem recuperare non potuisse? Quae cum exsistit non raro cum alopecia, capillis nudato capite, et barba prorsus sine pilo relicta quanta deformitas in ore? quam foedus hominis aspectus, qui se ipsum vivens nolle intueri, neque propter deformitatem colloqui valet cum aliis, vel illorum vultus et ora subire dedecoratus in perpetuum? Saepe quoque accidit, ut etiam si vellet infamiam hanc subire, omnis tamen ad illum amicorum, et domesticorum aditus praeccludatur propter foeditatem odoris, quem morbus Gallicus tetrum et intolerandum apostematibus jam obducta carne, multisque partibus foedissima sanie fluentibus exhalat. Quamobrem ad hanc lue Gallicam depascentiam lignum Gajacum ex Indis delatum, per multos dies decoctum ebibunt. Interea cubiculi parietibus contenti, et jacentes in lecto, quo nullus aer, neque caeli lux inferat sese, sudant locidibus amicti plurimis, et siccato pane vescuntur, et uvis passis, et amygdalis ad summum. Ad tuendam etiam valetudinem corpus exercitationibus afficiendum est, atque ita exercendum in aliquo labore, ut vacuum, et affectum ad prandium, et ad coenam accedat: sudor enim malos humores ejicit et trudit foras, et exercitatio multum habet commoditatis ad virium firmitatem, et ad naturae nostrae stabilitatem: quae jacet, et hebescit exercitationis insolentia. Ambulationes quoque cum exercitationibus jungamus, dummodo contra

tra debilitatem, infirmitatemque naturae non contedamus, quibus conficiendis assueti cum aviditate cibos capiemus: id quod Socratem fecisse legimus, qui usque ad vespertinum continentius ambulabat, quo melius coenaret, opsonare volens ambulando famem. Denique id conducit plurimum, si animos, et curam ab aliqua contentione laxemus; ne tanquam arctus intentus et adductus in angustum valde, deficiamus, et frangamur in medio itinere: neque nos angoribus dedamus, quibus brevi conficiemur, nisi resistamus, et omnem curam et angorem animorum levaverimus sermone familiari, vel aliquot non indignis homine Christiano iocunditatibus: quae cum honestae sunt, et in Deum conferuntur, et ad ejusdem Domini majus obsequium bonae valetudinis tuendae causa capiuntur, divinis legibus non adversantur. In hunc modum a tristitia, et acerbitate hilari dicto deducendi sunt animi, suavitatem etiam musicae honestae, rusticationibus, et inventis aliquot, aspectu rerum, quae tristitiam ipsam, et acerbitatem mitigant, et relaxant, et hominem ad laetitiam contrahunt: quibus cum liceat diebus laetis atque serenis, candidis et tranquillis uti, maxime a tris quibusdam, et quasi omnibus utemur. Sed haec sufficiant ad valetudinem conservandam, quae nos minime posuissimus in nostris exercitationibus, nisi hac simus homines imbecillitate naturae, ut crebris mutationibus expositi morbos passim, et casus varios perferamus, a quibus quantum in nobis fuerit, artibus aliquot reficiendi recreandique sumus: ut quae nobis sunt vires corporis, et animi, eas omni contentione Deo inservientes sine detrimento valetudinis exerceamus.

TONSORES.

Egimus de Medicis; nunc de Tonsoribus agamus, quibus aegroti quoque egent. Quoniam autem nemo ignarus

est rerum ad Tonsores pertinentium, cuius officium est tondere, et scindere venam aegrotis, utrunque persequar, quod est ad tonsorii muneris functionem necessarium. Quia vero usitatum est tonderi homines, cum capillum, aut barbā aluerunt, Tonsores has res adhibent ad tondendum. Imprimis illi lintea humeros tondendorum circumponunt ad praesegmina capillitii continenda, ne inter tondendum pili de capite a fronte, vel a tergo in vestes decidant: sed dilabentes accipiantur in lintea, et postea in terram projiciantur. Ita homine comparato praemunitoque contra pilorum praesegmina Tonsores sumunt in manus pectinem, et cultros tonsorios, et venustate et agilitate mirabili radios pectinis in capillos inferendo, et toto capite deducendo pectinem industria et celeritate summa, ex ordine singulari, et arte tondent caput, et barbā: quam detonsam repetunt, et recolunt accuratatione summa, ut ex omni parte aequabiliter detonsus homo relinquatur. Atque illi percurrando saepius, et reducendo pectinem perficiunt, et absolvunt more et consuetudine nostrorum hominum barbitium relinquentes, et pilos aliquos in summo mento, a fronte vero capitis cincinnos capillorum inflexos et intortos: quos adolescentes nostrae aetatis de industria intortos et cincinnatos gerunt mulieres jam politas, et comtas ementiti: quibus nihil jam reliquum esse videtur, nisi ut mulieres cultu capitis, et corporis effingāt. Ita remollescere adolescētum animos, et effoeminari paulatim aspiciamus. Quid plura? caput detonsum iterum atque iterum repetunt, et perpoliunt, et tandem arida spongia, aut linteis perfricant, et purgant propter porriginem insitam, et inhaerētē capiti. Qui sunt ex eo numero, ut caput, et barbā abradantur, hi sustinēt pelvim utraque manu, donec Tōsores infuderint calidam aquam, quam frigida temperaverūt agitando prius manibus eandem aquam, ut perfricent eandē barbā, et novacula caput medium abradant: nam ex tonsura capitis presbyteri, et milites religiosarum familiarū inter-

nos-

noscentur. Atque Tonsores ad hanc novaculam acuendam semper cotem secum comportare consueverunt, et per eam oleo aspersam deducunt, et reducunt conversam novaculā, et averfam: cuius acumen in manu explorant et experiūtur ad caput, et barbā abradendam. Ad cultros autem suos acuendos cotibus aquaticis Tonsores utuntur: quam altero pede in axem imposito, leni, vel concitata conversione torquendo, cum supra pilam plenam aqua convertatur, et quacunque conversione madefieri summa aqua necesse sit, cultros tonsorios averfos, et conversos acuunt, et manibus semper atrectando cultrorum aciem, acuta ne sit, et ad muneris functionem apposita. Denique quamquam illi cultros afferant hebetes et obtusos, tantopere tamen eos acuere solent, ut nitidos, et in utraque partem acutos praeclare relinquāt. Utuntur idem Tōsores phlebotomo ad venā aegroti scindendam. Atque ipsi primum venam, quae aperienda est, explorant, et observant vitta circumligando brachium ad clarius proferendam, et patefaciendam venam apparentem, et eminentem atrectatione dexterāe: denique scienter locum venae aperiendae digito attingunt venis jam apparentibus, atque prolatis, et scalpello venuste admodum scindūt, et sine ullo sensu, et dolore aegroti: et sanguis exitum reperiens defluit in vascula subjecta brachiis ad eundem sanguinem excipiendum, tantum autem et non plus sanguinis, quā Medicus iusserit, emittitur. Atque hae sunt partes Tōsores, chirurgi vero curare vulnera, et ad curationem illorū medicamenta adhibere ex suae artis praescriptionibus. Scalprū autem chirurgicum illi commune est, ut peniculus unus et alter inferatur, et efferatur. Vulnera tanto melius sanata sunt, quanto cicatrices minus apparent.

PHARMACOPOLIA.

Quoniam ad aegrotorum valetudinem recuperandam praecipue Pharmacopolia pertinent, illa ad verfac-

Ll va-

valetudinis tēporibus adjūgātur. Haec nartheciis undique circumdata sunt, in quibus medicamēta custodiuntur. Nartheciorum autem multi sunt ordines in circuitu, summi, medii, et infimi, et omnes pharmacis completi. Patent autem et cernuntur oculis ex ordine singulari narthecia apposita distributione locorum ad medicamenta suis in locis separatim asservanda, convenienterque continenda: ne aquae, et unguenta, et quaevis genera medicamentorū, herbae, radices, et tam multae varietates conditionum innumerabilium commisceantur et confundantur. Haec quo melius, et clarius internoscantur, suis nominibus inscribuntur. Aliae sedes urceolos unguentorum, aliae phialas aquarum, aliae loculos ligneos, id est casulas pharmacum, radicū, et herbarum, quarū plurima genera sunt a Medicis animadverta, et aegroti illarum utilitates longinquo temporis usu, et periclitatione perceperunt, continent. Sed quanvis pharmacopolia olere videantur unguenta, et aquarum, quae exprimuntur, odores diversos, tamen medicamenta accuratatione multa et munditia conficiuntur. Ita quidem illa nitent et splendent per se semper phialis vitreis, loculis ligneis auro obductis, et urceolis fictilibus varii coloris. In nartheciis plerunque superioribus involucra plurima, et alia aliis imposita, medicamentorum eminent, et leviter proferunt se se. Ligulae (vulgo spatulae) palam propositae sunt ad depromenda, et agitando unguenta. Infra narthecia cernuntur cribra et incernicula fetacea pendere de clavis ad liquorum transfundendos, et ad purgandas herbas, radices, et ad cassiam, et ad alia medicamenta solvenda. Fuscinae stagno, quo sunt illitae, splendent ad decoquendas aquas, et ad usum aliquorum medicamentorum. Omnia sunt in pharmacopoliis, quae Medici praescribere consuecunt ad curationes morborum, id est multa medicamenta simplicia, quae nihil habent admistum, disparia et dissimilia, multa composita ex aliarum rerum admistione concinnata: quae si confecta non fuerint,

fuerint, quam primum ea, quam Medicus praescribit, ratione concinnantur. Compositiones unguentorum, genera aquarum, potiones, et purgationes multae numerantur. Ad exprimendas aquas intus sunt suis in locis sublimatoria stagno illita. Nunquam autem pharmacopolia, vel minister aliquis a pharmacopolio abest operam alicui medicamento comparando adhibens, aut ea praeparans, quae sunt opus ad usum artis suae, vel radices, aut herbas purgans, aut mortariolo contundens: cuius strepitu dies noctesque tota vicinia plerunque personat.

DE MAGISTRATIBVS, DE IVDICIIS, de litibus et contractibus, atque delictis.



T male, sic etiam bene valentibus sua dantur tempora: de quibus nūc sermonem instituemus. Et quoniam in haec tempora incidunt varii status, et ordinis, atque fortunae mortales, de magistratibus prius agemus, deinde de jurisperitis, tum de scribis, tum de litigatoribus, de contractibus: etiam illi, qui poenis in iudiciis affici soleant, numerabuntur. Ex his constituētur tempora diversa variaque, quae quoniam melius ex progressu exercitationum, quam ex praeposita commemoratione internoscuntur, ab illo tempore incipio, cum magistratus deliguntur. Quoniam autem magistratum proprium est munus intelligere se gerere personam civitatis, debereque ejus dignitatē et decus sustinere, servare leges, jura describere, eaque fidei suae cōmissa meminisse: percurram breviter rationē bene gerēdae reipublicae, et cōstituēdarū civitatū in Hispania. Atque cū Rex Hispania-

niarum potentissimus sit, qui late tot populis, urbibus, provinciis, et regnis florentissimis propinquis, atque disjunctis amplissima latissimaque potestate dominetur: habet Regia Majestas conventus in aliquot urbibus, locisque celebrioribus ditioni suorum regnorum subjectis, quos majores Cōsilia Auditorum vocare voluerunt. Atque ab ipso Rege Regia Cōsilia dicta fuerūt; quorum maximus est splendor, et illustris dignitas propter potestatem, quam habet, amplissimam, et propter personam Regiae Majestatis, quā obtinent, in Hispanorum ditione regnorum signo ejusdem Regiae Majestatis ornatam: quo decreta facta, quo sententias latas more et inveterata consuetudine obsignant. Ita ab illis raro provocatio datur, nisi ad supremū Cōsiliū. Atque in Aula Regia numerus Consiliorū auctus est, quae a negotiis, quibus conficiendis praepositi sunt Auditores Regii, nomina traxerūt. Praeter Ordines hujusmodi Regios Praetores sūt civiles, et capitales, Quaesitores etiam creantur, atque iudices aliorum magistratuum officio functorum, gubernatores mittuntur in civitates, qui Praetores dicuntur: hi habent socios et ministros, Propraetores, Accēsos maximos et minores. Praeter hos magistratus in oppidis Dynastarum creari solent Duumviri immunium, et vectigalium: atque hi postremo nominati, et qui proximi praecesserunt, dari solent post legitimum tempus habiti magistratus: ad quos semper magistratus mandandos Praeses supremi Regii Consilii, et Consiliarii ejus ordinis alliciuntur dignitate et meritis eorum; a quibus petuntur: maxime si gesserunt aliquos magistratus, qui magistratibus abeuntes suis apud Senatum Regium ediderint et exposuerint, quid in magistratibus gesserint, deque his Auditores Regii praepredicaverunt, quae haberint homines istiusmodi adjumenta ad magistratus adipiscendos, et ad gerendam rempublicam.



DE

DE RATIONE REDDENDA MAGISTRATUS HABITI.

Praetura gesta tempus illud sequitur, cū Praetores magistratus dignitatem deponunt, quod turbulentum solet esse: nam cum cuilibet de populo liberum sit praeturam criminari, et deferre ad iudicem, quod criminofum videatur: repellendarum criminationum causa statutos dies Praetor exspectat, ut bene gestae, vel male administratae reipublicae testimonium accipiat. Hoc intervallo vel invidia, vel malevolentia, vel impulsu inimicorum boni Praetores a malis hominibus saepe vexantur, et vehementer exercentur: dū aliqui inferunt crimina, quae se probaturos esse testibus nō desperant, quos pecuniis jam ante subornarunt. Nonnunquam dum temere in puniendo, vel iracūdia in iudicādo progressi fuerunt, vel aliis de causis, si leges non seruarunt, siquid fecerunt contra decreta, immunitatesque civitatis, non desunt accusatores in hujusmodi magistratus, et quidē acres atque vehementes. Videas igitur ab illo tempore cum Praetores abierunt praetura, qui cōtrarii sunt et infesti, vel bono reipublicae, aut aliqua perturbatione commoventur, eos quaerere crimina, deferre ad novum iudicem, multa cumulare et coercere contra abeuntem magistratu Praetorem, dare testes in singulas res, atque juratos: Praetor contra solet statim petere criminum, quae in se delata sūt, copiam sibi fieri, et quidem scripto, purgare se ipsum, remove, repellere crimina contrariis probationibus, aut testibus refutandis, vel causa unius aut alterius facti allata, atque omnia in eum finē conferendo, ut sui, rerumque a se gestarum in magistratu praeclaram rationem reddat: cupit enim bonam ex urbe, quam administravit, existimationem deferre, atque cum aliarum criminationum, maxime repetundarum lege non teneri: et ut

Ll 3 dig-

dignus amplissimo magistratu videatur, quæ habuit. Exspectatur eventus, ut aut absolutus cû honore Praetor, aut damnatus cum ignominia decedat.

DE SENATORIBVS:



Non solum magistratus creantur superiores, sed etiam in omni republica bene constituta Senatus est publicum civitatis cõsilium. Qui in Senatum cooptati sũt, Senatores appellantur, a senibus quidem dicti, quod in eis sit cõsilium, ratio, et sententia. Illi sic tempus in aula ponere consueverunt, ut tria sibi iussa sint, vel proposita esse debeant in sententia dicenda: ut adsint, nam gravitatem res habet, cum frequens ordo est: ut loco dicant, id est rogati, ut cum modo, ne sint infiniti: nam brevitatis Senatoris magna laus est in sententia. Atque Senatores ex universo populo deligi solent, quorum numerus certus non est, neque constitutus a Regibus: frequens tamen ad sexaginta, ut Romae quondam ad ducentos, progrediente tempore ad quadringentos. Habent illi conventus suos singulis in hebdomadis suis jam praefinitis diebus: bis, aut ter non vocati veniunt in Senatum: sed non ita frequens habetur Senatus, ut omnes adesse debeant, nisi qui voluerint. Aliquot sane dies legationibus, vel negotiis gravissimis Senatus datur frequens: aliquando frequentior esse solet, quam quisquã putaret esse posse mense Iulio per dies caniculae aestuosos: raro autem frequentissimus, ne quisquam absit. Confident igitur Senatores pro dignitate, et antiquitate sua, faciunt senatus-consulta honorificentissima et magnificentissima, ut res fuit, vel persona, de qua relatum fuit in Senatu, vel gravissima et severissima: quibus aut aliqui configuntur, et si non bene officio fungantur, saepe eijciuntur e Senatu, vel e civitate. Quae Senatores decreverunt, delecti Patres agunt et

et exequantur. In decernendo saepe faciles sunt, cum omnes in ea sententia fuerint, in qua Principes Senatus: interdum multorum mentes et sententiae cum Praetoris suffragio et voluntate consentiunt: nonnunquam habent magnam controversiam, cum res dubia videtur et controversa satis, de qua deliberare debent: quae multos dies ducitur et protrahitur. Itaque die primo in Senatu nihil confectum est, propterea quod tempus magna ex parte consumtum est altercatione unius et alterius Senatoris: postridie placuit, ut breviter sententiae dicerentur, cum autem antiquioris pronuntiata est, secunda loci dignitate proximi, atque in hunc modum sententiae singulorum ex ordine suo, unam sequuntur, aut alteram: aut postulari solet, ut aliqua dividatur, quatenus rempublicam respicit, et huiusmodi rei, quia sine summo scelere resisti non potest, auctori assensum est: de reliquis frequentes ire solent in alia omnia, nisi Tribuni plebis intercedant: qui cum contendere incipiunt, multi neque concedunt, neque repugnant, eorum tamen intercessioni ab aliis vehementer reclamatum est, quoniam nova res est et iniqua: nonnulli Tribunis aperte assentiuntur. Ita plerumque ducta controversia usque ad duodecimam Senatus dimittitur: nisi Senator aliquis eloquentissimus surgat, nactusque tempus hoc magis idoneum, quam unquam antea, quod post conventus aliquos is dies primus honestissimus sibi fuerit in Senatu, ita fuit cum Senatoribus loquutus, ut animos Senatorum ab omni alia cogitatione ad Praetoris sententiam sequendam traduxerit: Itaque sententiam sequi Praetoris reliquos coegit. Ad Senatorum munus obeundum adduntur Quaestores aerarum, coactores etiam: quorum illi pecunias et debita exigunt civitatis, hi vero in aerarium inferendos nummos curant.



IUDICIA.

AD magistratus spectant Iudicia, in quibus quanta possunt enumerari, quae homines patiuntur, qui tempora plurima, et aetatem fere suam in litibus conterunt? Qui habent lites aliquas, priusquam veniant in iudicium, et intendunt litem contrariae parti, adeunt advocatos, et consulunt de jure, quod habet in ea re, de qua iudicio disceptaturi sunt: quorum ubi rem ejusmodi esse acceperunt, quam lite repetere, et persequi possint, et sperant se posse obtinere causam, confestim eo patrono, qui pollicitus est accusatori se advocatum in re praesentem futurum esse, ille deligit procuratores, qui negotium gerant, scribas, qui omnia scripto referant in tabulas, et omnibus statuit mercedem quam amplam. Advocatus illico instruit litem actionem, et libellos componit, ut accusator, vel alius accusatoris nomine diem dicat adversario, et illum vocet in iudicium. Bone Deus, quod ejusmodi tempus? quam varium? quam periculosum? quam sollicitudinis plenum et angoris? Contedit accusator de praediis, de haereditate aliqua, aut agit injuriarum. Reus quid agit, ne condemnetur? Quo die in jus vocatus est, venit, et easdem machinas adhibet, et dolos omnes commolitur, quibus se defendat atque tueatur, neque solum studiis amicorum, sed etiam alienorum: eo interdum res deducta est, ut inexpiabiles fraudes et scelera suscipiantur in iudiciis. Vbi uterque litem contestatus est, interponuntur iudicia; et exquiruntur advocatorum responsa peritissimum, iudicium committitur et exercetur acre atque severum, producuntur testes ab utraque parte, qui dicant, quae scierint, audierint, aut viderint, et datur in singulas res: in quibus refellendis propter potentiam litigatorum saepe magnus labor est, et contentio non mediocri adhibetur. Scripturae et adversaria proferuntur, recitantur, et conferuntur cum his, quae sunt apud publicos tabellarios ob signata signis nobilium

lium hominum, et scribarum. Tempus datur legibus constitutum ad communes probationes, et de praescriptionibus juris communis, aut de sanctionibus regis parte deposcente prorogatur. Omnibus tandem spatiis temporis intervallisque postulatis, quae legibus constituuntur, litigatores omnino studio et diligentia in causam incumbunt, et nihil eorum praetermittunt, quae vident pertinere ad causam aut per se, aut per administratos cogendo testes, aut per procuratorem rem agendo, aut per advocatos, quid iudices de causa sequi, quid cavere debeant, ubi vis et momentum causae consistat, praemonendo. Mos est postulandi mandata ad possessionem capiendam, ad se ipsos conservandos et retinendos in semel capta possessione bonorum, ad eiciendos alios et tradendos vi et potestate concessa. Quid plura? si objiciantur leges, et data semel mandata in alio iudicio facta contra adversarios, iudex edicere consuevit sine ulla exceptione, ut unde dejectus esset adversarius, restitueretur. Ita praetorij exceptionibus superiores excluduntur actiones, quas procurator contra litigatorem primum actione praedicta agentem injuste datas fuisse queritur. Res tandem eo deducta est, ut cognita et probata causa, et tempore probandi, et improbandi quidquam, quoniam partes inter se convenire nolunt, sententia feratur: qua lata contra primum, et contra illum, qui bonitati suae causae confidebat, provocat is ad Auditorum Consilium: in quo secundo damnatus pecuniae et possessionum omnium tertio provocavit ad Regium Senatum, et quanvis ille in advocatis aliquot, qui nullam unquam rem defenderunt, quam non probaverint, nullam oppugnaverunt, quam non everterint, spem causae posuerat, tamen tertio damnatus pecuniae, possessionum, et expensarum, amisit causam, et bonis everfus, et grandi pecunia mulctatus, afflictus et perditus mansit in perpetuum.



TESTES.

Interim autem dum litem habent homines, quot generum testium numerabimus, quos litigatores habent, ut producant illos, et dent in singulas res in judiciis, quibus constitutis totum crimen explicatur, et id planum fit, quod potissimum causam attulit, ut iudicium constaretur? Hi cum testimonium dicturi sunt, quia iudices injurato testi credere non possunt in judiciis, et quae dixerit, jurejurando firmanda sunt, coguntur prius jusiurandum dare: quo nullum vinculum ad astringendam fidem leges arctius esse voluerunt. Ita iussi manum admoveere Cruci Deum Immortalem, et ejus sanctissimam Crucem obtestatur verum se dicturos esse: vel si sacris initiati fuerint manum pectori admovendo sacros ordines, quibus insigniti sunt, jurant. Jurati dicunt testimonium verissimum, et quanvis juraverint verissimum sanctissimumque jusiurandum, quod alii testes magna voce se vere jurasse juraverint: tamen non desunt, qui coarguant testimonium, et illos falsum jurasse dicant: quia scilicet illud dixerunt pro testimonio, quod non omnibus notum erat atque testatum: quare adversarii ad testes refutandos omnem vim et contentionem adhibent. Multa autem sunt, ut praedixi, genera testium: alii sunt graves et idonei, locupletissimi et certissimi, incorrupti et integri, clarissimi et honoratissimi, qui consciis rerum omnium, quarum ab illis veritas exigitur, dicunt testimonium verum: ut quaeque scierint, aut audiverint. Sunt etiam obscuri testes, aut tenues, testes falsi fictique, qui corrumpi possunt, vel pretio, vel gratia, vel metu, vel similitate, qui nullam testimoniorum fidem et religionem unquam coluerunt, omnibus vitiis, atque omni dedecore infames, mendaces, perjuri, horum omnium in aliena re leve testimonium esse contendimus, quod in sua, quoniam contra se ipsos est, gravissimum debet esse: superiora vero te-

sti-

stimoniam magni aestimatur, et apud iudices plurimum semper valuisse compertum est: atque ob eam causam iudices easumunt libenter in judiciis. More enim majorum comparatum est, ut homines amplissimi, qui testificantur, jurati meminerint se habere testem Deum Immortalem: qui etiam cum jusiurando minimis in rebus testimonium de sua re dicere non possunt: atque hi omnes testimonio privantur, nec ad testificationem produci soliti sunt.

INSTRUMENTA.



Hoc etiam tempore vide quam multa alia conficienda sunt. Tabulae conficiuntur, postquam de negotio quaeri coeptum est: in quibus quemadmodum testes testimonia dixerunt, eadem scribarum manu litteris mandantur die scripto, et hora maleficii admisi, aut rei gestae. Haec autem Chirographis testium consignata vim habent maximam ad faciendam fidem: quia obtinent publicarum tabularum auctoritatem. Scripturae et adversaria proferuntur, recitantur, et conferuntur cum his, quae sunt apud tabularios publicos, atque ob signata signis hominum fide dignissimorum. Quod si ullis in tabulis litura in nomen alicujus videtur, si totum aliquod nomen coram ubi fuit delatum, est in litura, quid fuerit isthic antea scriptum, quod mendum ista litura correxit, quaeritur, et tabulas tanquam delatas, quia lituris coargui possunt, adversarii nihil probare posse contendunt: saepe ad cognitionem signorum, vera sint ne, an adulterina, perveniunt.



M m 2 SCRI.

SCRIBAE.

TOto litis tēpore Scribae sedulam dant operam: illorū enim fidei tabulae publicae, commoda, bona civiū cōmissa sunt. Hos comprehendite mentis oculis, et locum in quo scribae dictant, aut litteris per se vel per alios quidquā mandare solent. Videte armarium superioribus et inferioribus forulis factum: in illis quot scripturae? quot instrumenta? codicibus et syngraphis impleta sunt innumerabilibus. Locus capere non potest multitudinem litigatorū: ipse stans aut sedens in media mēsa scribas multos habet, per quos expectātibz et adeuntibus litigatoribus satisfācit: quibus cōmitatus adit ad tribunal, aut in advocatorū aedes insequente famulo pennam in aure, in manu scripturas gerēs, et excingulo techas pennarias pennarum plenas ad excipiendum siquid opus fuerit de mandato iudicum, aut advocatorum.

IVRISPERITVS ADVOCATVS.

TAbellione ingrediente publico domum advocati litigatorum magna subsequente caterva non videtis advocatum pollicentem et suscipientem patrociniū multorū auctoritate magna, et summa memoria effundētem et recitantem responsa jurisconsultorum, regnorū leges et sanctiones, et decreta facta Regiis in Cōsiliis? Facilis est (inquit) et expedita defensio, litem intendat et inferat adversarius, quicumque ille sit, tibi ad me veniēti: ne dubita me advocato te jus obtenturum, quod alii me saepissime patrocinate obtinuerūt: et cōstat Nobilem Petrum tenuisse jus idem in Regio Praetorio Granatensi. Cōtinuo illa in ore sunt, se ignarū Iurisperitiae dici velle, nullas didicisse litteras, si praesentem litem perdidit. Atque ille quidem aditurum se pollicetur esse singulos Auditores, et loquuturū de optimo ju-

re.

re praediorum in tribunalibus, edoctrurū omnia, et de ratione juris acturum esse mirabiliter. Ita homo minime litigiosus mira jam est alacritate ad litigandum, ubi advocatus litigandi vias non iustitiae consentaneas tradidit: qui non antea pateretur litigare quenquam, et iudiciis turpibus conflictari, et siquid litium haberet, attendere diligenter vellet minime praebens aures advocatis: litium laqueis implicatur.

RATIO TESTANDI.

Quoniam cum ex aliis causis, maxime ex testamentis, tum ex contractibus, tum ex maleficiis lites nascuntur, haec tria tempora percurramus iudiciorum propria: atque primū agamus de testamentis ex jurisconsultorum ordine. Proximus quis est morti, aut vivens propter varios casus, et incertos valetudinis eventus vult testamentum facere: haec ille praestabit in testamento suo, quae communi et regio jure sancita sunt. Si testamenti factionē homo habuerit, instituat haereditatem bonorum suorum: qui, si suos habet et necessarios haereditas, hos necessario, alienos tamen voluntate sua scribet. Neque unus dūtaxat, sed duo, et plures haereditas, qui cohaereditas appellantur, fieri aliquando solent. Secundi autem haereditas, quos leges nomine substitutorū appellant, institui possunt: quibus mortuis ex ordine suo, secundo, aut tertio instituti succedant: hi tamen multis conditionibus fieri solēt haereditas. Haereditas igitur ad institutos pertinet. Nomina et debita continentur in testamento, quae illi, qui ceperint haereditatem, solvere compelluntur: in quo pecunia, vasa, praedia, supellēx, et multaeres a filio, vel a secundo haereditas legari solent, et res legatae post aēs alienum solvuntur. Testamentum autem factum, qui fecit, subscribere debet, et septem homines honorati ob signabit. Mortuo au-

Mm 3. tem

tem testatore haec consequi debent, ut haeres institutus ad-
at haereditatem, et solvat nomina et legata aliena. Caducae
autem haereditates nonnunquam sunt, et ne adiri possint, ma-
ximo impedimento sunt illae res, si nulla de causa pater filium
fecit exhaeredem bonorum, aut illum praeteriit testamento,
aut si posthumus praeteritus est, qui post mortem patris nasci-
tur, vel si haeres nihil commodi exspectans noluit haeredi-
tatem adire gravibus oneratam conditionibus, et haeredibus
plus oneris, quam quod illi perferre possint, imponentem.
Nam si filium, ad quem haereditas jure venit, pater sine cau-
sa exhaereditavit, filius agit lege in haereditatem paternam, tan-
quam injuria exhaeres fuerit. Praeterea cum non possit pa-
ternorum filius exhaeres esse bonorum, quem pater testamen-
to, neque haeredem, neque exhaeredem scripserit nomina-
tim, filius nullum testamentum irritum facit, posthumus au-
tem agnascendo rumpit: non autem adita haereditate, ne mor-
tuus sine haerede maneat, beneficio legis cavetur. Ita odia, et
dissidia inter haeredes nascuntur, lites exoriuntur, in quam
partem haereditatis vocetur. Inter eos etiam saepissime dis-
cordiae concitantur, a quibus res legatae fuerint, nonnunquam
de factione testamenti, de mente exponenda et voluntate de-
claranda testatorum, qui vita functi fuerunt.

MODI CONTRAHENDI.

I A M a testamentis ad multas cum multis res
rationesque contractas accedamus. Nunquam
homines molestis vacare possunt, qui ven-
dunt, emunt, conducunt, locant, mutuunt, sti-
pulantur, transigunt, fidei iubent, mandant, pa-
cta et societates ineunt, deponunt apud aliquem, aut per-
mutant rem, et aliis negotiis innumerabilibus contrahen-
dis implicantur. Tot autem genera contrahendi numera-
ri possunt: de quibus post nundinas, post tabernas instito-
rias,

rias, et mercatorias, quoniam in his contrahere solent ho-
mines, agemus.

NVNDINAE.

N Vndinae in diem Divo Bartholomaeo sacrum institu-
tae sunt magno concursu civium, et alienigenarum ce-
lebritate mirabili. Sic notissimae sunt Castellanis omnibus,
et quibuscunque Hispaniarum, et Italiae, caeterisque natio-
num aliarum hominibus, quae nobiscum negotiatur et con-
trahunt: ut jam indici necessarium non sit propter vetusta-
tem temporis, celebritatemque maximam, qua adiri solent.
Illae primo die magnam mercatorum celebritatem habent,
et non minore reliquis, qui consequuntur, diebus: sunt enim
dies isti, mercaturae quaedam suarum utilitatum, rerum om-
nium, quas emere voluerint, et vendere mortales. Mercato-
res multa undique apportant, ut mercibus suis omnem mag-
nificentiam, et inexplebiles omnium rerum cupiditates in
eum exportavisse locum videantur. Quae merces exoptari
potuerunt, quae non in has nundinas invehantur? Redigite
in memoriam, quae in huiusmodi nundinis libido fuerit in
conquirendis comparandisque mercibus, quae varietas re-
rum, quae nundinatio: et nihil non ad utilitatem, et ad deli-
cias, et ad ornatum a mercatoribus, et ab institoribus nundina-
ri quodcunque genus hominum poterit. Campi longissi-
mi latissimique multitudine omnis generis animalium com-
plentur, quae ad usus urbanos et agrestes, ad vehendum, ad
onera comportanda necessaria sunt, et ad itinera faciun-
da conducuntur. Boves, vituli diversis in locis et reli-
qui generis pinguis satis et opima veniunt armenta, pe-
cudumque greges innumerabiles sparsi diffusique cam-
pos illos pervagantur, aut in unum locum coacti com-
pulsique jacent, aut pastum capessunt. Ab ipsa autem
civitatis celebriore porta longissimo quidem ordine, quan-

ta sunt duae viae rectae directaeque longitudine latitudineque a dextra sinistraque patent institoriae, mercatoriaeque tabernae suis mercibus pro foribus palam expositis, et plurimis illarum exemplaribus longo ex ordine propendentibus, ut a praetereuntibus prospiciantur, et quod emtu sibi fuerit opus, mercentur. Hinc indeque mercatores et institores orare, ut viri mulieresque emtum accedant, unde velint, inde dandas illis esse merces, dandam simul copiam attrectandi explorandique praestantiam, et ex praestantissimis praestantiores et probatiores emtores obire lustrareque tabernas dispositas et ornatas, locupletes et copiosas, refertissimas rerum omnium, circumspicere foros omnes capaces rerum, quas capturi sunt, et quoniam illae merces patent et expositae sunt oculis emtorum, aliae tegumentis involutae latent, reliquae loculis in ipsis ligneis, aut in arcis abditae sunt atque reclusae, omnia, quae propendent, et quae condita sunt, involucris reiectis petere evolvi sibi, explicarique, et fieri potestatem deligendi, convenire de pretio, hanc aestimare tanti, pluris, aut minoris, tanto pretio, quanto sibi expedit emere, et rem valere arbitrantur. Aestimatores interveniunt, qui certum pretium constituent, neque dandum minus, neque majus addendum confirmant; donec tandem de pretio convenit, quod statim solvitur, et numerantur pecuniae; nisi conveniat inter illos, non numerato, sed satisdato, ut in die certum mercium emtarum pretium solvendum satisfacet. Vendunt igitur omnes, et emunt praeclare, et ad eam pecuniae summam mercantur, quam velle potuerunt, atque concupiscere. Sic omnia facilia sunt atque venalia. Quantae sunt hisce diebus satisfactiones secundum emtiones? quantae solutiones rerum creditarum? quot sunt nomina? quot expediuntur? quot exsolvantur? quot notis nominibus deductiones fieri solent primum pro portorio, deinde pro emtione? pecuniae omnes, quae et in nominibus erant, et in tabulis debebantur, et quas mercatores quaestuosi numeratas habebant, in mer-

ces

ces institorias, in mercatorias negotiationes conferunt. Agere suum hic omnes negotium, contrahere, distrahere, et omnia facere officia mercatorum. Cum vero in tabernis institoriis et mercatoriis latissimus capus pateat descriptionum exercitationibus suscipiendis, de his, deque aliis, quae et in civitatibus, et in omnibus nundinis celebrantur, propositum est nobis atque certum agere: sic enim in his, et in aliis harum similibus nundinis negotiantur mercatores, et contrahunt, ut res suas, et suorum amicorum pecunias collocandas curent, et si possent plures rationes et copias conferre conarentur.

TABERNAE INSTITORIAE.



Tabernae omnes institoriae, cum in his nundinis apertae sint, armariis ab omni parte circumdatae cernuntur: in quibus foruli sunt ad continendas merces praeter illas, quae suspensae de tectis, de funiculis, de parietibus, et pro foribus proponuntur suspensae de clavis, qui innumerabiles affixi sunt ad usum multarum et diversarum mercium, quae venales palam propositae sunt: quarum innumerabilis est multitudo, et species illarum jucunda nimis ad aspectum oculorum. Hae in forulis dispositae sunt, aliae suis involucris occultatae, illae accumulatae coacervataeque, multae de tecto, de funiculis, de clavis in ipso aditu pro foribus suspensae cernuntur: quae omnes exemplaria sunt multarum mercium atque diversarum, quae intus domi interioribus in armariis, et in arcis inclusae asservantur. Quae patent et oculis cernuntur mortalium collocatae in claro lumine, partim suspensae, complicatae, aut explicatae proferuntur in publicum. Neque quidquam erit ex omni genere mercium, quae verae sunt et syncerae, fallaces et fucosae, parvi, vel magni pretii et estimationis, quas non abunde tabernae institoriae suppeditare possint. In his sunt merces non Hispanenses modo, sed mer-

N n ces

ces Gallicae, Neapolitanae, Mediolanenses, aut allatae ex Flā-
 dria forma et specie pulcherrimae, solertia et ingenio politif-
 simae, omnium lectissimae, quae fingi possunt, et pretiosissi-
 mae, manibus hominum confectae, effictae varia et multipli-
 ci arte, et opere singulari et artificio perfectae, quo quis pre-
 tio mercari velit, magno vel parvo. Sunt autem res majoris
 pretii, ut quaeque sunt hujus et alterius generis: multae preti-
 um non habēt, nisi quod emtores dare voluerint, et instito-
 res cōstituerint: aliae summum jam cōstitutum habēt: mul-
 tarum rerum pretia jacent, aliarum pretia pertimueris, nisi
 locuples ac bene nummat⁹ fueris: sed nullae merces nō emē-
 tur nisi inopia pecuniarum. Quae oculis emtorum cernūtur
 praeter speciem atque formam, quam habent pulcherrimam,
 quam multae sunt et innumerabiles, atque omni rerum cō-
 pia abundātes, ex vitro, ex lino, ex byssino, pictae et elabora-
 tae, ad cultum virorum, et ad ornatum mulierum, ad puero-
 rum delectationes, sericae, aut aureae, ex filo serico, aureo vel
 argenteo, ad usus communes, et militum ostentationem? ple-
 nissimae sunt omnis generis rerum institoriae tabernae.
 Emem⁹ crumenas sericas ex filo aureo, et serico intertextas,
 atque varie multipliciterque pictas, ligulas astrictorias co-
 riaceas et sericas, vitreos annulos, vitra multis coloribus va-
 riata ad reliquias sanctorum, ad cruces decorandas, subucu-
 las, et illarū collaria, pugnalia suis inflexionibus intorta, vit-
 tas, zonulas, funiculos, fascias, acus Cordubenses, filum Lusi-
 tanum, calanticas, reticula muliebria, plagas moniales (vul-
 go vela) specula fulgentissima, specilla, strophiola, crepun-
 dia puerorum, pigmenta fucati candoris atque ruboris, a-
 labastros unguentorum, telas ex diverso filo politissimas,
 aliis alias venustiores atque sumtuosiores, arte varia et
 mirabili factas, et serico praecipue, argenteo, et aureo fi-
 lo intertextas, deaurata venustissima simplici, vel dupli-
 ci, vel quae pluris habentur, triplici filo elaborata, et om-
 nium pretiosissima, varium ac multiplex filum sericum, ru-
 brum

brum, pallidum, candidum, nigrum, et reliqui generis varie-
 tate distinctum, ex omni bōbycum diversitate globos, me-
 taxas omnis generis colorum, cum longitudinis, tum orbiū,
 quos volueris, nitidas et illustres, omni diversitate praedita
 coralia, grana vitrea, et reliquae materiae, diademata ad ca-
 pita mulierū ornāda, capillitia muliebria, pulvinulos pictos
 filo serico et aureo, torques et muraenulas vitreas, granula et
 bracteolas argenteas, flores ementitos, peniculos, aurū adul-
 terinum, plumas versicolores, fascias crurules, chirothecas
 suaviter olentes communes et concisas, atque alias merces
 multitudine innumerabiles, venustate insignes et admirabi-
 les, et omnis generis copia abundantes: ad quas nominandas
 nomina proculdubio Latina desunt. Vos ipsas usu quotidiana
 no mementote, ego quemadmodum vellem, recordari non
 possum.

MERCATORES PANNORVM.



Mercatores sunt, quorum hoc nundinarū tem-
 pore omnis res et pecuniae in pannis versatur.
 Atque hi tabernas habent apertas omnis ge-
 neris pannorum, ex quibus faciunt quaestus
 maximos. Panni venales omnes palā proposi-
 ti cernuntur suis in tabulis collocati, claro in lumine visen-
 di, partim in arcis asservati, atque involuti more suo suis te-
 gumentis. Qui videntur aliis alii sunt impositi, et sigillis plū-
 beis obsignati, omnes admirabili ordine, ut hujus, aut alte-
 rius coloris sunt, crassiore, aut tenuiore filo confecti, albi,
 nigri, virides, pallidi, fusci, atrii, rufi, fulvi, rubri, coc-
 cinei, cyanei, lividi, et reliqui generis atque diversitatis
 colorum, permisti, et intertexti diversis coloribus, at-
 que hi saturi, pleni, cōstātes pertinacesque, floridi, vegeti, vi-
 vidi, aut fugaces, obsoleti, lenti, austeri, vel diluti, remissi pro
 pretii diversitate varia multipliciq; Pāni ad vestes quascūq;

conficiendas, Cordubenses, Segovienses, crassiore filo, aut tenuiore, vel tenuissimo, parvi, mediocris, vel magni, et maximi pretii suis flexibus complicati et involuti venales habentur: et alii, qui domum in interiorem inclusi sunt atque asservati, cum opus fuerit, et postulentur, in publicum proferendi. Hunc sive quis velit mercari pannum, aut partem aliquam, vel ulnas multas, mercator collocans in mensa panni integrum, quem involutum habebat, incipit evolere, ut bonitatem, et praestantiam panni emtor explorare possit, et laudans atque commendans saepius non aspiciendum solum offert sed attrahens, verbis augens quantum potest, majore proculdubio pretio dignissimum, nusquam locorum simile reperiendum praedicat, et saepe cum iurando confirmat. Quid plura? millies colorem et venustatem similem serici mercator extoilens, se mensum fuisse triginta ulnas hujusce panni ad filios dynastae cujusdam vestiendos, neque pallia alterius panni divites, et nobiles hujusce civitatis induere, nullam aliam tabernam mercatoriam neque scire, neque frequentare locupletes, atque pretium indicare venustatem et praestantiam panni iterum ac saepe testatur. Cum emtor quinquaginta nummos argenteos in singulas ulnas persolvere debeat, hoc esse notum, commune pretium, et plane aliorum constitutum humilium pannorum, pluris pannum se delaturum esse, minoris nullo modo venditor confirmat: cum emtor duos detrahat nummos argenteos de praedicto numero, nihil id ad imminutionem proficere refert, atque in eo pretio perstat perseveratque; mercator ubi neque vilius neque carius se posse mercari vidit emtor, tandem de precio conveniunt: dissecatur igitur tantum panni, quot sunt ulnae, quas emtor metiri postulat. Si pannus crasso, vel crassiore filo fuerit, quia talem et non majoris pretii rusticanus homo, vel pauper aliquis pro sua egestate voluit emere, laudat etiam mercator, et comparandum dicit ad tenuissimos, et omnium optimos, quos habet in taberna mercatoria: duraturum in mille annos,

pal

pallium se habere in omne vitae suae tempus, atque hujusce periclitationis non alium velle testem, quam ipsius temporis diurnitatem, ut mercatorem, qui tantum ac talem pannum vendiderit, nunquam laudare desinat. Ejus etiam mercator addit esse generis pannum, ut et ad hyemale, et ad verum tempus, ad aquas perferendas, et ad tranquillam serenamque tempora conducatur, cum ille tantum habeat bonitatis, cum tantum etiam temporis duraturus sit, tum minime gravem esse humeris, sed mollissimum, et ad aspectum venustissimum, ut qui viderit, Segoviensem se intueri putet, et tenuissimum pretiosissimumque: quare non dubitet illum mercari, et bonis avibus triginta nummis argenteis deferat. Postquam mercator his verbis emtorem infatuavit, et ad pannum illum effendum statimque dandum pretium, induxit, neque sibi solum emtor, sed filiis pannum asportandum curavit, metitur mercator ulnas, emtor pecunias numerat.

MERCATORES SERICORVM.

Mercatores locupletiores sunt, qui in sericis negotiantur, et illa vendendo majores quaestus faciunt. Tractant autem illi serica varia atque multiplicia, atque involuta quidem, et suis funiculis constricta, ut neque evolvi facile possint, suis in forulis patentibus emtorum oculis proposita sunt, ut solo conjectu oculorum internoscantur: quod recta fursum consurgunt et attolluntur, quia sunt longitudine praedita. Quaevis igitur videri possunt genera sericorum, bombycinum tenue, sericum rasum, et damascenum, sericum gauzafinum, atque haec omnia nitida et illustria, specie et colore venustissima, mirandum in modum mollissima, quocumque genere et diversitate colorum, candida, pallida, rubra, sericum ostrinum, incarnatum, roseum, fulvum, Baeticum. Adde telas ex filo politissimas, arte varia et mirabili filis diversorum colorum intertextas, argenteas, aureas, deaurata pre-

N n 3 tio

tiosissima simplici, vel multo filo laborata, illa Toletum, alia Mediolani, vel Neapoli, non pauca Hispani intertexta. Ex his igitur, et ex aliis orbis terrarum partibus, in quibus politissima et venustissima serica texuntur, atque telae praestantissimae euectae proferuntur et evolvuntur vendendae. Harum videre est partes aliquot telarum, atque sericorum explicatas pèdere de funiculis, aut de transversis aliquot bacillis, quae eximio fulgore per se nitent, et habent splendorem maximum: quae sunt exemplaria telarum et sericorum, quae involuta cernuntur, et intus in arcibus inclusa custodiuntur. Haec cum placuerunt emtori, de pretio conveniunt: nec minus venditores verbis serica tollunt et exaggerant emtoribus, atque pannos supra positos emtum venientibus, quos sericorum laude multiplici ad emendum adducunt verbis infatuatos inanissimis: mercatorum enim ratio in commendando haec esse solet, ut boni quidquid habeant serica, id multis verbis ostendant, exornent, atque adeo exaggerent, ut ad vestiendos filios, uxorem et se ipsos praecipue mercari compellant emtores nulla pretii ratione habita, atque uno metu inopiae horum sericorum adductos: quae cum homines vulgo induant, ne vestitum gerant a nobilibus abhorrentem, nihil summum pretium curant.

MERCATUS COMMUNIS.

A B institoriis mercatoriisque tabernis in forum, quae tibi opus fuerint, quia die Iovis mercatus est celeberrimus, emtum te confer. Cum diebus Iovis homines proficiscerentur ad mercatum, et secum multum nummorum deferentes, et omnia essent facilia propter exportationem factam, et abundantiam maximam, ea mercati sunt, quae desiderabant, et ad eam summam, quam volebant: venditores enim minoris suum ven-

vendiderunt, cum major esset copia, et nihil esse videretur, quod emtores non egentes, non modo magno pretio, sed et solito et viliori emere non possent. Videres quam longum latumque forum est, nulla ex parte vacare praecoccupatum ab his, qui ex populis finitimis causa vendendi concurrerant. Multum tritici, multum panis, plurimum fructuum, magna vis avium, leporum, cuniculorum, perdicum, haedorum, ollae, vasa fictilia, et alia venalia habebantur in foro. Hos emere, illos vendere, et ad emendum hos venire, alios discedere, et multitudine virorum et mulierum frequentari forum aspiceres, omnes autem veniebant concurrerantque, ut emerent res necessarias ad victum domesticum.

EMTIO ET VENDITIO.

QUonia adies in tabernas mercatorias institoriasque, atque in forum vel in locum aliquem mercatum quidquam rationes contrahendi tenere debet, exercitationes merito subjectas addidimus. Quis in emendo et vendendo non considerat, quis ille qui emat, an cupidus, et locuples sit, ut saepe cupiditate procedat longius ad dandum pretium, et ad eam summam, quam venditor velit, et quam plurimo, prope dimidio carius emerit rem, quam aestimetur? Quis etiam non considerat, quis venditor, cui non expediat fundum venire suum, et qui nunquam nisi grandi pecunia vendere consueverit, praecclare, et quam optime potuerit? Qui fraudulentus sit, nunquam sine insidiis aget, et cum nihil omnino, quod venditor noverit, emtor ignorare debeat, vitia celaverit emtorem: ut non tanti solus, sed pluris, quam caeteri fundum venderet. Tempus animadvertendum est, cum non ita commode possint omnia, eo tempore, cum proscribantur, vendi: cum haec hoc magis, quam alio tempore venalia sint, et in his locis potius, quam in aliis veneant. Quid quod si ubertas in fructibus percipiendis fuit, co-

sequitur vilitas in vendendis; ut aut male vendendum intelligas, si bene processit, aut male perceptos fructus, si recte vendere liceat. Quid cum copia sit mercium importatione facta vini vel frumenti, res autem qualis, quâti pretii et aestimationis, et ad quæ usum vis et commoditatem? Is autem modus emendi plerumque servari solet, ut aut numerata, aut credita pecunia emtiones fiant, et venditiones rerum: ad quam solvendam praestituitur dies, quem partes velint et convenerint. Ne venditor parum cautus, et parum providus fuisse videatur, cautiones fiunt pecuniarum vade dato et accepto, quem venditor poscebat: ut suae rei caveret. Hunc quia pro emtore venditor accepit vadem, deferre potest in iudicium, si praestituta die non solverit pecunias rei venditae. Multi autem magis sibi cavent statuendo conditionem hanc, et legem emtori, ut ab illo die, qui venit et adfuit solvendo praestitutus, si non solverit, pecuniae abeant in reditus annui census, et censum sibi nummorum pendat, quos pro ratione pecuniarum suis praefinitis temporibus conferat: donec censum debitorum solutione redemerit.

LOCATIO ET CONDUCTIO.

IN contrahendis rebus merito emtionem locatio sequitur, ordine, quem tenent jurisconsulti suis involuminibus, a me servato. Quae in locatione et rerum conductione concurrunt? Qui domum locandam, aut praedium conducendum curaverit, aedes fundumque proscribit, ut proscriptione edicta conveniant ad locationem et conductionem illi, quorum interest: et ne illi, qui de dominis suis conduxerunt, queratur postea in iudicio se cupiditate prolapsos, aut necessitate compulsos nimium magno conduxisse: et ut induceretur locatio, postulare possint. Aestimatores intercedunt, qui aestimant rerum omnium pretia, et quae pluris, quae minoris aestimanda sint.

Qui

Qui in ea parte exercitatis res ipsas callere potuerunt, praeficiuntur possessionibus et aedibus aestimandis. Multa autem genera rerum sunt, quae conducuntur, aedes ad habitandum, equi ad itinera facienda: et Hispalis jactat magnificentiam suam habendo conductores equorum ad urbanas lustrationes, lecticas, currus, pueros, et famulos omnis aetatis. Atque in eo se jactare prae caeteris potest urbibus et oppidis florantissimis, quod conductores sint vestium pretiosissimarum, et omnis generis ornamentorum, cultus et ornatus corporis, auro et argento splendentium abacorum. Sunt etiam homines, qui conducunt suas operas, et opera faciunda locant, et ad se locupletandos multi magnas habent arationes conductas a colonis locupletioribus. Vectigalia regum ex decumis, ex salinis, ex portu, ex importatione, et exportatione mercium, et rerum venalium alii partim pensitant, partim exercent et exigunt.

DE SOCIETATE.

Mercatores, qui quaestus maximos facere volunt, coeunt societatem bonorum, quae comparantur: in qua lex communis societatis fancitur, ut omnia ad communem utilitatem afferantur, commoda et incommoda communia sint utriusque mercatoris: ita posteaquam uterque pro rata portione pecunias impendit, et in commune contulit, et agere et negotiari incipiunt ambo, quos quaestus faciunt de legibus societatis factae partiuntur, et quae damna facta sunt, aut in commoda eveniunt, multitudine et magnitudine commodorum refarciuntur, aut parem jacturam faciunt. Atque ad fieri non potest, ut quis amittat rem aliquam, aut fortunas suas in societate, ut non socium secum in eandem calamitatem trahat. Inter bonos autem bene agere oportet, et sine fraude, ne si mediocriter, aut multum de communi, quidquid

pöterit ad se in privatam domum sevocet, aut suspectus esse cöeperit societate excluditur: aut si cū plures dies vel annos societas esset, faceret fraudem socio, societatis actione dirimi posset perniciosa societas, et fraudum, quas alter in societate suscepisset, iudicium institui: illud enim imprimis inter socios convenit, nequa fraus, nequis dolus adhibeatur: si quis dolum aut machinam commolitur, quia se fellit, quia de medio aliquid abstulit, sociorum actione teneatur.

MANDATA DOMINORVM.

Antequam de mandato, quod contrahendi ratione continetur, agam, libet mādata commemorare dominorū. Nonne videris cernere puerum, quem herus accersit, et ad se venire iubet, et accelerare quam velocissime, qui dicto cunctius, uno saltu, vix audito verbo, se dat in conspectū heri, et quid velit et imperet, rogat, adesse jam, et exspectare quid factū opus sit. Ille igitur stat aperto capite, quam recto corpore, oculis in herum intentis, et exspectat mandata, quae danda sint: aut iussus ad aurem accedere, a tergo stans, et altero leviter flexo genu percipit attentissime, ne quod verbum mandatorum excidat, quae accipit. Vbi habet ipse mandatū a domino de quibuscunque rebus, ad volat, ut deferat, et exequatur. Ita autem puer mandata conficit, ut celeriter domū, inquam mittitur, ad volet. Cū janitor, quis tu? ab Antonio. Tum ille famulus, quid rei? venire a domino, cum mandatis ad suum herum. Confestim igitur ad eum cuius causa venerat, deducitur: et quae mandata afferat ritu et elegantia aulicorum dedit, multa verbo, plura scriptura: et inde celeriter rediens refert responsa mandatorum.

MANDATA SECVNDA.

Aliā mādatorū rationē, usitatā satis libet addere, ut quid in hoc genere magis increbuit, et adolescētes quacūq;

ra-

fatione, teneant. Herus servo in hunc modum mandata dare consuevit. Heus tu puer adibis domum nobilis Ferdinādi, et illi, quae tibi do, mādata deferes. Dices me plurima tantum dominum salute impertiri, cupere vehementer scire de sua valetudine, praeterea pergratum mihi futurū esse, si cognovero de statu, in quo sunt res filii sui. Servus ita defert mandata praestitis prius officiis debitis, et honore justo tanto equiti tributo. Dominus Petrus herus meus post salutem plurimam tibi missam, et a me dictam cupit vehementer doceri de valetudine tua, et de statu, quem tuae res habent: cum per negotia licuerit te invisurū esse dicit, atque illud imprimis scire avet, in quo statu negotia sint et lites filii tui. Servus, quae accepit mandata, refert. Itaque puer renuntiat domino suo nobilem Ferdinandum belle habere, eandemque salutem, et quam cumulatissime referre, quacunque autē valetudine fuerit, paratum illum facere, quae te dignitatemque tuam respiciant: id et majores debuisse suos, et se praecipue debere, neque unquam intermissurum recognoscere pro tuis magnis et innumerabilibus in se familiamque suam meritis extantibus. Addit, se cum primum negotiis, quae egit, et habet adhuc, solverit, invisurum te ipsum, et praestiturum officia debita: quamobrem orare magnopere, et quantum potest, ne injuriam illi facias invisendo prius, quam ille referat gratiam, quam debet.

MANDATVM AD NEGOTIA.


Praepositis mandatis superioribus, quae contrahendarum rerum propria sunt, accedant. Cum quis locuples et pecuniosus est, et negotiatur in multis partibus, cum per se non possit agere negotia omnia, sed per duos, aut quatuor procuratores rerum suarum, hos mittit in Hispaniam, alios in Indiā, et eis dat mandata de rebus omnibus univēse, duas proprie, aut aliquā rem privatim mādatur: ut cum homi-

ne tráfigat atque decidat, in eamque rem fidem suam, si quid opus esse putaverit, interponat et obliget. Procurator, qui mandata habet ab Antonio de praediis, aut de mercibus, vel de aedibus, quoniam ea accepit ab illo, debet eadem curare diligenter, et ira gerere, ut mandatum non negligat: quod si fecus administraverit, et ex aliquo negotio vel tantulum in rem suam converterit, quia rem mandatam non modo malitiosius gerit sui quaestus aut commodi causa, verum etiam negligentius, hunc Iurisconsulti summum admisisse dedecus existimaverunt. Itaque mandati constitutum est iudicium, non minus turpe quam furti: credo propterea quod quibus in rebus ipsi interesse non possumus, in his operae nostrae vicaria fides amicorum supponitur: quae qui laedit oppugnat omnium commune praesidium, et quantum in ipso est, disturbat vitae societatem: non enim possumus omnia per nos agere, alius in alia re est magis utilis, ideo procuratores praeficiuntur, ut nostrum commodum illorum officiis gubernetur. Quare quid homo recipit mandatum, si aut neglecturus est, aut ad suum commodum conversurus? cur se domino obtulit, aut suis commodis officio simulato officit et obstat, si ille de medio recederet, per alium transigeret is, et sua negotia ageret, qui suscipiendo onus officii, quod se putaret sustinere posse, mandata conficeret? Quoniam autem neque mandat quisquam fere nisi amico, neque credit nisi ei, quem fidelem putat, perditissimi hominis est, dum de rebus omnibus, quas dominus agi, quas curari a se voluerit, mandata dedit, ita dolose exequi, praesertim si procurator mandatum deposcit: saepe enim fortunae omnes domini commedatae sunt atque commedatae. Quamobrem qui mandata habet, faciat oportet, ut ea digerat, persequatur, et commedat: ne, cum mandata non effecerit, quae recipiat, in crimine mandati, iudicii, infamiaeque vocetur. Idem meminere, qui perfidia publicum, vel privatum commodum laeserit, damnandum per arbitrum, ut

rem

rem restituat, et honestatem amittendo dedecus ex iudicio maximum deportet.

MVTVVM.



Commune est et dare, et sumere pecunias mutuas: quanvis enim propter opes et nummos, qui in suos dies cadunt abundare debeamus, tamé propter sumtus cogimur ab amicis mutuari. Hae pecuniae creditae nobis sunt, aut numerato, aut per syngrapham, aut aliis nominibus, in quibus pecuniae fuerint, cum numeratam amici non habuerint. Damus etiam mutuuum frumentum, quod ad diem reddatur, et alia huiusce generis. Saepe qui debent, non respondet ad tempus, quia non habent, unde solvant, aut quod debent, cum debitione aliorum nominum torqueantur, dissolvere non possunt: et aes alienum antiquius, quod alii afferunt, dissolvendum jure deposcunt, in quod debitor incidit, vel libidine, vel quia id negotii gerendi studio contraxit, ut ex alio multiplici aere alieno, in quo erat, liberaretur. Quid quod ex ludis, in quibus sumtus immodici et effusi fiunt, tantum aes alienum facere coguntur, ut aes alienum crescat, cujus magnitudine premuntur? Quid quod saepe plurimis et pulcherrimis praediis venditis ex omni pecunia, quam ex venditione sibi solverunt, certis nominibus deductiones fieri debuerunt pro aestimatione, pro expensis, pro tributis, quae de praedio pendebantur? quid quod fraudationis causa latitant, cum exponere et numerare pecunias non possint, et creditores fraudando domo profugiunt, ne pecuniae exigantur? Differunt idem etiam creditores, et protrahunt miseros confirmando sine mutatione se solvere non posse: orare et obsecrare, ut in die Divi Ioannis, cum solvendi sibi sunt nummi quam plurimi, expectent, nunquam nec majus aes alienum fuisse, et in die praedictum melius et facilius dissolvendum esse dicunt. Credi-

tores in dando et credendo processerunt longius, neque sua solum pecuniam crediderunt, sed amicorum. Atque cum iam illi metuere cogentur, ne quod crediderant, perderent, si constituerent modum, idem spe id temporis exigendi sublata, quia debitores, quod satisdato debent, petunt a procuratoribus rei familiaris, ut ante prospiciant, et plane expediant, et solum relinquunt, quam quidquam fructuum domum conferatur: expectant id tempus, quod debitores deposcunt. Ita audias verba illorum. Ego vero et expectabo ea, quae polliceris, neque exigam nisi tuo commodo, et erunt mihi pergrata, cum solveris. Idem etiam defessi mittendis et remittendis hominibus ad pecunias, quae debentur, exigendas, cum solvendo debitores non sint, pecunias creditas condonant, ne chirographa omnia, ex quibus crediderunt, exactori det perferenda in oppidum: quod cum iter multorum dierum a civitate distet, plus nummorum deberet impendere, quam nomina sunt, et summa pecuniarum creditarum: neque debitor appellatus ex ista syngrapha quidquam deberi dicit pro his rebus, quia transegerunt jam. Quare creditores saepe melius putant esse debitoribus pecunias creditas condonare, quam tantis molestiis et sumptibus exigere. Cum autem debitoribus nihil blandius, nihil submissius fieri possit, nihil creditoribus liberalius, nihil certe benignius, cum debitores existiment eos, qui debita consecrari non soleant, ad eas ruinas, quibus miseri premuntur, nolle aliquid acerbitatis addere, et libenter remittunt, et sibi provident in futurum, ne mutuas dent pecunias, nisi a debitoribus prius sibi caveant, et syngraphis factis, et vadem accipiendo pro debitis, et obligando et addicendo praedia, quae habuerint, fructuosae, et opima nimium, aut domos maximas, vel aliquot tributa praecipua, quae pendantur recte, et sine molestia exigantur.

(S)

PER

PERMUTATIONES, COMMODA-

tum, depositum.

Habent homines alias rationes contrahendi, quoniam illud efficitur, ut dando et accipiendo, et permutadis facultatibus, nulla re egeamus. Permutationes fieri solent multarum atque diversarum rerum: ut quondam Regulus de captivis commutandis Romam missus est. Non autem commutabilis est natura argenti, et aeris. Multae autem res postea commutatae sunt, in quibus consilium mutare voluissimus. Quid dicam de depositis, quae reddenda sunt, ne in iniustitiae genus incidamus? Si gladium apud amicum deposuerim, reddendus est: ut pecuniam depositam recuperarem. Quid enim depositum habeam apud te, si mihi dolum commoliri contendis? In commodandis autem rebus, praesertim cum sine molestia nostra et detrimento alteri prodesse possumus, id tribuendum est etiam ignoto. Ita vestem, equum, librum, et aedes ad convivia, ad spectacula commodare solemus: quod mirari non debemus, cum liberalis homo omnibus in rebus alicui commodet, quoad fides sua dignitasque patiatur.

DE ARGENTARIIS.

QUONIAM homines copiosi ac bene nummati apud argentarios nummos deponere solent: qui sint argentarii huiusmodi videamus. Atque illi locupletes sunt admodum, qui faciunt argentaria, apud quos pecuniae innumerabiles, aurum et argentum ob signatum deponitur: ut in argentaria mensa custodiantur. Horum summa in codices et in libros argentarios deferuntur: in quibus numerum, et diem acceptorum nummorum, et nomina deferentium, et tradentium pecunias argen-

Oo 4 ta

tarius per se, vel per alios, quos habet praefectos ad rationes librorum, quibusque maxime fidei, ascribit. Videre est domum argentarii, quae plerumque amplissima solet esse, et aedium palatia non vacare venientibus, et exeuntibus hominibus, hos agere cum argentario, numerare pecunias, alios exigere partem, aut nummos omnes, quos deposuerant, scribas occupatos esse referendis pecuniis acceptis, atque redditis in codices. Antequam autem si exerceant argentariam, praestant fidem pecuniarum, quam mos est dari locupletissimis et opulentissimis de civitate hominibus factis et acceptis sponsoribus et vadibus: quae fides vehementer continet argentariam, et Hispaniam, et Vallisoletum, et Romae apud alios argentarios, ad habendam fidem syngraphis, et ex eisdem syngraphis ad pecunias solvendas: ne solutione impedita fides eos deficere incipiat. Cum enim isti decoxerint, multi in civitate rem atque fortunas amittunt, et fidei iussores secum in eandem calamitatem trahunt: quorum domos everfas, afflictas et perditas videris, ut jaceant in perpetuum, neque se excitare ulla ratione possint, non in pristinum statum restituere.

TUTELAE, ET CURATIONES.

Non multum a rerum contrahendarum generibus abesse visae sunt, de quibus modo acturi sumus, tutelae curationesque. Cum parentes moriuntur, relinquunt tutores filiis suis in testamento, qui tueri pupillos, vitam omnem instituerent, et illorum bona curare debent: nam tutores et corpori, bonisque dantur. Tutela igitur gerenda est ad utilitatem illorum, qui commissi sunt: in qua simul atque pupillis esse coepit tutor institutus, rem pupilli curando conservare fortunas, et augere debet nummos, qui ceciderint, et pecunias confectas ex venditis fructibus praediorum in redditus annuos, cuius tributa conferendo, dando etiam operam, ut pupilli fortunas constitutas et bene fundatas habeat. Si domi suae pupil-

illum habuerit, alet secundum cultum communem et usitatum habita semper ratione illius, in qua fuerunt parentes, amplissimae, aut mediocris fortunae, impendendo sumtus ad victum, et ad cultum corporis necessarios: eosque referet in codices accepti et expensi, et de mandato iudicis praefinitos, quos postulante pupillo iudices praefiniunt: ut cum tutor se tutela abdicaverit, vel illam post legitimum tempus deposuerit, tutelae bene gestae rationem reddere possit: quam curatores postea legibus dati, ut constet pupillum non fraudasse, qui in tutelam venerit, testimonio dato bene gestae tutelae confirmabunt. Non pupillos solum parentibus orbatos, sed mulieres propter infirmitatem consilii majores in tutorum potestate esse voluerunt. Atque haec de tutelae causa pupillorum, quorum nullam partem neque animi, neque corporis vacuam tutela leges reliquerunt. Restant modo pauca de curatoribus. Hi peti solent ad rei familiaris curationem, atque plerumque constituuntur ad voluntatem illorum, qui annos habuere pubertatis: penes quos curatio et administratio bonorum est. A quo tempore si susceperunt curationem, sic illa uti debent, ut bona, pecuniae omnes fideliter curandae sint, quas acceperint. Quare rationes tutorum, et curatorum non praeteriri debent.

RATIONES A TUTORIBVS, ET CURATORIBVS REDDENDAE.

Cum tutores, et curatores tutelam, et curationem deposuerunt, ad rationes accedunt: quas ab illis filii exigunt adulti jam arbitris per iudices constitutis. Codices igitur proferuntur accepti et expensi, quoniam tabulis sumptuariis sumtus mandantur: ut si quid etiam curatores de sua pecunia dicant impensum, quia probant impensam fecisse in rem pupilli, possint inducere quamvis pecuniae summam in

rationes. Primum igitur quod tutores acceptum haereditatibus, legatis, donationibus retulerunt, quod expensum de bonis pupilli, quod illi impederunt, et in sumtus annuos cotulerunt, exhibent in medium: postquam has rationes ediderunt, de rationibus conferendis agunt, et faciunt summam rerum, ut addendo, et subducendo, quae reliqui summa fiat, rationes conficiantur: donec omnia pateant, et cum tutorum summa congruant ad nummum etiam subducendo. Haec ubi convenire vident, et in tabulas, nihil quod tutorum commodum esset, relatum fuisse, sumtus etiam legitimos factos et necessarios, hos a iudicibus praefinitos, nec sumtum ullius generis curatoribus objici posse, pupillis sumtus, quos oportebat dari, dedisse curatores, neque illos pupillis vel minimo fuisse sumtui faciendo imminutionem, aut ullam decessionem minimam bonorum, neque illos intulisse rationes falsas, tractasse autem rationes pupillorum deponendo eas omnes et tutelam apud iudicem, accipiunt bene gestae tutelae testimonium, quos sumtus suppeditarunt, aut sustinuerunt, nusquam melius poni posse, quos minuerunt et remiserunt, ne res pupilli exhauriretur, quanvis non magnos recte et ex jure decrevisse. Itaque ut ex rationibus constat, et rem omnem non solum salvam et integram, sed auctam et amplificatam maxima bonorum accessione tutores reddidisse ac restituisse pupillis maximum datur amplissimumque testimonium.

AUCTIONES.

Locus est auctionarius Hispali, ut quodam atria auctionaria Romae celebrabantur. In his igitur locis, ubi quis se auctionaturum proscribit, quia auctio proscripta est, et multi concurrunt ad auctionem constitutam, ubi fieri coepit, et palam proponi multitudo et diversitas rerum, quae sub hasta venire debent, praeco quam intentam voce tenens manu

rem

rem ipsam venalem, atque praeconiis faciendis audientiam faciens, et licitatores cogens, de rebus ipsis pretia praedicare perstat in hunc modum, ut percontetur de pretio, quod expectatores dare velint, rem bonam ac praeclaram dicendo, habilem ad usum, et magni pretii et aestimationis: quae ubi licere coepit, et unus et alius licetur, tanti licet, clamare perstat: pluris nequis liceri vult? majoris est pretii, plus illa valet, amplius triginta nummos, quibus proximi licitatores licebant: quis plus pretii? quis adauget pretium? Ad pretium ne aliquis addet, quod constitutum est? quis se licitatore opponet? Summum jam tandem nunc pretium constituendum, addat et augeat, qui rem de auctione defferre voluerit. Vbi nemo est, qui pluris liceri velit, exquisitis palam pretiis et licitationibus factis res addicitur tanti, quanti postremo aliquis licitus est. Quae veneunt in tabulas auctionarias referuntur persolvenda die praestituta solutionum. Rem tandem ille accipit de manibus praeconis, aut famulum jubet comportare facta statim gratulatione de bonitate, de praestantia rei, quam de auctione effert. Accedere videas statim alios et alios amicos, et laudare rem adeptam, et gratulari laetos et hilares, qui propter illum sunt: cum rem ejusmodi, quam manibus tenere possint, inspiciendam deposcunt, et laudibus plurimis cumulant et adaugent.

DELICTA

FVRTVM.

ANtequam a magistratibus, et a iudiciis abeamus, quoniam poenas a legibus constitutas iudices in improbos et sceleratos statuunt, nonnulla delictorum genera, poenasque de flagitiosis sumtas persequamur: quos vindicari pertinet ad tempus illud, cum quis magistratum gessit. Quis autem enumerare possit scelera et flagitia, quae homines suscipiunt in maiestatem divini numinis. Fur exspectat tem-

pus nocturnum, cuius tenebris furta sua se celaturū esse sperat: et cum videt noctem atram et obsecuram esse, et omnes ivisse jam cubitum, et ut ex hora noctis conijcere potest, et ex usitatis dormiendi temporibus somnum capere suavissimum: quoniam omnia caeca noctis caligine circumfusa sunt, adulterina clave fores aperit, aut jam horam aliquam ante parietes perfodit, et intro se conijciens per foramen, per parietem perfossum, quoniam jam patet impluvium, suspenso gradu, retenta anima, et oculos retorquens, et conijciens in omnes partes, totus timidus ac tremens, ne persentiri possit, se dat in locum, in quo faciendum furtum decrevit, et pecuniarum, vestium, auri quidquid furari potest, arcas, et loca omnia scrutando, quae nactus est, furatur, et domum aufert. Quod si quis furem persentit, protinus in pedes se conijcit, antequam videatur, et comprehendatur a domesticis: quem furtibus male mulctatum, aut comprehensum iudicibus reservarent puniendum. Vbi enim aliquis furem persentit, tumultuari tota domus, surgere de lecto, et quaerere solliciti omnes, qua sui vestigia reliquit, alius gladium, alius telum, fustem ille, reliqui verua domesticaque nacti instrumenta persequi, omnes inanes umbras, et vana simulachra putare furem, furem dicere, et appellare nefarium, nequam, neque desistere, donec spes nulla est comprehendendi reliqua. Interea per angulos, per tecta, tegulas frangendo refringendoque multas investigare, si comparere usquam possit: ille vero jam fugit, et e manibus elapsus est, qua ingressus fuit, revertens, totus autem perturbatus, neque animo, neque corpore consistens, sui prorsus inscius, atque adeo loci, in quo versabatur, praecclusos omnes exitus existimans, et ab omni parte se teneri, neque fugere manus posse domesticorum, pervenisse jam putat in iudicium manus laqueo suspendendus.



LATRONES SIVE OBSESSORES viarum.



Ter illud infestum latronibus multis, qui valde et soluti errant per nemora, per montes, et ex urbana vita in aperta se latrocinia conijciunt, et excurrunt in oppida finitima, et per celus, per latrocinia auferunt omnia, quae volunt, quas possunt, villas copulant, ubi vident, aut acceperunt, hominem iter facere, qua illi latrocinantur, in sylvis delitescunt, et in occultioribus locis, et ubi vident accedere viatorem, sibilo, quod signum est occurrendi, vel a latere aggrediuntur, aut obviam procedunt in itinere, et equitem vocitando jubent illum equitis officium facere, et nummos partiri secum, quos comportaverit: quod si negaverit, vel obsistere velit, defendendo se, et tuendo a latrocinis, non desinunt perscrutari, et attrahere, contractare loca omnia, manum in sinum, et in femoralia inferendo, et excutiendo singulas partes: denique ubi nummos celare vident, sclopos obvertunt, ostendunt districtos gladiatorum mucrones, et intendunt in jugula viatorum efflagitando pecunias: quas ubi neque minis, neque terroribus extorquere possunt, fidem adhibent, et salvos iter progredi suum permittunt. Alios, quos sibi exploratum est, aut valde suspiciosum multum secum deferre nummorum, vita privant a tergo aggrediendo, et ex insidiis interficiendo, aut vestibus, et nummis spoliatos ad arborem alligatos relinquunt, ut tempus detur fugiendi factis latrocinis: quae repentina et cogitata saepe depelli non potuerunt in Celtiberia. Atque inter alligandum constringendumque hominem latrones loco beneficii praedicant, qui cum non ademerint, vitam se dedisse jactant.

(S)

PRAEDONES.

Piratae in omnibus locis, et rebus apertissime et impudētissime praedantur. Cogita sparsos illos, atque toto mari dissipatos, neque ullum locum mari Gaditano per hosce menses tutum esse, neque ullum tam fuisse abditum, ut lateret. Quis unquam navigavit, qui non se aut mortis, aut servitutis periculo committeret, cum aut hyeme, aut referto praedonum mari navigaretur? Nullā fere tenuimus provinciam liberam per hos annos. quā multas audivimus insulas esse desertas? quam multas aut metu relictas, aut a praedonibus captas urbes esse insularū? qui ab exteris nationibus veniebant, capti fuerunt, multae naves mercatorum in potestatem venere praedonum. Atque illos cursus et portus navigationum, per quos aurum ex Indiis deportatur, praecclusos fuisse audivimus. Non ignorare possumus insulā Beati Dominici commendatam, atque abundantem saccharo, portus alios celeberrimos et plenissimos navium esse direptos, ex multis locis navicularios, et oppidanorum filios inspectantibus parentibus a piratis esse sublatos. Quid ego ultimum incommodum atque illam labem, atque ignominiam nostram querar? cum prope inspectantibus nobis in urbes maritimas invadere ausus fuerit pirata barbarus et nefarius praedo communis omnium hostis Drachus: qui nullam fidem, nullum iusurādum servare didicit.

RAPINAE.

QUAM spes rapiendi et praedandi obcaecat animos eorum, quos cum honestas ad virtutem rapere deberet, cupiditas ad rapinam revocat, et ita incitat et inflammat, ut videre sit quanta cupiditate, quam caeca rapinarum atque

quae praedae rapiatur, quanto furore, quanto ardore vim faciendo, deturbando de locis suis omnia, perfringendo repagula, et evertendo foros, saepe manu armata, nonnunquam grege satellitum nefariorum, qui ex rapinis vivunt, et tantum se habere existimant, quantum rapere possunt, praecipites feratur? Postea praeda facta rapinisque maximis discedunt: neque quisquam est, qui verbum facere audeat. In horum numero ponendi sunt, qui rapinis populationibusque hostem distinent: quae jure belli permittuntur. Raptus autem virginum nefarios, magis tetros, magis execrabiles, quam genus omne putatote rapinarum.

CARCER.

Flagitia nefariorum poenae consequuntur, quibus in sceleratos animadvertendum est. Imprimis numeratur carcer vindex scelerum aedificatus ad poenam improborum, ut diuturnitate temporis, dum homines in vinculis fuerint, squalore et fordibus carceris, vinculis, quibus astringuntur, se commovere nequeant, et compedibus, in quibus diu esse solent excruciatum maleficia perpetrare desinat. Ecce enim satellites et administri Praetoris furem, aut reum aliquem comprehensum in carcerem conjiciunt, atque de jussu Praetoris in carcerem interiorem condunt, et asservant vinculis acerrime constrictum: adjutores janitoris primarii adstant illico, et ut judices edicunt, imperata facere non morantur, vincula corpori, compedes pedibus, atque manibus ferreas manicas injicientes: denique contrudunt in abditum et obscurum locum, quem in fordibus et squalore carceris ad tempus usque sententiae ferendae jacentem, et diei luce privatum in nervis multos dies agere necessarium est. Custodiuntur homicidae, et alii rei positos aliquando custodibus atque vigilibus, ne vincula carceris perfruant et impunitis maleficiis effugiant. Cum spes est emittendi homines

custodia, qui, ut sunt gradus et processus judiciorum, spem videntur alere incolumitatis, paulatim vinculis levare solent, et totam custodiam, in quam traditi fuerant, libere ac solute pervagari. Quod si homicida fuerit dives, aut eques nobilis, qui se sponte ac voluntate sua in custodiam dederit, iudicum se voluntati potestatique committendo, ut quae illi voluerint, et leges ac jura statuerint, in illum supplicia constituantur: iudices in huiusmodi reum multum plerumque de sua severitate remittunt.

DESCRIPTIO CARCERIS.

Carcer aedificatus est parietibus crassissimis et fortissimis, ne facile perfodi possit ac perumpi occultis cuniculis, qui agi solent ad vinculorum perruptionem et fugam, quam ornare saepe contendunt, qui in carcerem missi sunt, ne ad supplicia suis flagitiis debita miserrima et tam ignominiosa damnati trahantur. Ille plerumque extrinsecus habet formam et dignitatem maximam, et fenestras ad viam publicam spectantes clathris ferreis densioribus obfirmatis, ex quibus in vincula coniecti possunt videre praetereuntes et transeuntes viam, unde effragitant opem, et intentis vocibus nummulos corrogant ad corpus alendum in custodia publica ad se ipsos e vinculis, in quibus sunt, liberandos. Fenestras, quae in vestibulo sunt, qua immittuntur comprehensum spectant ad viam, et totos dies patent et apertae sunt: reliquae, cum ferreae sint, tum semper occlusae sunt, nisi cum Praetores, aut ministri in illum ingrediuntur, aut quis in carcerem infertur: qui simulatque traditus est, clavibus confestim suis concluditur. Hae quoniam, ut praedixi, ex ferro factae, maximi sunt roboris atque firmitatis. Intus carcer habet impluvium, atque illud plerumque propter multitudinem sordium et squaloris plenissimum. Interiores partes horridae et squalidae, obscurae et caliginosae, male etiam olentes, turba flagi-

gitiosorum et facinosorum confertissimae. Palatium unum esse solet, atque illud clarum, et multa luce circumfusum ad hominum divitum, et honoratorum custodiam: qui levibus de causis, aut propter aes alienum in carcerem missi sunt. Cernere est multitudinem et diversitatem omnium generis hominum improborum, furum, homicidarum, latronum, pejerantium, et omnium facinosorum. Atque illos omitto, quoniam multi, quoniam innumerabiles sunt, quoniam aere alieno premuntur, qui partim inertia, partim male gerendo negotium, partim sumptibus aere alieno opprimuntur: qui propter seditiones civitatis, propter mulierculas, propter unum, aut alterum verbum contumeliose factum honoratis hominibus, quoniam alii vagi sunt, et ex numero otiosorum, qui nullum officium faciunt, in vinculis detinentur. Horrificum est videre faciem et sentinam urbis, sordis et labes inquinatissimas, tot audaces et impudetes homines, hos inimpluvio, illos in porticibus, alios in latebris, alios crassioribus compedibus id est in nervis esse, alios ad clathros, ut colloquutum secum venientes audiant, agere et colloqui cum illis de negotio, de lite sua, de custodiae liberatione. Quot vociferationes? quot clamores? quae querimoniae exaudiuntur? qui strepitus et sonitus ferri, compedum, et ferreorum vinculorum, atque adeo catenarum horribili fragore concrepantium? qui status et conditio miserorum hominum? quae miseriae? quae aerumnae? qui aspectus? quae auditio, dum compedibus vincitardius se commovent, et difficultate maxima incedunt trahendo pedes atque raptando? Quantus horror ingredienti in carcerem perfundit, dum alii calamitosi vinculis toto corpori injectis, neque gradum facere, neque se erigere, neque se loco, in quo sunt, commovere possunt? quorum vero in nervis pedes, aut capita premuntur, quae conditio magis aerummosa, magis calamitosa fingetur unquam, aut excogitabitur? Speciem inferorum, et horribilem damnatorum locum ante oculos versari dices.

CAEDENDI VIRGIS.

FVrti damnati, vagi et otiosi supplicijs flagellorum afficiuntur: qui sane quinis, vel ternis, aut ad minimum binis caeduntur: ut numerum constitutum verberum, quibus addicti sunt, perferant. Horum miserabilis est aspectus: occurrentibus, furibus verbera perpetientibus ignominiosum et acerbum supplicium: nudati enim et omnibus terga spoliati vestibus imponuntur in jumentum fune de collo pendente, qui decidens in manus usque, eas acerrime constringit notans et signa relinquens inflexionum impressa suarum. Ita verberandus per vias publicas, et plateas, et loca consueta civitatis jumento vehitur, praestitutis suis temporibus numero flagellorum caedendus, et praecone quam inteta voce, ut omnes exaudire possint, faciente praeconium, et praedicante supplicium, et causam inflictae poenae de jussu Praetoris et Accensi maximi, aut illorum judicum, qui sententiam tulerunt. Accensus semper aliquis et scriba consequuntur de more et consuetudine regnorum Hispaniensium. Antequam autem virgarum damnatus in vias ingrediatur, quas peragere debet, buccinae sono lugubri atque horribili loca omnia concrepant, cujus clangore de adventu, deque supplicio oppidani moneantur. Caeditur pulsaturque homo miserandum in modum uno et altero virgarum ictu: quarum notas et signa longe lateque tergis ipsis rubentibus, et in formam et in speciem miserabile affectis expressa videre potuimus. Ille etiam tanto dedecore et ignominia afficitur, ut demisso capite, dejectis oculis in terram, prae pudore et infamia, quam subit, os manibus faciemque celet. Hujus gestus, et oris praecipue, et corporis omnes sunt miseri et aerumnosi hominis, vim et magnitudinem flagellorum perferentis: quae cum dolorem maximum et intolerabilem efficiant, corpus saepe contrahere, suosque humeros, retorquere etiam solet oculos ad

car

carnificem, si qua illum sui misericordia capere possit. Omnia sane misera sunt, et miseranda.

POENA SVBEVNTIS INFAMIAM.

Qui infamiae poenam subeunt, in jumentum impositi per vias publicas, et plateas vehuntur fune de collo suspenso: quo rejecto in tergum, atque in pectora revocato ligati corpus, et manus, vias omnes praetervecti consuetas, praecone praedicante infamiam, qua notantur publice, ut infamiae poenam perferant, et reliqui a maleficiis admittendis infamiae metu revocentur, in publicam custodiam adducuntur.

POENA TRIREMIBVS AD-
dictorum.

Qui propter scelera, et maleficia sua triremibus addicuntur, infimae sortis, et conditionis homines esse solent: qui semper in triremibus esse debent praestituri operas triremium intolerabiles, et graviores quam metallorum fortasse defodiendorum. Miseri calamitoli que homines, qui mare semper navigare debent, et corpora nudati vestibus, quae sunt tunicellae rubro colore, sola suorum indumenta corporum, atque indusiis, siqua sunt, inhaerentia. Quod si bardocucullos, e panno crassissimo, quos obsoletos superinduunt, gerere solent contra tempestates hyemales, et ad corpus tuendum a frigoribus, et injuriis temporum gravissimis, illis, pro lodicibus (nam culcitrae mollissimae sunt tabulae) saepe utuntur. Cum autem est tempus navigandi ad triemes agendas, jussi vestes exsuere, vi et contentione brachiorum, totis quod ajunt viribus, et nervis remis incumbentes, et corporibus quam maxime connitentes vim, et magnitudinem aquarum

perrumpunt, et tunc maxime cum contra ventum navigāt, et adversum aestum superare coguntur. Quid his miserius. qui si vel punctum constiterint, aut una omnes remos non egerint, omni diritate, vi et multitudine flagellorum caeduntur, et operiuntur ad lassitudinem usque caedentis? Quas malorum indignitates aerumnosi homines perpetiuntur male vestiti, vel nudati potius, et fame semper enecti? Non vescuntur pane nautico, atro, duro, fitu obsito, vermibus non raro scaturienti, qui jam lurido colore plane mucescat? Potus illorum est aqua marina foetida, falsa, et fordida: nisi cum aquationis causa portum appellant. Carnes illi neque oculis vident, nisi cum praedas aliquot fecerunt ex hostibus. Nūquā saturos, semper famelicos videas, colore pallido, adusto, deformi, sordium et squaloris plenissimos, male semper olētes, ab ipso puncto temporis cum ad remum dati sunt, caput et barbam abrasos.

POENA LENONVM, ET LENARVM.

LEnones infamia afficiuntur per vias, et loca consueta civitatis collo fune circumdato, atque ad manus usque dejecto, quo religati manum utranque cum mitra infami, vias praedictas, et usitata loca peragrant: quacūque autē praeterehūtur pueri multitudine innumerabiles nefariū Lenonē, et Lenam flagitiosam, communem perniciem adolescentum sibilis, et clamoribus infectantur, et ovis innumerabilibus appetunt, et male caedunt. Reliquorum omnis generis damnatorum homines misereri solent, Lenonū, et Lenarū neminem miseret: nam viri pueros, nescio, quo modo incitant, et inflammant ad plura ova conjicienda, et ut impurum Lenonem, Lenam impuram vocitent. Quoniam vero mulieres senes esse solent, aut matres filiarū, quas in quaestu meretricio collocarunt, dici non potest, quot probra, quot maledicta, vulgo in praetereuntes conjiciantur mulieres, quas non
pu.

puerum turpitudinis lenocinandi. Quicumque pudorem, et pudicitiam colat, nō potest aequo animo videre, nec minus audire meretriciam istarum mulierum disciplinam, neque domestica lenocinia, quibus impurae proffigataeque Lenae regem delicatae juventutis perdendo suam egestatem (ut illas dicunt) sustentare volunt.

EXSILIVM.

EXsiliū in suppliciis numeratur, quod terribile sane est illis omnibus, quibus oppidum unum circūscribi solet habitandi locus. Cum maleficio, quod aliquis admisit, nō ita grave fuit, aut seditionum pacandarum causa quis mittitur in Exsilium, id aut perpetuum esse solet, ut in omne vitae tempus Exsiliomulctatus patria exsul esse debeat, aut in duos, vel tres annos, vel sane voluntarium ad arbitrium, et voluntatem iudicis, qui hominem ejecit in Exsilium. Quandiu homines in Exsilio sunt, in quanto luctu, et squalore jacent? quanto moerore confecti vitā in miseris, et aerumnis agunt, domo familia, congressu, consuetudine amicorum, parentum suorum aspectu, et filiorum jucunditate privati? Dies quidem reductionis numerare coguntur, et restitutionem ipsam appropinquare, et adesse cupiunt: cuius postquam tempus adfuit, et ab Exsilio reducuntur, nihil illis laetius esse potest: maxime si vagabantur, et errabant, et propter gravio rem poenam inflatam multis civitatibus excludebantur, ut praescriptis locis, et regionibus exsiliū exiguis finibus se continerent nō insolentes, et appetentes liberius, et apertius vagari. Camillus ivit in Exsilium, Cicero etiam projicitur, et quocumque veniunt exsules, accipiuntur honorifice, et cōquiescere nō possunt, donec ille restituitur occasione rapinarum, quas advētu repentino Galli faciebāt, alter humeris totius Italiae comportatur tanto studio, et alacritate omnis generis, ordinis, et aetatis, ut nemo non reditum Ciceronis efflagitaverit: nemo

non sese effuderit cum conjugibus, et liberis, et ipsi Ciceroni Roma prope convulsa suis sedibus ad complectendum conservatorem suum procedere visa est.

SUSPENSIVM.

FVrti secundo damnati in crucem agi solent, mira enim sunt in civitatibus furta multorum: quae nisi suspendio vindicetur, furta, et latrocinia maxima fieri videbimus. Suspendendi igitur laqueo post peragracionem viarum, per quas induti tunica Sodalium Misericordiae, aut alba veste talarum, in jumentum impositi vehuntur, effigie Christi Iesu in Crucem sublatis, et fratribus tanti Sodalitii cum lucernis accensis praeceuntibus longo agmine deferuntur ad patibulum. Hi e carcere educuntur cum Cruce parvula Iesu Christi de Ligno pendentis, in quem intueantur, et inspiciant, quem respicere possint, et illius opem in tantis angustiis implorare: ut illis miseris suspendendis adesse velit, et veniam dare furtorum, et flagitiorum omnium vitae suae. Itaque Crucem summo studio, et religione, magno sensu ac dolore animi, saepe osculari, et ori admoveere non intermittunt. Cum vero interjecti inter duos sacerdotes religiosarum familiarum provehantur, qui hominibus hisce morituris adsint, et opem ferre possint, excitantur magnopere ad sancte praeclareque moriendum, ut moveatur animis, afficiaturque intimis admodum sensibus ad dolorem, ad execrationem scelerum in Deum admissorum. Vbi pervenerunt ad patibulum, postulata venia perversi deterrimique exempli, quod ab illo adolescentes sumere, et offensionis gravissimae, quam omnes ex sceleribus, et suis furtis suscipere potuerunt, in laqueum inferentes collum, amotis scalis, cum minus opinantur, et precationibus intenti sunt maxime, de laqueo suspensi manent, et in humeros insiliente carnifice, et adhibente vim maximam suffocantur. Illi dum animam efflant, et mortem in praecordiis

diis conceptam habent, huc illuc ferri corpus, calcitrare fures, pedibus reluctari, et contra vim gravitatemque mortis contendere, donec vi laquei, et compressione multa suffocantur: qui continuo linguam exerunt, facies livore obducitur, et foedam ac deformem figuram suscipiunt laqueo suspensi, donec de patibulo demittuntur ad sepulturam.

POENA FORCIPVM CANDENTIVM.

POena Forcipum candentium, constituitur in eos de legibus et de sanctionibus regis Hispaniarum, qui suos heros occiderunt. Quantum est, et quam lugubre spectaculum miserandi hominis? Is in carro vehitur, quem unum agit iumentum, aut duo saltem bajuli, nudatus et alligatus aspicitur ad patibulum, sed in sella collocatus ipsi admota palo, ne se commovere possit: propter quem prunaria sunt accensa penitus, et prunarum plenissima succedant, in quas inferuntur Forcipes, ut non caleant solum, sed accendantur, unde candentes extractae hominis nudis pectoribus ad supplicium leviter admoveantur: neque enim impressae penitus carnibus infiguntur ad discerpendum et dilaniandum hominem: ne magnitudine doloris frangatur ac debilitetur, aut afficiatur aliqua desperatione, in cuius periculum adduci Christianum hominem iniquum est, et ab omni pietate prorsus alienum. Atque ita ad dolorem hunc perferendum, et se ipsum doloribus Christi Iesu, qui vacuus omni culpa plura perpeffus est, et ab indignissimis hominibus, conformandum excitat et confirmat religiosi milites, qui homini tam acerba perferenti tormeta adesse videtur. Vehitur igitur homo in carro cum praeconio publico, et collocatur in sella, sed alligatus ad patibulum, ne se commovere possit, et nudatur pectora, perferens vim et ardorem Forcipum candentium. Quoniam autem duae solent forcipes adhiberi, ut vicissim illis carnifices utantur, et dum haec calefiunt et accendantur, aliae accensae et ardentes admoveantur, has modo extractas de prunis ardentibus carnifices admoveat, quibus aliae succedunt postea similiter candentes.

tes ad vellicandam torquendamque carnem: miser homo, quo modo, qua ratione potest se ipsum, humeros, et corpus contrahit, mille gestus agit, corrugat nares, comprimit labia, dentes mordet toto corpore enitens atque contendens, ut dolorem perferat ignis admoti: qui comitantur, qui praetereuntem intuentur, Deum Immortalē orāt, atque obsecrāt, ut illum robore suo, et incredibili paciētia muniat: ne desperet a maiestate et bonitate dei. Interea in mediis malis damnatus gemitus ex intimo pectore trahere, et edendo miserabiliter, et multis cum suspiriis et querimoniis acerbissimis commovere videbatur spectantium animos, ut sui misererentur omnes: neque quisquā tam ferreus ac durus erat, qui desperationem hominis non formidaret, quae est imbecillitas humanae naturae, quae vis et ardor ignis leviter etiā ad hominis carnem adhaerentis. Ille etiā maxime aspectu luctuoso, et oculis collacrumantibus alliciebat animum carnificis ad misericordiam, nec altius forcipes infingeret in carnes, nec partes ipsas a corpore distraheret atque divelleret. Ita miseriam suam, et tormenta damnatus perpetiebatur, corpus, brachia, pectora livoribus deformata, et notis forcipū inustarū puncta satis clare relinquebantur.

RAPTANDI.



In latrones grassatoresque viarum ita vindicatum est, ut in fisco sparteo inclusi, alligati ad caudas equorum per vias publicas, et visitata civitatis loca trahantur, et raptetur equis quā rapida et incitata celeritate currētibus et advolūtibus, nisi cursus illorum retardarēt homines misericordia sua: qui currere equos prohibent, et paulo velocius quam in urbana fistratione progrediendo vias consuetas transilire faciunt. Non hic homo corpus, non latus, non caput, non ullam partem corporis offendit ex concursu lapidū, in quos

in

incurrēns offensiones plurimas susciperet ictus accipiēdo gravissimos: quoniam homines adducti misericordia, cum equorum cursum remorentur atque retardent, tum manibus fiscos sparteos allevatos sustentantes a terra sublato non nihil, faciunt, ne raptandi quidquam detrimenti capiant.

ALIA RATIO RAPTANDI.

Contemplate iterum miseras raptandorum, si quemadmodum meriti sunt, et leges iubent, raptarentur nulla pietate, nulla misericordia, nulla ope, nec hominum auxilio praestito, homine dumtaxat in equis infidente, qui equos ageret quam rapido et incitato cursu, quasi mutatis ad celeritatem iumentis, tantos faciendo progressus, ut non currere, sed advolare viderentur. Ille traheret hominem inclusum in fiscos sparteos, et incredibili membrorum omnium offensione raptaret, neque ulla pars esset corporis, quae non grave detrimentum caperet ictibus tot acceptis et inflictis in corpore gravissimis, discerptae potius et dilaniatae carnes, multus sanguis profusus, et vulnera accepta fuissent, atque saepe felle ipso prius perrupto atque fracto, sparso fortasse cerebro animam ante exhalaret, quam raptandi hominis finis factus esset. Audivimus de multis, qui cum quadriiugo raptarētur, laniati et omni crudelitate lacerati fuerunt: quis enim actos equos, et flagris incitados ad currēdum, magna vi et impetu ferri coeptos sustinere posset.


DISSECANDI IN PARTES.

Spendium ea consequi solent, ut homines pro magnitudine et atrocitate delicti plures in partes dissecētur atque singulae suspendantur in aditu atque ingressu itinerū et viarum celebriorum: ut cum viatores crura, cum capita, cum

Rr par-

partes reliquas viderint affixas atque suspensas, in memoriã redigant latrocinia, et neces factas, quaeque ignominiosa et gravia statuuntur supplicia. Ita quidẽ qui poenas, quas latrones luerint, ante oculos statuas habuerint, discant abstinere latrocinii, et in homine dissecto exemplũ cõstitutum habeant cavendi vitae suae: ut qui metu Inferorum in officio contineri nequeant, acerbitate et ignominia suppliciorũ a flagitiis avocentur: nam qui facta aliorum turpia imitantur, eorũ exitus miserabiles perhorrescere debent.

COMBURENDI.

 Vi tam perditã et flagitiosa libidine fuerunt, ut similes Sodomitarum adversi sint et aversi libidinosi, eorum corpora cõburenda leges et jura sanxerunt. Hi post vias urbanas peragratas, et poenã comburendi corporis, et causam subeundi supplicii praecõnis ore praedicatam in campos extrahuntur, in quibus pyra multo jam ante facta mirae magnitudinis cernitur, et a terra excitata multum admodum, ex virgultis, ex ramis, ex arbutulis, et ex lignis aridis, atque sarmentis cõstructa: quae omnis materia facilis est ad ignem concipiendum. Postquã suffocatur homo comburendus, undique sarmenta circumdata admotis ignibus ardere incipiunt flammis in sublime sese ferentibus, et ardore mirabili conflagentibus, crepitu multo et stridore favillarum, quae rapidae et concitatae huc et illuc vento diversae et disiectae feruntur, et tanto plerunque fumo excitato, ut aëris magna pars, et regio finitima tenebris et caligine densa nimis obscurentur, et quam brevissimè cadaver, quod ad palum alligatum relinquitur, in cineres redigatur. Cum corp' istius, qui praepostera libidine usus est, cõburatur, tum bona proscripta in fisci potestatem veniunt, atque filii, si duxerat uxorem, infames in perpetuum facti ad nul-

nullos honores, neque ad dignitates reipublicae possunt ascendere ut eorum memoria oblivione sempiterna deleatur, quib' nihil luxuriosius, nihil libidinosius esse potest: qui ea in corpore suo admiserunt, quae praepostere, quae mostrose suscipiuntur: qui se libidini aliorum quasi pecudes intemperantissimae contra jus humanum atque divinum, contra naturam ipsam contrariam et infestam cõsuetudini perverfae atque praeposterae subjecerunt. Atque idem supplicium fumitur de retro et execrabili genere hominum, qui cũ brutis animantibus corpora sua commiscuerunt intemperatissime. Idem denique supplicium constituitur in desertores Fidei, et in reos Divinae violatae Majestatis, de quib' exercitatio separatim suscipienda videtur.

POENA FUGITIVORVM.

Servis, qui fugerunt, ut fuga, aut occultatione abditi nusquam apparerent, ad dominum reductis, quia fustuarium meruerunt fugientes, dominus fustim impingere solet post hujusmodi fugam: quia in fuga erant, aut dare se in fugã parabant, vel jam effugerat, et nisi capti interclusique fuissent, postquã semel se in pedes conjecerunt, nisi reperirentur, amplius in dominorum conspectum nunquam venire constituerant. Quo magis istorum fuga, ut flagitiosa fuit, sic calamitosa et ignominiosa sit, intuere faciem istorum, frontem, et ora puncta notis Threiciis, et stigmatibus inusta ferri turpissimis: ut quacunque incedant, notas et vestigia scelerum suorum impressa ferant, si se incertae et periculosaefugae dederint. Ita saepe turpissima fuga servorum nequissimorum cum parabatur et ornabatur, retardata fuit atque repressa.



PARRICIDAE.

PRudentissima civitas Atheniensium, dum ea rerum posita est, fuisse traditur. Ejus porro civitatis sapientissimū Solonem dicunt fuisse eum, qui leges, quibus diu usi fuerūt, scripserit. Is cum interrogaretur, cur nullum suppliciū constituisset in eum, qui parentem necasset, respondit se id neminem facturum putasse. Sapienter fecisse dicitur, cū de eo nihil sanxerit, quod antea commissum non erat: ne non tam prohibere, quam admonere videretur. Quanto Romani sapientius, qui cum intelligerent, nihil esse tam sanctum, quod non aliquando violaret audacia, suppliciū in Parricidas singulare excogitaverunt: ut quos natura ipsa retinere in officio non potuisset, ii magnitudine poenae maleficio summo vererentur. Romani insui voluerunt hujusmodi reos in culeū vivos cum vipera, simia, gallo gallinaceo, et fele, atque ita in flumen dejici. Parricidā ex rerum natura sustulisse visi sunt, cui repente Caelum, Solem, Aquā, Terrāque ademerunt: ut qui eum necasset, unde ipse natus esset, careret iis rebus omnibus, ex quibus omnia nata dicuntur.

PATIBVLVM AD SVSPENDIVM.



Quia mos est acceptus in omnibus populis et civitatibus Hispaniarum, ut in quo loco maleficio quis admiserit, in eo de ligno aliquo suspēdatur: Patibulum ad exemplum jugi antiquorum, sub quo hostes bello devicti mittebantur, sive in platea, sive in via publica exstrui solitum est duobus dumtaxat lignis in terram defixis, inter quae tantum spatii interjectum sit, quātum solet intercedere, octo vel decem passuum, et una trabē transversa, et desuper deligata, vel clavis affixa, ex qua fures suspenduntur.

P A

PATIBVLVM ASTIGITANVM.

Patibulum Astigitanum vulgo jaētatur, ita tritum ac perulgatum, ut quasi proverbio locum dederit, quoties hominem jubemus in malam rem abire, et laqueo se suspendere: abi in Patibulum Astigitanū. Istud enim sermonibus hominum percrebuit vetustate concelebratum Patibulū propter speciem et aspectum praestātissimum. Factum autem est a terra editum et excelsum, multis gradibus circumdatum, a quorum summo Patibulum ex lapidibus excitatum sese effert mirae crassitudinis et altitudinis maximae: summum in circuitu habet leunculos, de quibus homines laqueo suspendendi sunt.

POENA PRODITORVM, ET REORVM LAESAE MAJESTATIS.

REi Perduellionis, laesae Majestatis, et Proditores reipublicae capite mulctantur, quod a cervicibus praecisum palam in foro affigitur in oculis, et clarissima luce mortaliū: aedes vero evertae, et solo adaequatae sale sparguntur procriptione facta bonorum omnium, opes omnes atque fortunae, quibus dejecti sunt et privati, regiae Majestati addicuntur. Itaque maculis dedecoris et ignominiae notatissimi homines notas et vestigia suae proditoris reliquerunt atque perfidiae detestandae in omnem saeculorum memoriā. Hoc crimine multae veteres et illustres familiae, quae semper flourerunt, et flourerent in omne tēpus, conciderunt miserrime principibus sui generis conspirantibus in Majestatem Regiā; aut ut suspicio erat ad defectionem spectantibus: qui si in officio et fide permansissent, quam a majoribus acceperāt, gloriam retinerent, neque posteritatem suam turpi proditoris nota in tantos luctus et miseras conjiciendo perpetua labe

R r 3 tur-

turpitudinis et infamiae, quam nullae gentes, nulla posterorum aetas eluere posset, aspergerent. Tantum in proditores supplicium constitutum, et ad posteritatis memoriam proditum est. Atque poena pervenit ad liberos, et ad posteros, qui cum nihil mali fecissent, nihil meruisse videbantur.

POENA HASTATORVM.

Quae poena illa, quae non procul ab exilio, et a morte ipsa abesse visa est? quae necessitatem affert equitibus proficiscendi in praesidia, et secum gerendi et alendi Hastatorum numerum praefinitum in bello, quod adversus hostes Religionis Christianae geritur, aut arcem aliquam defendendi in finibus Maurorum sitam, in illa commorando nonnullos annos, et se, si quando obsideatur, inferendo in periculum et in discrimen amittendae vitae. Hae poenae expetuntur ab hominibus, Madauræ consistentibus ad annos aliquot, aut in alia arce objecta Mauris, aut Turcis hostibus Religionis Christianae terribis.

POENARVM CONSTITVENDARVM ratio.

E Numeratis poenarum diversis generibus, quemadmodum hae constituendae, sint ostendamus. Poena, quae damnationem consequitur, tristis est, et praeter eventus, qui sequuntur, per se quidem maxima: quare cavendum est in puniendo, ne major poena, quam culpa sit: nam in animadversione poenam duriorē esse leges ac jura reclamant. Ad hanc judex cum accesserit iratus, nunquam mediocritatem illam servabit, quae est inter nimium, et parum. Satis poenarum illi dederunt, qui legum poenas subierunt. Non poenam domestici sanguinis ac familiae expetamus, propinquos in reorum poenam expetendo: neque dupli poenam subeat, qui minore mulctatur: satis sit

fit reos luere poenas ac sufferre, quas leges et jura sumunt: ne plures et graviores homines in judicium adductos nostra perveritate suscipere ac sustinere patiamur.

CONVENTVS AD PRINCIPEM accipiendum in Regem.



A Diversis temporibus descriptis, ad feliciora veniamus Regum et Imperatorum, et conventus ad Principem accipiendum in Regem describamus. Concilium regni totius indici solere, atque omnes Magnates regnorum Hispaniae totius, et Procuratores omnium civitatum evocari ad Principem accipiendum in Regem, omnium, qui praesentem exhibitionem legerint, satis certo scio ignorare neminem. Templum pretiosis, et auro fulgentibus adornatum esse peristomatibus, tabulatum excitatum, et tapetibus stratum sericis, floribus, violis, ac rosis sparsum, aras apparatusimas, magnificentissimeque vestitas, auri nitore collucere clarissimo, cereis collucentibus, et lucernis flammaram stridentium ardore nitere necessarium erat. Atque accedere oportet Archiepiscopi vel Cardinalis alicujus rem divinam facturi cum majestate summa magnum splendorem, et decus Regia Celsitate dignissimum. Videmus facellum ipsum abacis auro et argento distinctis illustrari mirum in modum, parietes omnes gestire Regis accipiendi hilaritate quasi perfusos, gratulari ecclesias omnes crebro jucundoque sono cymbalorum, atque terram ipsam crepitu bombardarum plaudere tate diei celebritati. Novimus magnam esse multitudinem, magnam omnium generis hominum, ordinis, atque aetatis concursum, adesse Procuratores civitatum, atque omnes pro antiquitate sua considentes Praefatos et Magnates regnorum, ut cuique fortasse locus obvenerit

nerat, ita illū sine offensione cuiuspiā occupari, mutuis sibi pri^o officiis praestitis, quae splēdidi homines in Aulica semper munditia et elegantia nati, semperque versati tribuere consueverunt. Cum vero Princeps his omnibus ordine singulari praeerantibus in templum deductus esset, medius inter Regem potentissimum, et Infantem, aut Imperatricem cellissimam interjectus cōsidebat. Fit sacrum ritu et caerimoniis Ecclesiae sacris atque solennibus a Cardinali Toletano, cujus religione rite procurata, atque ipso Principe, et Rege, Infanti, et Imperatrice Pane caelesti refectis reliquum jā erat, ut cujus rei causa omnis illa cōvenerat multitudo, praesensque praebatur spectaculum, ad ejus studium celebritatemque se omnes converterent corporibus, et animis intenti. Surrexit statim doctissimus homo et eloquentissimus, et in medium theatrum procedens habuit luculentam orationē, plenam ornamentorum eloquentiae, plenam dignitatis et sententiarū. Atque ille multa coepit verba facere de fide, deque iusiurando, quod omnes debuissent dare Principi in Regem accipiendo, et cujus rei causa ex omnibus civitatibus et oppidis Hispaniarum evocati convenissent. Haec ubi peroravit, quidam factorū Antistes assurgens, et Librū, qui Evāgelia et Sacrorum rationem continebat, aperuit, et in medio Libro auream Crucē imposuit: deinde cū Libro ad Principem haeredem regnorum accedens ei dixit, ut manu Crucem tangeret: cum ille verbis praeiret, Princeps pulcerrimū et sanctissimum iusiurandum dedit sese devinciens atque constringens ad jura populis administranda, ad libertatē reipublicae conservandam, omniumque saluti summa contentione consulendum. Omnes statim Principes libentibus animis atque laetantibus jurarunt Deum Immortalem, et Crucem eandem manibus tactam se Philippum Principem pro vero et legitimo suorum regnorum successore habituros esse; ejus imperio semper obedientes futuros, pro ejus amplitudine et dignitate pugnatos. Magnatibus omnes procurato-

res

res, successerunt, et eadem se iusiurandi religione constringētes, fidem suam dederunt Principi. Omnes autem dato juramento, ut primi juraverant ordine suo ad osculandas Principis manus accesserunt. Ita dimisso concilio Princeps reducit in palatium, qua pompa, quo splendore deductus fuerat: ubi mensae jam paratae fuerant et instructae ad ineundū, concelebrandumque Regali splendore cōvivium apparatussum.

CORONATUR CAROLVS HOC

nomine Quintus Imperator Romanorum

et Hispaniarum Rex potentissimus.



Instituam honorē Imperatoriae coronae Carolo hoc nomine Quinto Romanorū Imperatori, et Hispaniarum Regi potētissimo Bononiae a Summo Pontifice Clemente Septimo in sancti Petronii delatum, et instituā ab ipsis Ecclesiae caerimoniis, multa alia, quae antecesserunt relinquens: quibus incredibiliter nostra descriptio cresceret. Primum ingredienti ecclesiae valvas Imperatori occurrerunt Canonici ecclesiae Sancti Petri, quem in collegium suum cooptantes ei statim vestem ex albenti lino nive candidiorem iniecerunt. Paululum cum progredetur, vix duos aut tres passus, accedente Cardinali quodam fidem et iusiurandum Ecclesiae Romane defendendae, tuendaeque Potificiae libertatis dedit. Atque ab eo loco, ab ara scilicet, in qua juravit, Imperatorem duo Diaconi Cardinales ad valvas ecclesiae maximas reduxerūt: qui medius inter hos duos Cardinales interjectus cum in genua procumberet, supra caput leviter demissum Cardinalis alius id temporis appropinquans summissa voce nonnullas preces recitavit: quibus absolutis apprehensa manu deduxit in sacellum Beato Gregorio sacrū, ubi administri superpellicio exuerūt Imperatorem, calceosque induxerunt in foccorum, aut in peror-

S s

num

num similitudinem, atque totos gemmis et margaritis infiniti pretii et aestimationis sparfos, et graves admodum splendidissimarum immani pondere gemmarum, quibus gestandis atque perferendis non mediocriter Imperatoria Majestas laborabat: supra dalmaticam, qua communiter utitur in oede canonici, pallam induerunt. In hunc habitum atque formam, aperto capite, in medium exiit templum in illum usque locum, ubi concha est ex porphyrite, illius, quae est in Divi Petri, non dissimilis. Id loci quintus jam Imperatori Cardinalis adest, quem genibus nixum, et ad aram maximam conversum oratione non minus eleganti, quam longa imperium, et vitam, et incolumitatem Christo Iesu quam intenta voce commendabat. Precabatur ille suppliciter atque demisse, ut stabile, placatum, quietum, et tranquillum redderet imperium, pietate ac religione clarissimum, et victoriis de hostibus reportatis insignae. Post preces sublevatus Imperator litanias sanctorum instituente Cardinali, et cantoribus suavissima modulatione prosequentibus aram petiit maximam, quas flexis genibus supra pulvinar aureo elaboratum filo, cubitis innixus, lecto tapete similiter aureo strato, prono decumbens pectore, summa audivit religione. In quarum exitu Cardinalis Campegius ad illum recta veniens papyrus de sinu protulit in publicum et in illa descriptam orationem recitavit, quanta potuit voce, ut audiretur ab omnibus, plenam pietatis, plenam religionis eximiae: quam absolvente Campegio Cardinalis Fernesius (et ecce tibi jam septim^o adest Cardinalis, atque is collegij Decanus, et Patrum Purpuratorum antiquissimus) Caesarem manu sublevans detulit in sacellum Beato Mauritio dicatum: et cum illum dalmatica, pallaque exuisset, et brachia nudat, et humeros, atque Oleo ungit sacro adhibens preces, et orationes hisce temporibus praestitutas: quas cum absolvisset, tiliarum, organorum, et omnis generis instrumentorum caelestis atque divina suavitas spectatorum aures

com-

complevit et animos. Quibus jam silentibus sacrificium redivinae instituit cantorum mirifica concinente modulatione Succentor, ad quam Summus Pontifex, et Imperator Diaconi, et unus Cardinalis Subdiaconi officio futuri vestibus induti usitatis prodierunt in ecclesiam. Ita sensim, et adeo summa cum pompa res divina decantabatur, ut nunquam exitum habitura videretur, et mora temporis longissimi nemo non defatigandus videretur, sed magnitudo miranda spectaculi praesentis, et eorum, quae visenda, spectandaque mortalium animis obversabantur, sensus omnes, animosque pascebat: ut neque quisquam finem afferri cuperet, neque excedi tempus expectaret. In sacrificii progressu, ut Pontifex redivinam prosequeretur, haec, et alia Caesariae Majestati insignia deferebat, novos semper ritus, novasque caerimonias adhibens. Ad imperii sceptrum de manu Pontificis accipiendum utrunque genu flexit Imperator: atque illud Pontifex in manum tradens, ut alia praeteream, hujusmodi verba fecit Imperatori, atque ipsum quam indulgeter nomine compellans. Cape, inquit, Sceptrum ex auro purissimo factum, ad orbis terrarum regimen et clavum summa cum pace, et aequabili jure, ac sanctissimis legibus tenendum. Cum gladium detulit, cape, ait, gladium districtum in hostium Christianae Fidei jugulis infigendum. Cum traderet globum, et mundum aureum cum Cruce, quae in summitate recta atque praecelsa visebatur, cape, dicit, mundum in tuum imperium potestatemque redactum, moderare, gubernare pietate, constantia, virtuteque singulari. Denique cum ad diadema pretiosissimum, eximio et illustri gemmarum fulgore clarissimum, et orbe duplici confectum, imponendum capit tanto cum plausu et acclamatione venisset, multa Caesari excelsa et admirabilia, quae ad propositum maxime pertinebant, Pontifex dixit. Caesar autem continuo ingenua procumbere, sese demittere visus est, et abjicere ad Patris Sanctissimi pedes, et illos quam humiliter

S s 2 ac

ac demissa osculari: erigere se paulo post, stare recto corpore, multi Cardinales accedere, ille pallium, alter Tunicam Imperatoriam, totā auream, et Augusta Caesaris Majestate dignissimam, lapidibus pretiosis sparsam atque distinctam injicere: deinde in sella ad latus Pontificis sinistrum statuta, auroque obducta pretiosissimo Pontificia paulo inferiore collocatur. Comites illico Marchiones, Duces, Magnates, et Proceres regnorum omnium, qui id tēporis Imperatori coronando interfuerunt, usu et consuetudine vetustissima, ex ordine suo ad Imperatorem accedunt, et officium justum ac debitum Imperatoriae Majestati praestabant nomine et honore Romani Imperatoris afficientes. Puncto temporis cū ad Ducem Antonium de Leiva, qui tunc in platea cum delecto militum robore, dispositis atque paratis aeneis tormentis, sclopis, caeterisque machinationibus bellicis collocatis exitum celebritatis exspectabat, Imperatorem coronatū esse celeriter advolantes nuntii detulerunt, omnia aenea tormenta displosit strepitu et fragore terrifico, sublatis militum et multitudinis adeo clamoribus in caelum, ut ruere terrarum, et caelorum machina velle videretur paventibus et stupentibus cūctis mortalibus: ut prae strepitu neque se audire, neque prae summa caelum caligine circumfundente crassissime se videre ullo modo possent. Strepitu fragoreque represso tormentorum surgit de sella Pontifex sacrum persequuturus: qui cū ad consummationis partem pervenisset, hostiā partitus est Pater Sanctissimus, et Imperatori jam expiato per confessionem et eluto partem dimidiā impertiit. Quae reliqua in exitū usque sacri consequuntur, non minore splendore, nec apparatione minus visenda praestita fuerunt. His omnibus rite procuratis omnes exire incipiūt de tēplo Proceres, et Heroes reliqui, atque in equos suos, quos retinuerāt per illud tēpus in platea famuli dominos exspectantes, ascendere. Atque duo terrarum orbis Maximi Potentissimique Principes manibus apprehensis progrediūtur in triumphan-

tium

tium habitum atque similitudinem, uterque, ut fortunam, et Majestatem tantam decebat, capitibus coronatis, Imperator cum soccis, et pallio, quae non parvum illi laborē afferebāt, pondere et gravitate sua. Pontifex in equum albentem, in alterum similiter album Hispaniensem Imperator ascendit, et in umbellam uterque receptus. Tandem aliquando agmen deduci coeptum est omnium celeberrimum et splendidissimum, quae post natos homines spectata sunt, aut ulla saeculorum memoria spectabuntur. Nihil hunc est necesse musicae, et omnis generis instrumentorum suavitates, et modulationes amplificare describendo, quae cum cantorum modulationibus, et suavitate tibiaram, et varietate sonorū, cū omni concentu et harmonia, quam aures humanae percipere possent, plausus et acclamationes faustae, admirationes spectatorum perspicuae numerari non possunt. Viae, fores, fenestrae, Memiana, tecta domorum praecoccupata, cōfertissima spectatoribus multitudinem virorum, atque mulierum capere non poterant. Omnes sese effuderunt mulieres, natura pudentissimae honestate se continere non poterant, ut quaeque splendidissimae lectissimaeque matronae, locū ita celebriorem et illustriorem praecoccupaverāt. Aulacis pretiosissimis, splendidissimisque parietes cōvestiti nitebant. Quid multa? Omnis ornatus, et splendor, quo nitebant et illustrabantur omnia, ex eo conjici potest, quod illa civitas locupletissima, et opulentissima reliquarum Italiae sit, atque in illā omnes Italiae Proceres, et aliarum Magnates provinciarum, aliorum praepotentes Principes regnorum concurrerant. Itaque in hanc urbem id temporis suam supellectilem, suas vestes, aulae sua, suum omnem splendorem, Gazam, magnificentiam certatim visi fuerant contulisse. Cum Summus Pontifex in equum vellet ascendere, manum injicere stapedae tetraivit Imperator: non id passus est Pater Sanctissimus. Praebant primum famuli, administri, familiares Cardinalium, et Pontificum, illis proxima Romanorū vexilla cursorū praec-

Ss. 3. cel-

celsa praeferebatur: quibus propinqua septem signa similiter
 sublata consequebantur: atque vexillū in signe, ferebat He-
 ros Maximus, eques, et omnibus insignitus armis, ingēti pue-
 torum, atque famulorum pedestrium grege stipatus. Primum
 vexillū portabat Angelus Vanuzius, una littera libertatem
 praedicante decoratū, secundum Iulianus Caesarinus effigie
 Capricorni, quae sunt insignia Romanorum, et litteris per-
 vulgatis, toto vexillo insigniter apparentibus. S. P. Q. R.
 Pars autē progrediebatur Nobilis Ioānes Manriqui^o, et ad
 illius sinistra Horraeus Flāder, ille cū albenti signo Crucē o-
 stētate rubrā, alter cū Aquila argentea et Imperatoria. Haec
 vexilla sequebatur Signū Pōtificis, et Arma generis et fami-
 liae suae, Clavēs Sāctae Romanae Ecclesiae. Vltimū erat sig-
 nū Sāctissimae Bullae Cruciatæ, quae jā concessa fuerat in
 hostes Religionis Christianae deterrimos. Haec ultima tria
 deferēbā Leonetus Sidicinus, Ludovicus Rāgonius, Laurē-
 tius Ribus, Duces stipatorū Romani Pōtificis armatorū. Cō-
 sequebantur equi, manni tollutim vestigia glomerātes, equi
 Britannici, equulei, albi plurimi, et diversis coloribus notati,
 maculis distincti venustissimis, qui Pōtifici prodeūti in pu-
 blicū praere solēt, omnes ephippijs strati pretiosissimis, et or-
 natu diverso, ostro fulgētes, et sericis, et aureis tegumētis ob-
 ducti: inter quos interjecti erāt quattuor pueri pulcerrime ve-
 stiti, et Principū filii clarissimorū, singuli Cardinalū pileos, et
 galeros ex ostro fulgēti factos, fasciis, et floccis ex auro puris-
 simo, decora, et ornāmēta notissima, de hastis sublimib^o pē-
 dētes gestabāt. His proxim^o procedebat equuleus Britanni-
 c^o gerēs Corp^o Assertoris nostri sub umbella aurea splēdidis-
 sima; in crystallinū Sacrariū inclusū, ut oculis omnīū vi-
 deri posset, et ab occurrētibus adorari: quod ille cōportabat
 adeo paulatim seipsū quasi respiciēs, tāta pōpa in incessū, ut
 Majēstatē ipse Creatoris sui, totiusq; mūdi fabricae Opificis
 et Anchirecti. Celsitate infinitā perfētire videretur. Hūc cin-
 cūstēbāt duodecim funalia ex cera cādida facta, flāmarū ar-
 dore frigidētia. Sanctissimū Christi Iesu Corp^o a tergo seque-
 bantur

batur equites innumerabiles nullo nomine, neque dignitate
 elari, ut quisque se in pōpam illā inferre potuerat, quorū ne-
 mo collucebat. inferiore vestitu, quā ostrino, serico, vermicu-
 lato, fimbriato opere facto, et alijs picturis variato dissimi-
 libus, ut quem, propter splēdorē et ornatū aspiceret postissi-
 mū, sciret nemo. Videre erat postea Heroas, et Dynastas His-
 paniarū clarissimē magnificentissimēque ornatos, inter quos
 splēdore, magnificentia, sumtu, spectatorum oculos in se cō-
 vertebat Marchio Astorgenis. Hujus, (ut reliquum ornatū
 omittam) toga talaris magnificentissima ex aurea tela mul-
 ticiplici intertexta filo, multis sparsa gemmis, et margaritis
 illuminata fulgentibus, cūctorum hominū oculos suo splē-
 dore perstringebat. A Marchione secundi numerabantur in-
 ter egregios et elegātes, atque omnium oculis aspiciēbatur
 Dux Scalona, et Comes Altamiranus, qui paucos ante dies
 muneribus ac praemiis donati magnificentissimis de specta-
 culis excefferunt. Cum illis progrediebantur Dominus Ini-
 gus Mēdocius, Comes de Saldaña, Nobilis Petrus Toledo
 Marchio de Villafrāca, hic Ducis Albani, alter Infantat^o Du-
 cis filius: quibus cum ibant Comes de Aguilar, Frācisus de
 Cobos, qui a secretis Imperatoris erat, et in intimis numerat^o
 prae cūctis hominibus, qui nostra memoria, opibus ac facul-
 tatibus amplissimis studio et industria sua crevit, florens ac
 fortunat^o: qui suā fortunā florētē ad tantā amplitudinē per-
 duxit, ut filios, et posteros suos privatus antea homo relique-
 rit Marchiones Camarēses, et Praefectos Caçorlenses. At-
 que hic praetermitto pulcerrimā abūdātis hominis supellec-
 tilē, vasa pretiosissima, vestes ornatissimas, domestica de-
 cora et ornāmēta, quae post mortem suam in celebrioribus
 Hispaniarū oppidis voci praeconis subiecta venierunt. Ex
 Flandris Præceribus multi singulares numerabantur, quos
 libēs praetereo, quia nobis noti nō sunt, quia lōgum esset, et
 infinitū illos persequi. Praetereo eisdē de causis Italos Prin-
 cepts, et Duces Potentissimos. Equitibus jam, et Principibus
 prospectis cernebatur singulorum Legati regnorum, et Re-


rum publicarum Christianae Religionis ditionibus subiectarum: quorum splendorem eximium, et illustrem obscurabant confestim consequuti Cardinales pileis, et galeris fulgentibus ornati, amplissimis vecti mulabus, ostro similiter fulgenti coopertis. Visebantur tandem aliquando post tantam celebritatem, atque pompam, post tam inauditum splendorem, atque claritatem inusitatam duo Maximi terrarum Principes sub umbella, quemadmodum praedixi, procedentes, et ambo coronati, ut nescires in quem potius oculos cogereres, in Patrem Sanctissimum, in illius canos observados admodum, et in longiore et demissam in pectus usque barbam, an in formam Imperatoris spectata, in tantam pulchritudinis specie, et decore humanae dignitatis admirabile. Gemmae diadematum, et carbunculi speciosissimi sic longe lateque micabant, ut oculorum aspectum hebetem, et obtusum reddere suo splendore videretur. Progrediebatur tanta corporum pompa, tanta tamque Praeclara Majestate, ut in uno Imperatoria Majestas, in altero Pontificia plane cerneretur, atque in utraque augustissima celsissimaque presentia Majestatem omnes se intueri ducerent: quam augebant equorum aspectu suorum, et elatione, quam prae se ferre videbantur, et ostentare in ornatum quasi suum et elegantiam intuentes, et crebra corporum jactatione, non infrequenti conversione laterum. Paulo ante umbellam ibat Marchio Monserath in formam similitudinemque triumphantis cum aureo diadema in capite, et in manibus cum sceptro Imperatoris. Dux Franciscus Maria de Montefeltro Praefectus Romanus proximum tenebat locum purpura fulgenti ornatus cum pileo admirandae formae, et in illo cum Cruce collocata taeniis in similitudinem earum, quae Pontificum tiaras exornant, a tergo pendentibus: qui in dextra gladium gerebat eyaginatum. Propter Hiem Philippus erat Comes Palatinus de Rin, fama ac nominis celebritate notissimus propter robur et invictam fortitudinem, qua Viennae Solimani furentes

tes impetus sustinuit ac propulsavit. Ornatus erat ostrina toga praelucenti, cum manicis visendis valdeque constrictis, et cum albo in capite pileo, pellibus Arminorum, in Tuscorum morem atque similitudinem cum aureo mundo in dextra. Non inferior sequebatur Saboianus cum vellere in manibus speciosissimo, gemmis toto limbo sparso collucentibus ad diadema de capite Principis utriusque tollendum, vel imponendum, cum unus, aut alter iussisset aliquando more Pontificum solenni ritu sacrificantium. Circuibat Pontificem, et Imperatorem Quaestor Aerarius nummos argenteos et aureos de oculis plenissimis confertissimisque multitudini spargens Imperatoris imagine signatos. Post umbellam Pontifex, et Imperator cubicularios singulos deferabant atque Medicos: postea accedebant Praefules multarum ecclesiarum presbyteri magis noti, et valde singulares: denique longissimum agmen in custodia corporis positi claudebant stipatores armati. Cum vero duo hi terrarum Principes ad bivium, quod in duas vias spectabat, pervenerunt, praestitis sibi mutuis officiis discesserunt: Pontificem, qui ultro voluerunt, comitati sunt in palatium. Imperator cum pompa reliquum iter persequutus est, in Beati usque Dominici, in Lateranensis usque Ioannis: cui Canonici obviam processerunt, atque Caesarem tantum de equo desilientem acceperunt, et caerimoniis statis atque solennibus superpellicio induentes in collegium cooptare suum. Qui quasi unus de collegis templum oratum adiit, atque ibi gladium deposcens, ut mos fert et inveterata consuetudo, postquam humeris feriens aliquos de praesentibus equites armavit, in equum resiliit, et diverso itinere, atque Pontifex contenderat, in palatium tandem jam jam imminente nocte pervenit: ubi stratos lectos videres, et ad praedia ornatos magnificentissime. Ingressus statim est Imperator in palatium Cardinalis Hippolyti de Medices ad exuendam togam gravissimam, atque soccos praepondere gemmarum non minus intolerandos. Exiit ip-

se ad prandendum in publicum vestitus aurea toga leviore, et aliquantulum sedit a tanto diei labore requiescens. Iniit tandem Imperator prandium apparatusissimum, et omni ciborum varietate structum, imperatorio apparatu et magnificentia celeberrimum, tiliarum cantibus, et humanis vocibus, reliquisque diversi generis modulationibus tota civitate personante. Lectus erat Imperatoris supra locum a terra multum excitatum magnificentissime stratus: qui portaverant insignia, paulo inferius Principes nominati prandebant in oculis et in conspectu Imperatoris. In palatiis aliis caeteri Proceres, atque Duces decubuerunt. Expeditis jam mensis gladium postulavit Imperator ad alios equites armandos; quem cum Dux Cerbinus minus caute traderet in manum, ille fertur cecidisse de manibus, atque ex ictu gemmas, quibus distinctus nitebat, multae ceciderunt, et toto fuere dispersae dissipataeque palatio. Atque haec est brevis quaedam magnificentissimi, et post hominum memoriam inauditi summa spectacula: cujus magnificentiam tacite contemplanti illa quidem voluptatem afferent, et admirationem maximam. Quantum enim habet honoris ingressus ille primus in templum, et obviam progressi Cardinales? quid in aditum templi perhonorifica reversio? quid receptus Imperator in ecclesiam a tot ac tantis Cardinalibus? quid deductio? quid progressio? quid in concham usque accessus? quid vestium varietas et ornamentorum tanta mutatio? quid medio inter alios Cardinales progredienti venire obviam unum et alterum? quid tiliarum cantus? quid cantorum modulationes? quid preces adhibitae? quid precationes recitatae? quid exire vestitum Caesarem in ecclesiam cum ipso Vicario Iesu Christi? quid sacrum tanta religione decantatum? Quid illius sacri solennesque ritus? quid sceptri, quid gladii, quid mundi, quid globi traditio? Quid capiti diadema impositum? quid verba, et sermones a Romano Pontifice habiti? quid laudes, et honores tributi? Quid tot Prin-

Principum aspectus? Quid spectatorum concursus? Quid Principum singulorum accessus ad Imperatorem, et gratulationes accepti Imperii? quid diademate jam imposito Romani Imperii vehi per urbem? ab hominibus aspici coronatum? tot praesire Proceres, tot Marchiones, tot Duces, tot Principes diversorum maximeque florentium imperiorum, tot Praesules ecclesiarum, tot Patres Purpuratos? Quid praeferritantum apparatus, tot insignia? audiri tantum strepitum? videri effusiones tam incredibiles? non urbem solum Bononiensem, sed orbem terrarum universum suis quasi sedibus convulsam in huiusce diei celebritatem coisse videri? Quid armari toties equites? Quid in publico caerimonis aulicis praedere aures cantibus dulcedinis ac suavitatis mirificae personare mortalium? Quid denique tota pompa non plena visa est admirationis atque stuporis inauditi? Omnia sunt ejusmodi, quibus ex rebus nihil est, quod non Imperator invictissimus gloriosum intueri, quod non referre ad gloriam nominis immortalem possit.

T t 2





CHRONOGRAPHIAE

LIBER QUINTVS.

TEMPORA HOMINVM DIVERSA
a Conceptione sua.

CREATIO HOMINIS.



IN VLTIMAM partem hujusce voluminis reservavi diversa mortaliū minime praetereunda tempora: Atque ab illo puncto tēporis, cum in utero materno cōceptus est ille, placeat, ut ordiamur. Qui cum ex nihilo a Deo Optimo Maximo formatus fuerit, ex limo et argilla factus, quantum Creatori suo summoque parenti Deo debet? Si nihil minus hominis est, quam non respondere in amore iis, a quibus provocere: cuius tanta feritas et immanitas erit, quem multitudo et magnitudo beneficiorum divinatorum non magnopere devinctum cōstrictumque teneat? Atque in homine creando, quae tacitis animis complecti possumus? Primum ex nihilo nos Deus homines finxit, et cum primum hominem, ex limo et argilla finxisset, nos interventu parentum nostrorum, illarum opera et consuetudine formavit: atque in corpus effectum animum immortalem tanquam in receptaculum inclusit ef-

fin-

figens illum ad speciem et ad similitudinem Mentis Divinae. Non Deus stipite aut truncū, non animal totius rationis expers, non bestiam aut feram immanem nos voluit nasci: sed homines corpore et spiritu constantes. Homo autem animal est providum, sagax, multiplex, acutum, memor, plenum rationis et consilii, praeclara quadam ratione generatum a Supremo Deo: solū est enim ex tot animantium generibus, atque naturis particeps rationis et cogitationis: cum caetera sint expertia. Quid illud, quod hunc hominē ab ipso Deo non solum celeritate mentis ornatum aspiciamus, sed etiam sensus tanquam satellites attributos, ac nuntios, et rerū plurimarum obscuras, et necessarias intelligentias, quasi fundamenta quaedam scientiae, datas fuisse videmus, et figuram corporisabilem et aptam ingenio humano? Nam cū Deus caeteras animantes abjecisset ad pastum, solum hominē erexit, ad caelique quasi cognationis, domiciliique pristini cōspectum excitavit: tum speciem ita formavit oris, ut in ea penitus reconditos mores effingeret. Nam et oculi nimis arguti, quemadmodum animo simus affecti, loquuntur: is, qui appellatur vultus, qui nullo in animante esse praeter hominem potest, indicat mores. Omitto opportunitates habilitatesque reliqui corporis, moderationem vocis, orationis vim: quae conciliatrix est humanae maxime societatis. Illud sane regium et excelsum est, quod hominem Deus praefecerit omni generi rerum, et animantium, et eidem supra rerum omnium multitudinem et diversitatem imperium et potestatem detulerit amplissimam. Itaque ille in terris magna cū potestate et imperio versatur. Ad hominum commoditates et usus tātam rerum ubertatem Deus largitus est, ut ea, quae gignuntur, donata consilio hominibus, non fortuito nata videantur. Neque solum ea Deus impertitus est, quae frugibus atque baccis, terrae foetu profunduntur, sed etiam pecudes: quod perspicuum sit, partim esse ad usum hominis, partim ad fructum, partim ad vescendum procreatas. Atque in-

It 3, de


de artes innumerae repertae sunt docete natura, quam imitata ratio res ad vitam necessarias solerter consequuta est. Quod si pariter carissimos habere debemus, a quibus geniti et suscepti fuimus in hanc lucem: quanto magis Summo Praepotenti; Deo summo obstricti, qui princeps est et auctor huius beneficii, bonorum omnium, tantae praestantiae, et humanae dignitatis. Atque illud, quidquid est, quod summo, id totum a Deo profudit atque manavit, cuius sine beneficio summo nihil modo esse semus, non in rerum natura, non in hominum numero versaremur: nisi nos Deus Optimus ac Maximus finxisset. Neque nos lapides mutos, non bruta ad partem abjecta, non herbas, aut plantas, non quidquam eorum, quod nullam rationem neque intelligentiam habet, sed homines tantis donis ac muneribus instructos et ornatos formavit.

BENEFICIUM CONSERVATIONIS.

QUAM conservationis memores beneficii debemus esse, qui non solum creati, sed conservati sumus a Deo Optimo Maximo, quis non intellegit? Si grati sunt illi dies, cum formati fuimus in utero parentum, et in hac lucem post novem menses exivimus, illi non minus grati et iucundi nobis erunt, quibus conservamur: nam neque cogitare, neque verbum loqui, non ambulare, non loco nos movere possumus nisi beneficentia tanti muneris, et huiusce largitate beneficii. Comoda, quibus utimur, lucem, qua fruimur, spiritum hunc, quem ducimus, a Deo nobis dari et impertiri quotidie videmus. Quot autem malis, quibus humanae vitae ratio consistatur, praesenti beneficio liberamur? Occidisset multi jam profecto in miseras et aerumnas innumerales passim incidentes: fecissemus saepissime naufragia vitae, dignitatis, et honoris, neque ulla nostrorum hominum memoria, nullum nostrorum rerum vestigium iam pridem fuisset in terris, nisi nos Deus salvos et incolumes conservasset. Atque hoc beneficium maximum late patet, et in nos confertur innumerabilium

lium rerum, avium, et animalium, quae nostris usibus inserviunt, multitudine conservata, quibus alimur, et vescimur his copagibus corporis inclusi, et ad commoditates, et ad delicias nostras utimur. Nam si culice non vescimur, eo aves, quibus alimur, vescuntur. Si partem minime nos, sicut pecora, capessimus, quae ad victum nostrum necessaria sunt, quidquid pecoris, et armentorum in terris, quidquid piscium ipsis fluminibus, toto mari, quidquid avium est aeris circumfusa regione, omnis iste nitore caelorum, quidquid sub aspectum oculorum cadit, et quae nostris oculis non usurpamus, nostra sunt, et ad nostros usus conservantur. Conversiones caelorum, astrorum cursus, mutationes temporum, rerum vicissitudines ordinesque ad hominum commoditates diriguntur. Quid si ad has utilitates conservationis et illam adiugamus curam, quae Deo Optimo Maximoque fuit semper, vitam, cogitata, verba, et actiones omnium hominum in Divini Numinis, in caelorum gloriam, ad quam enim debemus atque contere, dirigendi? An homo quidquam per se nisi divina ope fretus potest efficere praeclarum, et cum virtute conjunctum? An ille egregium facinus, pulcherrimum factum edere? ullum honestum obire munus: vel egregia laude dignam exercitationem suscipere? sermonem ullum usurpare virtutis: neque Iesum etiam ipsum in ore habere testate Paulo nisi dono ac munere Dei potuisset? Si statim atque nefarium aliquod flagitium admisimus, praecipites deturbati fuisset in inferorum regiones, quid nobis miseris factum fuisset? Praedae iam dudum derelicti fuisset principis inferorum, et ardore conflagrassemus datorum. Sed nos Deus immortalis conservas incredibili clementia vocat ad sanitatem, ut tandem redeuntibus in viam ignoscat. Quoties igitur bibimus, quoties edimus, quoties stamus, quoties gradum facimus, quoties quodcumque opus facimus egregium atque singulare, quoties res nostras, nos ipsos stantes, salvos et incolumes videmus, toties omni loco, ac tempore, beneficium conservationis recordari debemus.

SALVTARE LAVACRVM.



QUAM late pateat conseruationis beneficiū,
 vel ex hoc intelligemus, quod conseruati do-
 nis aliis ac muneribus affecti sumus necessa-
 rio pertinentibus ad animorum salutem, et
 ad caelorum gloriam comparādā: inter quae
 munus salutarium aquarum Sacri Fontis unū
 est, atque valde praedicandum. Nam qui Christiani sumus,
 et in Christiano nomine gloriamur, agnoscamus oportet
 dignitatē Fidei Christianae et eminentiam supra gentes om-
 nes aut veteri, aut nostra memoria a nostra Religione ab-
 horrétes sacris nefariis, et superstitionibus et erroribus exc-
 crandis imbutas. De Baptismate igitur dicturus video quem
 admodum Sacramentum istud communem affert fructum
 atque necessarium omnino ad salutem animorū consequē-
 dam: cuius aquis sautaribus qui e lutus non fuerit, neque in
 gremio sinuque Matris Ecclesiae conquescit, neque ex suo-
 rum militum numero, non ex ordine suorum erit equitum
 clarissimorum, non denique de tanta nobilitate ac dignita-
 te gentis Christianorum erit. Vt janua et aditu patefacto in-
 gredimur in aedem aliquam, in quam aditum habere volu-
 mus, vel ascensum, aliter in via semper erimus omni aditu et
 ingressu prohibiti, quem claudunt janitores in aedium cus-
 todia positi, et ne quis ingrediatur, nisi de mādato dominorū
 ad fores assistant, ut ipsi domini imperāt: ita aditus praeclu-
 ditur Ecclesiae Sacro Fōte nō ablutis hominib⁹. quippe qui
 Baptismate, quod signum est notissimum nostrae Fidei, sa-
 cra Christianorum non acceperunt: quibus insignibus, ut
 Crucibus diverso colore equestriū ordinū Heroes, maxime
 differimus, et internoscimur a Mauris, a Turcis, a satellitibus
 Idolorum. Vt milites ascripti dicuntur, qui nomina sua de-
 derunt Imperatori ad bellum faciendum, quod in hostes cō-
 paratur

paratur maximum, et periculosum, neque milites appellari
 possunt, nec haberi, nullis immunitatibus perfrui, nullis
 praerogativis militiae, nisi delectu habito referantur in as-
 criptorum numerum: ita quidem neque Christianos appel-
 labimus, neque verbo, neque re sunt appellandi, qui in sa-
 crum militiae Christianae ordinem Baptismatis aquis pri-
 mam Parentis iniustam maculam non eluerint. Atque hoc
 Sacramentum Circuncisio veteris legis adumbravit species
 quaedam, et adumbratio Baptismatis in Lege Nova futuri.
 Vt hoc inter Deum, et inter Abrahamum conuenisse scimus,
 et hanc summum praepotentemque Deum cum Abraha-
 mo, quem propter fidem egregiam, et singularem obediē-
 tiam, et alia plurima maximaque merita constituit paren-
 tem universae posteritatis, pactionem fecisse constat, ut qui
 de genere Abrahami signo Circuncisionis impresso repe-
 rentur iniusti, a reliquis gentibus notatissimi internosci po-
 tuissent: et in sacro Fonte foedus facimus, et pactionem
 praestantissimam cum Creatore nostro, quo pacto, et con-
 uentione damus fidem in Ecclesiae Fide permanendi, et nos
 Deo summo praepotentique rerum opifici dedendi: ut ab
 illo pactionibus sacrosanctis obligatis nostra divinaque jam
 auctoritate interposita, admirabili consensione, et summa
 animorum conspiratione, nisi nefario scelere, turpi defectio-
 nis nota deciscere non liceat. In his enim aquis salutaribus
 detestamur Daemonem, nequissimum spiritum, velut dirum
 omen a nobis Baptismatis virtute repellendo, et nos in Dei,
 et Matris Ecclesiae potestatem imperiumque subjungimus
 sacro Fonte penitus expiata ac deleta macula, quae ex perf-
 dia primi Parentis animis iniusta, atque impressa miserabili-
 ter infedit. Cuius rei signo nobis, et argumento magno fue-
 runt alluiones illae communes aquarum, quibus omne ge-
 nus hominum, praeter paucos, qui in arca Noe salvi, et inco-
 lumes evaserunt, tanquam naufragio miserimo periit. Sic
 colluvis peccatorum maxima, et omnis sentina scelerum, et

flagitiorum beneficio sacri Fontis extinguitur, atque omni macula homines expiati puri, et integri, nive facti candidiores albeni reficiuntur. Non vides demergi infantem in aquam et extrahi protinus, neque semel dumtaxat, sed iterum, atque tertio? Serpens venenatus Daemon, et omnis scelerum atque peccatorum lues in aquas tanquam in profundum maris demersa obruitur, homo exsuffit veterem hominem, et honorificam Christi personam suscipiens novum induit in Baptismate: Quod magis ante oculos meos statuitur, cum Moyses cum omni equitatu, et peditatu Pharaone submerso, et obruto fluctibus in eos incitata rapiditate rejectis, tanquam in arido inambulans, fluctibus eisdem ex utraque parte instar muri consistens, cum sua gente in alterum maris litus se dedisset salvus, et incolumis. Daemon quidem terribissimus, satellites illius, et administri nefarii, id est portenta vitiorum, labes, et maculae flagitiorum dono ac munere sacri Fontis delentur, et extinguuntur: ipse autem animus labe peccati deformatus redit in gratiam cum Creatore suo sordibus, et maculis omnibus expiatis, ornatus novo, et splendore gratiae decoratus, et indumentis ornatus pretiosissimis amicitiae divinae, omni auro, et gemmarum nitore clarioribus. Atque hunc florem gratiae, qui deciderat perfidia primi Parentis, recuperant infantes, et qui adulti, Sacra Christianorum suscipiunt, illi ope Fidei Matris Ecclesiae, majores natum cum suae, tum Ecclesiae Fidei suffulti praesidio: quam illos habere necessarium est, et ipsos etiam in eodem sacro Fonte dare. Quamobrem quis non animadvertat, et omni honore non prosequatur misericordiam, et providentiam summi praepotentisque Dei maximam, qui beneficio hujusce tanti Sacramenti mortali generi consultum esse volens, illud in aquam elementum plane commune contulit. Nullus est locus tam aridus atque desertus, qui vim, et copiam aquarum idoneam, vel ibi profluentem, aut deductam ex locis propinquioribus suppeditare non valeat. Sed dum aqua praebet materiam Sacramen-

menti, quid nos aliud vult intelligere princeps, et auctor Sacramentorum Christus Iesus, quam excellentiam, et praestantiam, vim, et efficientiam harum salutarium aquarum ad sordes scelerum eluendas, ad delendam maculam inhaerentem ac penitus insitam ex peccato nostrorum Parentum? Aquae perlucidae vitro ipso clariores nitent atque splendent, et vim habent ad eluendas sordes corporis, et aliarum rerum sordidissimarum. Atque huic Sacramento virtus est tributa eximia praeclaraque animos flagitiis inquinatos, et Adami labe aspersos eluendi. Qui ritus, et caerimoniae Matris Ecclesiae? qui mos, et institutum praeclare inventum describendi toties in fronte, in oculis, in naribus, in pectore, in tergo, et in ore Crucis effigiem sanctissimae, ut singulae corporis partes rite Deo consecratae functionem suorum munerum sancte, praeclareque suscipiant? Si ratione praeditus fuerit sacro Fonte abluendus, intelligat se nomen dare Christo Iesu in Crucem sublato: aut si infans, cum ad rationis annos, et intelligentiae pervenerit, recordetur, cui fidem dederit, et in quo spem habere suam, quem privatim ac publice profiteri debeat omni loco ac tempore, nec jam ad aspectum rerum inanissimarum, quae finibus exiguis hujusce saeculi circumscribuntur, et ad exiguum tempus, ad summum ad hujusce vitae spatium, et curriculum breve durant, sed ad Dei caritatem, ad immortalem lucem, ad gratiae divinae claritatem aspiciendam vocari se intelligat. Non jam ullam hominem se voluptatem percepturum esse ex rerum ludicarum sermonibus, non dicturum esse quidquam perniciosum proximis, non turpia, non obscena verba facturum, sed quae ad animorum salutem spectaverint, auribus, et animo liberrimo accepturum constituat ac deliberet. Ex his enim afflatur odores suavissimi, quorum suavitates percipiendo animi incredibili ac divina laetitiae voluptate perfundentur. Atque hanc Fidem in ore non habere solum debet, et profiteri palam Christianus homo, sed in animo infixam, atque

collocatam retinere, cuius mandatis aures, et animum praebendo cum a suis cervicibus jugâ servile dejecerit. Daemonis, meminerit jugum se Fidei Iesu Christi subisse, quod impositum etiam cum periculo vitae perferre debet profitendo Religionem Christianam privatim, et publice: ut quod in animo habeat, idem semper in ore habere non desinat, palamque in aspectum lucemque proferre nostrae Religionis hostium. Praetereo caerimonias recitandi Sacrum Evangelium. Omitto sponsores datos ab Ecclesia, ut rudimenta, et cunabula nostrae Fidei tradantur infantibus. Nihil de nomine, quo nominatim vocatur, nihil de ritibus aliis sacris solenniioribusque dico, quibus infans nuntium remittit Satanæ mutuis percontationibus sacerdotis, atque responsionibus identidem sponsores astantium. Bellum, bellum inquam jam inde a sacro Fonte indicit infans nefariis voluptatibus. Nos omni cautione, foedere, religione devinximus in Baptismate, nihil contra Fidei mandata facturos. Atque hoc tempore tot cautiones factae sunt astringendae fidei, quot sensus insunt corporis, et animorum. Vbi igitur est illustris ille candor gratiae divinae? Vbi decus, et ornatus animi caelestis? ubi nostrorum cautiones chirographorum? Plane quasi fuissent infirmæ, nostris sceleribus ad nihilum recidisse visae sunt, et nos nefarii homines foedera facta perrupim⁹. Recordemur vestem, et ornatum animorum, quo eximio candore illustrati emerisimus e sacrosancto Baptismate. Si memoria non eam teneamus, adeamus templum maximum, ut aliquem puerum Sacro Lavacro tingendum aspiciamus: atque simul videamus abacos auro, et argento ornatos, et sacerdotem prodeuntē in publicum, superpellicio albenti amictum, cum stola pendente de collo pretiosissima, cum libro in manu puero occurrere, et cum spectatoribus in Cratera Baptismi recta contendere, puerum ex sui suis indumentis, rogare multa sacerdotē, respondētibus vicissim spectatoribus, immergere, extrahereque puerum, denique utri coluetis, et usitatis caerimonias, et quid

Christi-

Christianum facere oporteat, et fidem, quam dederit, quam necessarium sit praestare per omne vitae tempus, intelligemus. Quod si non licet per tempus occupatissimum adire templum, repetamus memoria Baptismum Joannis, a quo gradus factus est ad nostrum: quoniam ille comparabat animos hominum ad Iesu Christi Baptismum. Ecce Ioannes apud Iordanem vim, et multitudinem generis Solymorum comparat ad sordes, et maculam contractam in alvo Parentum nostrorum postea penitus Baptismate Iesu Christi delendam: ad quem Christus Iesus splendor, et imago Patris, qui nec scelus ullum conceperat, nec potuit suscipere, cum ipsa summa fuisset virtus atque sanctimonia, ut homines caperent documentum abjiciendi seipso, et servandi legem divinam, accedere non recusavit. Continuo Spiritus divinus in formam columbae speciosissimae visus est, et Pater aeternus vocem misit plenam amoris eximii, Christum Iesum nomine, et honore filii amantissimi afficiendo. Haec nos admonēt de veste, et ornatu gratiae pretiosissimo, quem Ecclesiae Baptismate Iesum eundem induentes homines suscipere debeamus. Ita Christus Iesus discipulos suos doctores gentium, magistros veritatis, praeceptores nostrae Fidei dimittit in universa terrarum loca ad enuntiandam cunctis gentibus atque nationibus Christianam Religionem, et ad omne genus hominum, qui suam doctrinam acceperint, Fidei insignibus exornandos, id est sacri Baptismatis aquis abluendos, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti: ut gentes omnes in jurisdictionem suam redactae bellum gerant cum Daemone, Mundo, et Carne, tribus deterrimis, et infestissimis nostrae Religionis hostibus. Quamobrem liber admirari splendorem gratiae divinae, quo pueri sacro Fonte abluti Baptismatis illustrantur. Quae vestis? qui ornatus? qui splendor? quam clare eximieque collucens, eximio divinae gratiae candore illustratus, albenti nive multo candidior, crystallo, illustrior nitidissima? Vestem hanc Spiritus Divinus ar-

V v.

tifex tanti indumenti confecit, et pulcritudine, et varietate munerum divinarum magis, quam caelum eximio luminum suorum fulgore distinctum illustravit, atque animum pulcherrimo pretiosissimoque cultu exornans, similem divinarum Mentium ad ipsius Dei pulcritudinem, et splendorem propius fecit accedere. Hujus vestis pulchritudine Deus allectus ipse post aquas hujusmodi, statim si contigerit infantes, et adultos e vivis excedere, in sanctissima caelorum domicilia sublimes accipit, et recta quidem evolantes ad superos. Tanta vis est, et virtus Baptismatis infantibus, et adultis, cum ad Fidem nostram traducantur, necessarii contra nefarios errores Anabaptistarum, qui pueros aditu Baptismi prohibebant: quod nullo sensu, neque intelligentia rerum praediti sint ad dandam, et ad astringendam fidem suam. Hic Anabaptistae nefarii fidem desiderant puerorum, quam de more Ecclesiae ipsam Ecclesiam tot ministris, et coadjutoribus eandem pollicentibus, ea offerentibus, qui ad Sacra suscipienda Christianorum adhibentur, praestare scimus: cum praesertim, et in veteri lege pueri dies octo nati religione Circumcisionis, in cujus locum Baptisma succedit, astringerentur. Quaerite argumenta, vel commenta potius Anabaptistae deterrimi: nos cum habemus Ecclesiae morem, auctoritatem Patrum sanctissimorum, et decreta magnificentissima Conciliorum in haeresim vestram facta, religionem etiam Apostolorum Christi Iesu vestris erroribus contrariam, et adversantem, nunquam neque vestrum omnium, neque simul hostium laqueis implicabimur.

RESDIMENTA CHRISTIANAE

Fidei.



VAE sponsores polliciti sunt se facturos esse, consequuntur. Propono mihi puerum aliquem infantia jam exeunte, incunte vero pueritia, cujus

cujus me fortunae miseret atque ignorantiae. Hunc nihil unquam de Fide nostra docuisse parentes, nullis nostrae Religionis imbutum institutumque praeceptis, et dogmatibus, quae illum servare necessarium est, aspicio. Quare primum manibus conjunctis, aperto capite me praeceuntem sequi, tradentemque nostrae Religionis dogmata sanctissima audire, eadem repetere, memoriaeque, animoque mandare studiose jubeo. Atque sine responsionibus, et interrogationibus Legis divinae, praecepta tradam. Horum primum est, Deum nos unice diligere, colere ac venerari debere. Secundum, mendacium dicere, et jurare falsum prohibet. Tertio sancitur sancte, riteque dies festos ab hominibus coli. Quartum imponit parentes nobis observandi necessitatem. Quintum docet nefarium esse interfici quenquam ab altero. Huic proximum est domitas habere libidines debere quenque. Septimum vult, ut nullum furtum quis faciat, ac ne falsum in quenquam dicat testimonium. Ultimum eo spectat, ne quis opes alienas concupiscat, neque uxorem appetat proximi. Cum haec hisce Dei sanctionibus caveantur, tum illae ad duo capita praecipue revocantur, et ad Dei cultum, et ad caritatem in proximos spectantia. Matris Ecclesiae quinque praecepta, quae egregius sacrae Fidei cultor observare debet in hunc ordinem referuntur. Debemus statutos Ecclesiae festos dies celebrare, sacro rei divinae officio diebus festis summa cum religione interesse, indictam statis diebus inediam perferre, et quibusdam abstinere cibis, singulis annis minimum semel in quadragesima peccata patefacere confessario, et reficere nos caelesti Pane semel minimum quidem feriis excitati Domini a mortuis, aut ante, vel post hujusmodi ferias, si aliquod in periculum vitae venerimus, denique decimas frugum nostrarum libenter persolvere. Septem a Christo Domino instituta, ab Apostolis accepta, et in Ecclesia Catholica semper conservata Sacramenta pervenerunt ad nos, Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Poenitentia,

Extrema Vinctio, Ordo, Matrimonium. Capita nostrae Fidei quattuor numerantur, et decem, quorum septem naturam humanam Iesu Christi, totidem divinam respiciunt. Quae ad divinitatem spectant, sunt illa, quae sequuntur, profiteri, Deum summum esse praepotentemque, atque hunc unum in tribus personis consistentem Patre, et Filio, et Spiritu Sancto, atque ipsum opificem esse, et architectum totius mundi; hunc etiam assertorem generis hominum, et vindicem nostrae libertatis, eundem principem, et largitorem esse gloriae caelorum consequendae. Quae ad humanam spectant naturam, eo, qui sequitur, ordine referenda sunt. Christum Iesum opera, et interventu Spiritus Divini conceptum fuisse in utero sanctissimae Virginis Mariae; natum ex eadem Virgine Maria integra, et incorrupta semper manente tanta, praepotentique Regina caelorum, et concepti Christi Iesu, et nascentis tempore, et post illius semper sacra natalitia; eundem Dominum pertulisse crucis acerbitatem, ut nos ex ore Daemonis ac faucibus eripiens in antiquam libertatis, et gloriae dignitate vindicaret; descendisse in sedes inferorum, ut angustiis tanti carceris liberaret manes sanctissimorum Patrum, qui adventum tanti Domini tot ante annos avidissime expectabant; atque ipsum Christum Iesum, principem, et auctorem nostrae libertatis post mortis acerbitatem, quam fortiter, et patienter subiit, suo robore ac virtute caelesti a mortuis excitatum fuisse; atque eundem in victa fortitudine, ac potentia divina spoliis, et manubiis, quas sibi victor bellorum effecerat, triumphum agentem clarissimum in caelorum ascendisse sedes, et ad dexteram Patris aeterni immortalis gloria circumfluentem sedere; denique die Extremi Iudicii Iudicem illum vivorum ac mortuorum ab aeterno Patre constitutum, ut bonos praemiis, improbos supplicii sempiternis afficiat addicendo, miseris homines poenis inferorum sempiternis, bonos, atque cohaerentes bonorum caelestium in sanctorum secum deducendo palatia tota civium beatorum incredibili-

ter


ter exultante corona. Vitia, quae peccata capitalia dicuntur, septem numeratur. Superbia, Avaritia, Libido, Iracundia, Ventris Ingluvies, Invidia, Desidia: quibus aliae septem adversariae et maxime infestae virtutes opponuntur, Demissio, Liberalitas, Castitas, Patientia, Temperantia, Caritas, Diligentia. Actiones Misericordiae, quas suscipere debemus, cum ad quattuor et decem referri non ignoremus, haec ad corporis necessitatem conferuntur, aegrotos invilere, cibum esurienti, potum suppeditare sitienti, redimere captos ab hostibus, nudum induere, peregrinos tectis excipere, mortuos mandare sepulturae. Quae sequuntur, utilitatem animorum attingunt, instituere rudem et ignarum, indigenti consilio illud impertiri, punire sceleratos et improbos, condonare factas injurias, ferre patienter probra omnia, et injurias acceptas, consolari moestos et afflictos, denique precari Deum immortalem pro vivis, et muneribus vitae defunctis, ut illos a vitiis praecipue capitalibus, et inani huiusce saeculi gloria abstrahat, horum vero manes ab igne purgante liberet, et in caelorum sedes, et gloriam tandem immortalem evehat. Virtutes, quibus Christiani praediti debent esse, tres recensentur, Fides, Spes, Caritas, quae a Sacra Theologia nomen trahunt: quattuor Cardinales appellantur, Iustitia, Prudentia, Fortitudo, Temperantia. Sensus corporis quinque commemorantur, Visus, Odoratus, Auditus, Gustus, Tactus. Tria proponuntur ornamenta animi, Memoria, Intelligentia, Voluntas. Inimici et capitales animi hostes totidem, Mundus, Daemon, Caro acerrima hominibus et infestissima adversaria, quam a nobis nequimus arcere: Mundum autem et Daemonem possumus propellere. Non omittam septem dona Spiritus Divini, Sapientiam, Intelligentiam, Consilium, Scientiam, Fortitudinem, Cultum et obsequium Divini Numinis. Atque idem Spiritus Caelestis quos fructus affert, et quam praestantes animis, Caritatem, Laetitiam animi, Pacem, Patientiam, Magnanimitatem, Bonitatem, Benignitatem, Man-

X x fuctu

fuetudinem, Fidem, Modestiam, Continentiam, Castitatem, Munera Beatorum octo donorum numero cōtinētur; quorum primum indespicientia et contemtionē rerum humanarum positum est. Alterum mansuetudinem et benignitatem animi continet. Tertium luctum et lacrymas postulat. Huic proximū cupiditatē et sitim insatiabilē cōplectitur iustitiae. Quod consequitur, impertitur misericordiam et beneficentiam. Adjunge muneribus Beatorum quietem, et tranquillitatem animorum, castitatem et integritatem corporum, et animorum, injuriarum tolerantiam. Haec cum ita numerata fuerint a nobis, dicet aliquis, ubi quattuor preces, a quibus initiū suum Doctrinae Christianae rudimēta capiūt, preces intelligo Domini, Salutationem Angelicam, Symbolum Apostolorum, et a Matre Ecclesia tributam preces ultimam Virgini Mariae? Has quia nemo non tenet, de industria non praeposita fuerunt a nobis.

DE MYSTERIO SANCTISSIMAE

Triados.

 X Mysteriis superioribus sigillatim, quod inscriptum est, explicandum erit a nobis, et puero tradendum. Puer avidus tenendi quae sunt mysteria nostrae Fidei, petet a nobis, ut illum aliquot mysteriis reconditis et abstrusis, quae ingenio tenuitate percipere non potest, neque ille unquam a parentibus accepit, paucissimis verbis imbuiamus, ac praecipue praecelso Sanctissimae Triados arcano. De tāto mysterio sic agam, ut puerum natu majorem decet. Atque illud vulgo jactatur, et constanter tenendum est, unum, et trinum esse Deum, atque illam praestantem, supremamque Naturam, unam et eandem in tribus personis Patre, Filio, et Spiritu Sancto consistere. Patrem non ab alio existere neque manere, itaque neque factum, neque creatum, neque genitum esse, princi-

principiū principio carere, ex omni aeternitate non alterius beneficio, sed sua vi cohaerere, fontem non solum esse rerum omnium, quae creatae sunt, sed etiam Filii, et Spiritus Sancti, Filium, ex aeternitate, ratione quadam hominibus incognita genitū a solo Patre, ejusque naturae dono ac munere per se cohaerentem cū Generatore suo, sine ulla perturbatione, confusione, permissione, una genitum, natura cōjunctū, et ab eodē sine ulla distractione, alienatione, avulsione, hypostasi distinctum. Illud etiam constanter tenendum est Spiritū Sanctum, ex Patre, et Filio, uno ipsius principio, aeternum ex aeternis, non creatum, non generatum, mirabiliter procedere, atque ita procedere, ut cum utroque ejusdem prorsus naturae cōmunionē copulatus, alius sit ab utroque. Atque ortus quidē Filii, et Spiritus Sancti processus tā admirabilis est, tam seclusus a mētibus humanis, ut illum nullius hominis mens assequi, neque orationis facultas adumbrare possit. Atque hae tres personae pares sunt et aequales. Nihil dispar, nihil prius tempore, nihil majus, nihil minus, nihil inferius in hac celsissima sanctissimaque Triade intelligendum est. Haec affata Spiritu divino docet Catholica Ecclesia Romana. Haec nos vel cum summo vitae discrimine defendimus ac tuemur. Neque solum naturae rerum subobscuris adumbrata simulachris, tum litteris divinis, sed multis sacrae Ecclesiae stas solennibusque caerimoniis significantur. A Sole coevum lumen existit, et calor utriusque coevus, ab utroque noster animus unus est: qui memoriam tamen habet, et intelligentiam et voluntatem. In eodem una mens est, sed ea gignit notitiam sui: a mente vero, sui que notitia proficiscitur sui amor. In arbore tria sunt radix ipsa, aqua, truncus: et ab utroque rami proficiscuntur vestiti foliis, et fructibus onusti. David in psalmis ter saepissime Deum appellat. Majorum instituti disciplina primordia nostrarum actionum capimus, Crucem a fronte ad pectus, et humeros tribus digitis designantes: ut

tres hypostascs divinas, et secundae a prima ortum, et tertiae ab utraque processum ostendamus. In feriis Christi Iesu a mortuis exsistentis cereum unum in tres partes divisum, eisdem cerae pabulo tria lumina aequabiliter nutrientem videmus. In publicis supplicationibus atque privatis Patris, Filii, et Spiritus Sancti deprecamur, et imploramus misericordiam. Denique ut alia multa praeteream, Mater Ecclesia Triadem Sanctissimam sigillatim nominando Psalmos Davidis absolvit. Sed quid opus est argumentis multis cōcedere? Iccirco haec credenda sunt nobis, quae tradita sunt de Triade Sanctissima, quia divinitus imbuti institutisque mysterium tantum accepimus.

ACTIO SACRORVM QVAESITORVM.

AD Sacram Fidem retinendam subsidia Sacrorum Quaesitorum accedūt. Calendis Iunii actio publica Iudicium sacrarum quaestionum Hispali habita fuit multo celebrior, quam ulla alia, multis annis ante, propter damnatorum multitudinem, et notitiam aliquorum singularem, quos a comprehensione sua, quod divites et singulares fuerant in civitate jam diu, biennium fere homines expectabant, et exitum videndi incredibili cupiditate flagrabāt. Quamobrem concurfus fuit incredibilis omnis generis, ordinis, et aetatis, et quantum homines recordari poterant, in illum usque diem nunquam antea visus. Cum tabulatum excitatum esset altissimum, et longissimum cum gradibus ad damnatorum sessions, et fori propositi ad hominum subsellia continenda, tum transitus quidam angustior erat ab ipso tabulato medio, in sedem usque productus Inquisitorum, non latior, quam ut tres homines capere posset: in cuius loci medium spatium evocati procederent rei suas audituri sententias. A lateribus huiusce tabulati duo erant alia con-

structa tabulata, unum confessus ecclesiae Hispalensis, quod a dextra, altitudine sua eminebat tabulato damnatorum, alterum mulierum et matronarum honestissimarum a sinistra paulo inferius. Intra porticum tectam gradus Senatus Hispalensis erāt ad tantam multitudinem continendam: in quorum summo a dextra Consilarii Regii cum suis administris, et advocatis a sinistra Praetor cum universo Senatu considerabat. Ita tamen, ut medio interjecto loco inter utrumque ordinem praesiderēt Censores Sacrae Fidei dignitate et maiestate vindicanda confidentes in strato loco, et peripetasmate imagine Christi Iesu in Crucem sublato adornato. Adversi autem erāt Senatoris gradus damnatorum. Ut autem rem a principio ordiamur ante primum diluculum, et duabus quidem horis, ante quam luceret, viae frequentatae perstrepebant multitudine virorum atque mulierum: quorum alii in aedes amicorum, aut agnatorum, aut in vias diversas, maxime in gradus templi maximi, in pontem, et in arenariam fluminis, unde damnati praetereuntes videri possent, contendebant, plurimi in Divi Francisci plateam: ut aut ex ipsa platea reos etiam intueri possent, aut ad praecoccupanda loca in tabulatum ascendere facultate multos ante dies a Censoribus concessa in superiorem locum ascendendi. Omnes enim numerato cōfendebant, et traditis in administratorum manus syngraphis Inquisitorum nomine subscriptis. Fuerat enim pridie huiusce diei publice pro compitis et faucibus celebriorum vicorum praeconium factum, et in illos homines Excommunicationis indicta poena, qui sine syngraphis, sine facultate Inquisitorum ascenderent in tabulatum. Ab arce igitur Sacrorum Inquisitorum, cum ad vias, per quas damnati deferrebatur, perventum esset in plateam usque Beati Francisci, miserabile cernebatur, atque luctuosum agmen damnatorum, qui inter duos Sanctae Inquisitionis Familiares interpositi demissis capitibus, et oculis in terram semper intuentibus procedebant, et singuli scelerum, quae fecerant, et suppliciorum

rum, quae subituri erant, notis distincti, atque ignominiosis insignibus notatissimi, et ad notitiam et infamiam damnatorum veste, qua comprehēsi fuerant, et apertis capitibus progrediebantur. Alii candelas gerebant in manibus, et qui flagellis caedendi erant, funem collo circumdatum, et in hūc modū, ut cum e collo penderet, in pectora dejectus, atque transversus, tum in terga revocatus infames homines nodo cingeret foedissimo. Qui verbum impurum de Sanctissima Virgine Maria, cōtumeliosum de Sancto aliquo, aut detestabile de Deo Immortali audacter et impie dixerant, in linguas eorum injectis vinculis, atque labiis acerrime cōpressis producebantur in publicum. Qui a Fide deficientes inciderant in errores Mahumetes, vel ad Sectam Lutheri, et aliorum hostium Christianae Religionis transierant, habitu infami notati visebantur: qui flammis totus ad speciem quasi flagrantibus sparsus, horribilis apparet atque formidolosus intuentibus: quemadmodum qui prima uxore vivente, bis uxorē, aut saepius duxerūt, lōgioribus et eminentibus valde mitris infamibus, et in eis tot uxorū, quot duxerant, vultu et ore depicto, deformes et horrici hac specie in perpetuum infames in tabulatū usque progredi videbātur. In illud cum Inquisitores cū flore nobiliū, et utriusque ordinis urbani et ecclesiastici pervenerūt, singulis suas jam sedes occupātibus, quo supra diximus ordine, atque ipsis etiā dānatis suis in locis, pro Criminū gravitate confidētibus, et omniū celsissimis dānatorū in summo gradu mediis interjectis ardori flāmarū addictis, illis scilicet, qui hoc ipso die post actionē, aut mortui, vel vivi cōburēdi sunt, fit initiū Actus Fidei Sacrosanctae celeberrimi cōcione singulari ad institutū Fidei maxime spectante: quā praedicatio Ediēti Inquisitorū notissimi cōsequitur. Quid deinde? Recitantur sentētiaē damnatorum, quas idē damnati progressi locū in quendā mediū, magis publicū, magis patētē, et omniū oculis expositū stantes audiūt de lectulo tres palmos supra tabulatum excitato, ut

omnium

omniū oculis, toto sentētiarū intervallo recitādarū cernātur. Quid erit videre tot diversa tabulata, dānatos reos suis in locis, cū suis ignominiosis insignibus, ac praecipue cōburendos horribili flammarū adūbratione, et aspectu daemonum detestabili foedos atque deformes, tātam spectatorum multitudinem, ipsum civitatis, ipsū sacrae ecclesiae ordinem, Auditores Regios, completos gradus omnes, et reliqua locorum spatia, atque omnium celsissimos Inquisitores inter duos ordines civitatis, et ecclesiae interjectos in eo loco celsiore, quē pretiosissimo peristromate Christi Iesu de Cruce pendentis effigie exornatum occupant eximia majestate cōsidētes, et infra illos ad pedes suos paulo in inferiore gradu cum vexillo Crucis rubente ipsumentanti Consilii delatorem. Principio haberi concionem, recitari ediētum, singulos prodire damnatos in publicum, audire sententias suas, damnari pro delictorum atrocitate, et comburendos flammarum condemnari, ipsam causam Fidei agi propugnarique acerrime quantam habet speciem et majestatem incredibilem? Simulachrū profecto visū est illius Extremi Iudicii, quo boni praemiis beatorum aeternis, improbi suppliciiis inferorum sempiternis afficiendi sunt. Quantum vero religionis habet post recitatas sententias in genua procūbere damnatos omnes, et vinculo, quo se astrinxerant Excommunicationis absolvi praeunte concentu et dulcedine suavissima cantorum templi maximi: qui omnes ad Psalmum Davidis, et ad alias preces concinendas cōvenerunt? Quantum denique praebetur spectaculum, cum Inquisitores ipso comitatu nobilium, quo mane venerant, eodem in castellum itinere revertantur, diversis viis damnatis in castellum usque reductis, cum viis usitatis comburendi ad flammam perferendas vehantur? Omnia consideratu dignissima sunt: ut diem Extremi Iudicii recordati nostrae vitae actiones cum Divinae Legis praescriptionibus conformemus.

X x 4.

CON-

CONFIRMATIO.



Aptissimum sequitur Confirmatio, cujus ro-
 bore, ac praesidio caelesti munimur tanquam
 vallo firmissimo circumsepti contra fraudes
 et insidias Daemonis deterrimi: qui dies, noc-
 tesque singulis horis, atque momentis pestem
 nobis, et interitum ultimum machinatur. Nam cum appe-
 titus carnis, quem fomitem dicimus, atque pravae animorū
 affectiones reliquae fuerint in nobis, quarum turbulēto mo-
 tu constitutio animorum vehementer conflictatur, et gra-
 ves ac vehementes perturbationes existunt, quae tanquam
 fluctibus, ac tempestatibus concitatis mentem huc et illuc
 commovere, et ad pravas voluptatum assensiones adducere
 moliuntur: quia multae occasiones, lubrica et praecipua est
 via hujus saeculi, magna est nostrae naturae fragilitas,
 magna carnis imbecillitas, ad quam depravandam et infrin-
 gendam hostes imminent comparati, Daemon, Mundus, et
 Caro: ne fidem, quam Deo dedimus in Baptismo, turpi de-
 fectione violemus, Sacramento Confirmationis nos tuetur
 atque circumvallat Mater Ecclesia. Virtus illius eo spectat,
 ut nostrorū inimicorū impetus fortiter propulsemus atque
 constanter: quippe quae vires maximas, et robur invictum
 largitur contra technas, et machinas, quas hostes animorum
 ad virtutem labefactandam, et ad delendam pulcritudinem
 gratiae nostris animis impressam apertis, et occultis cunicu-
 lis admovere non desistunt: ne perturbationibus saepe gra-
 vissimis animorum existētibus frangamur ac debilemur,
 et hostibus succumbamus, telis, quae in nos intorqueantur, et
 retorqueantur, acerrimis: ne pravis cupiditatibus, ne appe-
 titibus carnis, a Deo turpissime deficiamus impuritates
 omnium libidinum suscipientes intemperanter: sed pro ip-
 sa laude, et honestate, pro Christiana Religione tuenda, pro
 sempi-

sempiterni numinis honore defendendo, pro conservanda
 corporum, et animorum integritate cruciatus omnes corpo-
 rum, omnia pericula mortis parvi esse ducēda nobis persua-
 deamus: magno et forti animo simus, constanti ac delibera-
 to prorsus ad mortem, si opus fuerit, millies oppetēdam, pri-
 usquam scelus aliquod capitale committamus. Hoc animo
 erat Paulus, cum nulla ratione, nullis minis, neque periculis
 intentis, non morte ipsa ante oculos versante, a Dei caritate
 nec aliquantulum se dimoveri posse cōfirmavit. Hac animo-
 rum fortitudine magnitudineque fortissimi Christi Marty-
 res, qui pro retinēda sēpiterna Dei gratia, pro caelorum gloria
 cōsequēda seipos in tot ac tātas dimicationes, atque in pro-
 fligatōrū hominū quotidianos impetus objecerunt, et obviā
 processerunt suppliciis acerbissimis, et inauditis tyranno-
 rum: quorum crudelitate dilaceratos fuisse peremptosque va-
 rie multipliciterque cognovimus. Forma autē est ea, quae
 sequitur, Confirmationis. Pontifices Ecclesiae usitata profe-
 rendo verba confirmationis, quae dum faciūt, Crucem des-
 cribunt in fronte confirmandorum, Patrem, Filium, et Spi-
 ritum Sanctum implorantes, Chrismate, cujus compositio
 ex olivarum oleo, et balsamo conditur, frontem illinunt, et
 fascia linea devinciunt. Itaque delibutū pretiosissimo Chris-
 mate dimittitur ad pilam Baptismatis abstergendus confir-
 matus homo, caesus tamen in cōfirmatione colapho. Hunc
 idem Pontifex infligit, ut Christi cultor erecto animo et ex-
 cello sit ad injurias perferendas, et alapa inflicta genam alte-
 ram convertat, et laetus et alacer offerat alterum ictum ac-
 cipere paratissimus, memor suppliciorum, et colaphorum,
 quos pro genere hominū Christus Iesus pertulit. Quae quis
 non aequo animo patientique feret munitus virtute Spiri-
 tus Sancti, cujus dono ac munere afficitur in confirmatio-
 ne? Quo Chrisma ipsum spectat? Ut animi divinis ornamē-
 tis intelligantur affici, planeque corroborari. Fuit ipsa ratio
 Chrismatis usitata nimis, et a primis nascentis Ecclesiae cu-

nabulis accepta, et per manus Apostolorum nobis tradita. Quâquâ enim caerimoniae Veteris Legis institutione novi Testamenti penitus fuerint abrogatae, nunquâ tamé mos et cõsuetudo ungedi de moribus, ac disciplina Christianae Religionis ablata fuit: quin potius, quod regibus, et sacerdotibus generis Soly morû, unde Christ⁹ Iesus genus suum traxit, cõmune fuit et usitatû, id ad cultores nostrae religionis translatum latissime permanavit in mores, disciplinâque Christianorum sanctionibus, et decretis Patrum sanctissimorû confirmatû. Ut enim Christus a Chrismate nomé trahit, et nos, qui Principem et auctorem nostrae libertatis, atque dignitatis illum profitemur, a quo profluximus, et orti fuimus, nomine, et actionibus Ducem et Antesignanû nostrû sequamur facti participes munerum divinorum Christi Iesu: qui praebeatorû omniû agminibus abundantia gratiae, oleo Spiritus Divini, donis omnibus et ornamentis affectus redûdavit. Cû filii Hebraeorum mare rubrû trássissent submersis et obrutis inimicis, et Principe Aegyptiorum Pharaone teterrimo, donis aliorum beneficiorum confirmati difficultates itineris et molestias superarunt: nubes enim illos a Solis ardoribus, et calorû molestiis interdiu defendebat, noctu lucé praeferebat clarissimâ ad tenebras noctis illustrâdas, et suum iter sine offensione cõficiendû. Iam vero ad famé explendam, sitimque extinguedam aquae de petra durissima virga Moysis expressae profluxere dulcissimae, et Pane caelesti Angelorum esca refecti fuerûnt in solitudine. In hâc rationé Christus Iesus post Baptisma genus hominû ad collectâ gratiâ Divini Spiritus retinédâ, et ad propellédos inimicorû impetus, ad animos donis et muneribus plurimis cumulandos, ad progressiones habendas, et incrementa capienda singulos in dies in via divini obsequii, et ad fortiter constanterque Fidé in oculis tyrannorum, et ore profitendam Sacramentis aliis ex latere suo profectis Cõfessione, Eucharistia, Vnctione, Cõfirmatione, qua de nunc agimus providit generi mortalium. De

qua

qua non plura dicam, si prius tamen modum altius, quam supra, videbor explicuisse, ministros ostendam pontifices fuisse, qui in Apostolorum locum suffecti fuerûnt: Apostoli enim dumtaxat hoc munere confirmandi fungebantur. Hujus rei acta apostolorum dant testimonium amplissimû, quibus cõsignatum legimus Philippum Diaconum, licet ille Samaritanos ad fidem traduxerit, et eisdem Sacro Fonte tinxerit, nõ tamen functum fuisse munere confirmandi, sed Socii et Comites Christi Iesu Petrum, et Ioannem miserunt, qui cû descendissent, precati sunt, ut Samaritani dono spiritus Divini afficerentur. His ita positis fundamentis, et verbis de confirmatione factis, confirmationem tandem in exitu statuamus ante vestros oculos. Hujus cum Põtifices administri sint, ipsi episcopi cultu et ornatu pontificû vestris oculis obversentur cum tiara in capite, et palla pretiosissima vestiti, incredibili auctoritate confidentes in sella, astent a lateribus administri, et coadjutores in albenti vestitu, et illi Chrisma teneant in manibus, et operas praestét oportunas et idoneas. Accedant pueri statim, infantes etiam in complexu nutricû comportentur, veniant etiam adulti, qui confirmati nõ fuerint, ut dono confirmationis afficiantur, et cum candela cerea, sed non inflâmata, quam dono dent, et offerant Pontifici, et cum fascia, qua frons devincienda est, et flexis genibus ante oculos et ora Pontificis, idem Pontifex Chrismate frõnté illinet verba Confirmationis praescripta faciédò, et simul puerû alapa caelum, et fascia velatum dimittat: qui continuo deducetur ad Sacrum Fonté eluendus et abstergédus. Ita miles Christi Iesu discedit armatus, tanti Sacraméti viribus cõfirmatus, qui dies noctesque cogitationé suscipere debet signi, quod de Cõfirmatione detulit, et gerit semper impressum in fronte Crucis Iesu Christi, cujus Signifer est: ut mortem prius, et mille mortes oppetat, quam fidem, et Ducem suum Iesum Christum deserat.

DE CONFESSIOE.

AD Confessionem auricularem accessuri primum abstant se in cubiculum, et in memoriam redigant facta, verba, cogitata in divinam Majestatem admissa, atque prius precari Deum immortalem meminerint, ut omnia scelera, quae susceperunt post ultimae confessionis tempus, redeant illis in memoriam, ut eos suorum scelerum poeniteat, et conscientiam expiare possint nullum nec minimum peccatum obliviscentes. Hac precatione usi Christiani homines, postquam crimina redegerint in memoriam, quae expiaturi sunt, abjecti ante simulachrum aliquod, vel procumbentes in genua in conspectu imaginis alicujus sanctissimae Virginis Mariae, vel Iesu Christi Agni mitissimi, motu et sensu animorum afficere se ipsos studeant quam maximo, dolorem accipiendum gravissimum ex suorum recordatione flagitiorum, ex conscientia scelerum admissorum, detestando multitudinem, et gravitatem peccatorum. Afficiantur ipsi ita vehementissime, ut disrumpti divellique dolore videantur: et quas potuerint lacrymas effundent petendo veniam suorum in Deum delictorum, et quam humiliter atque demisse, vere, et ex animo: quod tantum Dominum, Dominum, et Creatorem suum nefarie offenderint, atque Pollicendo se nihil in posterum tale commissuros esse, commutatuos esse vitam in melius, et nihil amplius, nihil magis quaesituros, quam gloriam Divinae Majestatis, et salutem et incolumitatem animorum. Tu, dicet homo, mi Deus, qui benignus et misericors es, qui non vis interitum peccatoris, sed ut ad se redeat, et in tua gratia sit in perpetuum, per flagra, per spinas, per cruciatus Filii tui, per merita tanti Domini, per mortem Crucis acerbissimam dabis veniam mihi peccatori: veniam hanc oro, et effragito supplex ad misericordiam tuam confugiens. Cum homo ita se comparaverit ad

ad confessionem, ad pedes confessarii prostratus accedet, et incipiet oculis defixis in terram, junctis manibus, quam magno sensu et dolore animi potuerit patefacere conscientiam suam, et totus pudore affectus maximo, simplici et aperta utens narratione peccatorum, nihil volens celare confessarium suum, sed omnes sensus intimos animi cognitos et exploratos faciet: quo facilius et melius confessarius possit adhibere illi aegrotanti medicinam salutarem: et ille vinculis omnibus solutus, non astrictus magis excedat a pedibus confessarii surgens. Rite confessus ille peccata sua persolvat poenam, quam confessarius homini pro sceleribus suis et flagitiis constituerit, neque scelus committet unquam in posterum: hoc enim homo debet affectus accedere ad conscientiae maculas eluendas, ut peccata patefaciat omnia, et ut animo constituerit ac deliberaverit nunquam amplius scelera suscipere in Majestatem Sempiterni Numinis: nam si celaverit confessarium suum crimen aliquod capitale, sacrilegium sceleribus et flagitiis cumulabit et augebit: ut repetere confessionem praeteritam, et aperta etiam peccata necessarium sit hujusmodi hominem denuo patefacere in altera confessione, atque hujusce sacrilegii commissi accusare seipsum redintegrandis confessionibus sacrilegii crimine inquinatas, et pollutas voluntate, quam habuit, a flagitiis non abstinendi. Itaque homo rite confessus redibit in gratiam cum assertore suo, quem tot sceleribus nefarie susceptis prodidit atque deseruit. Atque ut ille se Creatori suo penitus reconciliet, exequetur omnia munera confessionis, neque partem aliquam eorum, quae in confessione requiruntur, omittet. Idem frequentet etiam confessiones, quarum, ut alias utilitates praeterca, hanc unam peccator aspiciat: quod animis tranquillitatem affert confessio, sedat perturbationes ex morsibus conscientiae effectas, quae dies noctesque praetermodum perturbant animos, et nullam partem temporis interquiescere permittunt. Quod si corpus male affectum, cum aliquo morbo tentatur, nulla

capit intervalla requietis, nisi humoribus crassis atque concretis, quos collegerat, aliqua portione, vel alvi purgatione depulsis, anferri posse existimabit homo, ut animus tot aegritudinibus et morbis pestilentibus graviter confictatus pacem ullam, aut delectationem habeat, donec confessionis medicina facta cum evomuerit forasque projecerit pestem inclusam, praeclare constituatur? Quid, quod cum alienatus fuerit homo propter peccata a Creatore suo, Confessione in domini sui gratiam reducitur, cujus amicitia pluris, quam gratia Regum, et Imperatorum hujus saeculi facienda est? Eadem ille confessione a morte ad vitam, a tenebris ad lucem, a servitute ad libertatem vocatur: vocatur in amicorum et filiorum Dei numerum, et ordinem Heroum clarissimorum ascribendus. Si se quisquam aspiceret in servitute adductum, et audiret se nunquam non dici mancipium, neque unquam bene, semper autem male, modis indignissimis tractari, vitam se perferre, perpeffurumque semper, quam nec Aethiopes, neque pecudes passurae viderentur, addictum operis praestandis servilibus, atque oneratum ferro, premi mole catenarum, quacunque autem incederet, si cum mandatis aliquo, aut cum pondere, vel onere gravissimo mitteretur, tanquam stigmaticus, notis ferri inustus, pro stygmatice haberetur, maculis omnibus dedecoris et infamiae notatissimus, quis posset aequo animo tantam ferre molem, et vim ponderum gravissimorum, ignominiae, laborum, acerbis, et servitutis intoleranda? Respiraret is quidem in libertatem vindicatus. Cum idem jam sui juris, et mancipii fuisset, prae gaudio, et laetitia non in summis quasi voluptatibus debacharetur? Qui servitute daemonis intoleranda premebatur, maculis suorum scelerum inustus, magis foede, magis turpiter quam servus stigmaticus, et crudelius, quam mancipia contemptissima, tractabatur onera semper gravissima perferens et intolerabilia flagitiorum suorum atque scelerum. Vbi per confessionem hac tanta servitute liberatus, et vinculis omnibus solutus liberum se jam, et in

in filiorum Dei jus et agnationem restitutum aspiceret, vix apud se prae gaudio, prae laetitia fuisset. Hoc praeclare primi cultores Christianae Religionis intellexerunt, qui primis temporibus nascentis Fidei frequenter expiabant suas conscientias, et eluebant minimas peccatorum labeculas. Hoc Mater Ecclesia testatum egregie reliquit, quae de praescriptionibus suis jubet cultores suos ad minimum semel singulos annos, sordes eluere peccatorum. Quid dicam de consuetudine multarum Christi Iesu sacrarum familiarum, quae octavo quoque die suis alumnis confessiones praescriptas et constitutas habent? Ad frequentationem confessionis nos Sancti Doctores, nos Concilia Sacra, et omnes concionatores divini verbi de suggestis suis hortantur. Ad quam ut rite, et de praecipis Matris Ecclesiae te comparare possis, et illius partes cumulatissime perfolvere, Deum Optimum ac Maximum precabor: tu beneficium Iustificationis considera.

DE BENEFICIO IUSTIFICATIONIS.

Video hominem per Confessionem jam in sui Creatoris gratiam rediisse. Ad hanc augendam quamquam sequebatur illud, ut de poenitentia (sic illam vulgo appellamus) exercitatione praesenti diceremus: tamen nescio quomodo Iustificationem meam ad se rapuit et abstraxit orationem. Quamquam equidem omne genus beneficiorum homines ad Deum allicit, facitque, ut illum summa religione veneremur, a quo tantum bonorum, atque divitiarum adepti fuimus: tamen Iustitiae status, in quem dono ac munere Iustificationis restituimur, id maxime efficit. Quam enim utilitatem afferent mihi cruciatus, et mors Assentoris Iesu, si suppliciorum fructus non perciperem, quos in peccatum incidens, et inimicus Majestatis Divinae factus capere non possum? Quam ob rem tantis donis ac muneribus divinis privarer, Divina Majest-

tas providit liberalissime reconciliatione gratiae, quam scelerere ac flagitio meo amiseram, cū Sempiterno Numine. Itaque qui antea in Dei gratia fuerat, postea deficiens a Creatore suo, reconciliat se cum Deo suo, in gratiamque cum tanto Domino redit, et inimicitias, quae propter peccatum inter Deum et hominem intercesserant, non depositis solum, sed oblivione sempiterna deletis, ex inimico Divinae Majestatis amicus omnino fit. Quo beneficio quid majus in hominem in peccati miserias incidentem Deus conferre potuisset? Vt Deus appetat amicitiam meam, quam ego sceleribus ac peccatis nefarie disruperam? Vt ad eam Deus ipse tot modis, et rationibus, mentem animumque meū impellere dies noctesque non destiterit injiciendo cogitationes menti meae sanctissimas, et redigendo in memoriam severitatem Divinae Iustitiae, supplicia de cōsceleratis hominibus sumpta torques gravissima, flammās inferorum, et tormenta damnatorū, diem Extremi Iudicii, minas et terrores injectos conscientiae, atque illos morsus, et dolores acerrimos, quibus conscientia stimulatur ac pungitur, moerorem ac molestias, angores et cruciatus, quibus animus libere spiritum ducere non potest, neque ullam partem tēporis requiescere? Dum Deus Optimus ac Maximus meos sensus affecit suavissime, durum hūc animum ac ferreum inflexit, et mollem reddidit ac tenerum, et effecit bonitate sua, ut praederem aures cōcionatoribus, relinquerem locum divinis commotionibus, et affectibus animorum, quibus cōmovebar, et praeter modum fletebar, ut omni maleficio et peccato abstinere, et redire jam tandem in viam virtutis, et gratiae divinae, quid ad tantam beneficii magnitudinem addi potuit illustrius? O beneficium admirabile. O incredibile, et inusitatam Dei misericordiam. At quibus modis in statum pristinum me vindicasti? quo tempore? Tum scilicet, cū magis sceleribus coopertus et flagitiis omnibus contaminatus, magis perditus ac dissolutus, prorsus oblitus eram Divini Numinis, atque gloriae caelorum, in me

ocu-

oculos pietatis, et misericordiae tuae coniecisti, me oculis illis aspexisti, quibus Saulum, Magdalenam, Matthaeum, Petrum, et Bonum Latronē, et nullis quidem meis meritis, qui jam pridem mortem aeternam, et supplicia fueram meritus inferorum: tua pietate, tua misericordia, et infinita bonitate commovisti mentem hanc, et a sceleribus revocando, in tuam amicitiam restituvisti. Docuisti me gravissimo vulnere fortunae perculsum, et afflictū, nihil in reb^o humanis esse quavis insigni specie dignitatis excultum, quod nō fluxum, atque caducū sit. Me etiam tonitru crebro, fulgure, ac jactibus fulminum, gravissimorum criminum conscientiam percellendo, atque vehementer perturbando, tuam in amicitiam nō dubitasti denuo recipere. An quidquam est, quod homo exspectet amplius? reducto me, atque restituto in tuam gratiam quorum meum animum participem effecisti divinorum munerum? Quibus ereptum malis, quibus me periculis liberatum video? Quemadmodum sentio, satis certo scio dici nō posse. Renovatus est, et instauratus animus, qui foedatus pravitate scelerum fuerat: qui obscuratus, et tenebris circumfusus obscurissimis, illustrat^o nitet radiis Divinae Iustitiae, et splendet claritate Solis illustrior. Domicilium erit animus in posterum Spiritus Sancti, sedes Sanctissimae Triados, sacrarium Assertoris Iesu, donorum caelestium arca locupletissima, aedium divinarum opum, atque gemmarum opulentissimum, virtutum omnis generis thesaurus pretiosissimus, similitudo quaedam, atque expressa caelorum imago. Quid quod cū peccati crudelitate mortui fuissetis, gratia vivere videmur, et plane, vereque dicimur? Hinc multae praerogativae, multae Iustorum immunitates. Hos Deus immortalis tanquam membra sui corporis carissimos habet, et singularem habet curam, rationemque Iustorum, in illos multa beneficia confert, multis cumulat, et adauget opibus, neque unquam desistit dulcedine suarum voluptatum, et consolationū caelestium perfundere, et illis, quas purae et integrae mētes ca-

Zz piunt

piunt, iucunditatibus permulcere suavissimis. In multis etiã et variis molestiis, anxietatibusque aliorũ, in metu, in ruinis, et quasi vastatione terrarum imminente, cum ipsum caelum tonare, fulgurare, ruere velle videatur, terris omnibus offusa caligine noctis quasi sempiterna, in tãtis, tamque caecis nubibus, atque procellis, quieto maxime Iustus et animo tranquillo consistit: et ipsa conscientia dat testimoniũ spei, quã in Deo habere debeat, et rerum, quas fides in futuro saeculo pollicetur, et caritatis, qua egregie fideles amici Dei cum creatore suo arctius devinciuntur. Atque his omnibus beneficiis accedit jus illud, quod Iusti habent ad caelorum gloriã consequendam: qui reconciliati Deo, et in amicitia recepti suam faciles, et exploratos aditus habent in sedes, et in domicilia beatorum. Sed omnia Iustorum dona, singulas praerogativas velle persequi describendo stultum esset, et temerarium. Nonnullas et nõ parum singulares attigi: reliquas, qui tanto beneficio sunt affecti, passim animis experientur suis. Iusti quidem veros fructus ex confessione, ex precibus quotidianis, ex contemplatione rerum divinarum, ex Sacra Eucharistia incredibili planeque animorum caelesti voluptate percipiunt. Atque omnes illi, qui in religiosorum instituta vocantur, unde suae translationis, nisi a praesenti beneficio principia fecerunt? Istud quantum, quamque praecellens sit, et immortale beneficium, quae sequitur in religiosorum gratiam suscepta declarabit exercitatio.

BENEFICIUM RELIGIONIS.



Locus hic postulare videtur, ut de statu religionis non taceamus, sed fructus illius, si non omnes, at aliquot saltem exprimamus: qui cum sint innumerabiles, qui cadunt in familiares hominum sermones, ii potissimum breviter a nobis strictimque dicentur. Atque ille primum attingendus

us est, qui positus est in relinquenda saeculi vanitate, et in hominibus in religionem cooptandis: ut suorum eos magis poeniteat scelerũ, et illi vitam in omni corporis, et animi contentione exerceant adducendo semper et contrahendo magis singulos in dies arcum ad vitam usque cum sanguine profundendam potius, quã ut a recta instituti susceptive propositi disciplina vel minimum degeneret. Ita quidem alumni sacrarum familiarum egregie fideles, cum huic saeculo nũtium remiserint, de nova severaque religionis instituenda vita deliberare debent. Primum ergo exiunt illi vestes huius saeculi, novũ, et illius familiae sacrae, in qua cooptati fuerunt, proprium vestitum induunt, quod milites faciunt in bella profecturi: deinde capiunt arma sacrae disciplinae, id est vivunt more, institutoque suorum fratrum, pannum crassissimo filo contextum gerendo cum cilicio carnibus inhaerente penitus, caedunt se virgis ter ad minimum in hebdomada, abstinent cibis delicatis, et in ediam multos menses perferunt praeter solennis Ieiunii generi Christianorum indicti communiter definita tempora de praescriptionibus matris Ecclesiae. Atque haec adeo parce, duriter, atque praesinito fiunt, ut multi magno pallore sint, et incredibili macie, qua vix seipsum sustinent, et praes virium imbecillitate, exhaustis corporibus. Illud autem, quod datur in mensa, cum pauculum sit, et contemptum, tum conditum est sacrae lectionis auditione, vel alicujus sanctissimi pastus intenta meditatione. Quid quod ipsi lectos duos, et asperos noctu perferunt, et eosdem in tabula decumbere, vel humi jacere mos est, et ad mediam noctem dato signo matutinarum precum surgere de lectis, atque in templa persolutum huiusmodi preces per omne tempus contendere? Istud non potest non habere multum acerbitalis in carne, natura sua blanda, et delicata, et sui ipsius valde semper amanti: nam praeterquam, quod somnus interrumpitur, tum hyeme perferenda vis est, et omnis magnitudo

frigoris, aestate, tum cum se somno dare incipiunt, calorum molestiae cantus contentione magis augendae sunt. Sudare igitur magis viri religiosi, et omnem absorbere molestiam, tres continenter horas concinere, nec unquam a canedo suspendere nisi post legitimum tempus officio suo functi. Ad dote labores studiorum, exercitationes quotidianas, imposita humeris obedientiae onera, asperitatem vitae toleratu difficillimam, in nulla denique re homines hos non conari venire contra voluntatem suam, tum cum magis tuti videbantur in patria esse, a patrio solo ablegari, mitti ad barbaras, et immanes gentes ad patriae sedes nunquam amplius reversuros. Exercitationes omnis generis virtutum tanta contentione corporum, et animorum susceptae quantam vim habent ad poenitendi perfectam, absolutamque rationem? Cui vero ad proximorum salutem incumbant, quos labores necessarium est eosdem suscipere, quantisque fungi periculis, quas, et quam innumerabiles devorare molestias? Sic se homines isti gerunt, ut Crucem Christi Iesu semper suis humeris comportent, et occasiones quaerant praeclaras, et admirabiles, cum aliarum virtutum, tum patientiae modis omnibus exercendae. Valere iusserunt in perpetuum ludos huius saeculi, valere spectacula, valere convivia, comissationes. Valet autem apud eos dumtaxat divina voluntas, suorum praefectorum praescriptionibus, et sermone declarata: valet rerum divinarum freques et assidua meditatio: valet vigiliae, inedia, afflictationes corporum, rerum humanarum contemptio, Sanctorum, et Christi Iesu, suis verbis, et factis actiones exprimendi cupiditas. Ita vivunt, dum lucem hanc aspiciunt, ut consiliorum Christi Iesu itineribus contendant cum ceteris rebus humanis, opibus, et oblectamentis privati: ut quanvis in corpore hominum figuram et formam habeant, suis tamen actionibus divinarum mentium similitudinem exprimant contra naturae nostrae debilitatem semper infirmitatemque contententes. Ylli sive secum agant, sive cum aliis, res omnes.

nes ad caelorum gloriam, et ad Divini Numinis decus immortale conferunt: ut cum Divinis Mentibus nos agere, cum Angelis in humana quasi forma delitescantibus versari videamur. Sic vacui perturbationibus hominum, ita carnis appetitus, et cupiditates effraenatas domuisse visi sunt. Quantopere autem omnem occasionem, materiamque peccandi praecedunt, ut nulli magis a peccatorum periculis remoti sint, quam religiosi? quippe qui saeculi voluptatibus, humanis opibus ac divitiis, exstructis mensis, et frequentibus poculis, rixis, et simulatibus, Daemonis insidiis, et laqueis apertis, carnis illecebris, et lenociniis corporis, honorum, et dignitatum sedibus altissimis, iactatione, et ostentatione populari, hominum huius saeculi dissimiles confictari tantopere nequeant. Divitiis enim rerum humanarum despicientiam, ventris ingluvie temperantiam et abstinentiam, seditionibus et dissidiis iucundam pacem et quietem, insidiis Daemonis vigilias, et excubias perpetuas, libidini integritatem corporum, et animorum, honoribus, et dignitatibus, contemptionem, et demissionem, vento populari vitam honoris humani prorsus expertem, denique carni spurcissimae spiritum castum, et integrum, fallaci Mundo caelorum gloriam, Daemoni deterrimo Deum Immortalem opposuerunt. Quamobrem ut illi malis enumeratis carerent, et bonis veris, ac solidis perfruerentur, in religionem, tanquam in arcem tutissimam sese receperunt: unde saeculi rebus abdicantes sese, tutius, et liberius hostium nequissimorum hastas infringerent, et suos ab hostilibus incurSIONIBUS animos defenderent. Non videtis arcem, id est religionem maximis firmissimisque caelorum praesidiis munitam, Immortalis Dei robore, ac virtute divina munitam, contra vero saeculum tanquam plateam quandam patentem et apertam, et nusquam locorum praecclusos aditus habentem, taurum etiam ferocem ac truculentum, id est Daemonem furentem ac praecipitem, invadentem in homines, et innumerabilem multitudinem vulneribus maxi-

mis concisam, in inferorum sedes praecipitatum, unde evadendi nulla spes, nulla in hanc lucem redeundi facultas hominibus conceditur. Quantum vero, et quam multum temporis tribuitur hominibus ad versandum in rerum divinarum meditatione? ex accurata contentaque consideratione quanta lux, et quam illustris, et eximia claritas? ex luce quam ingens in proximos, et in Deum quam inflammata caritas? ex caritate quantum studium, et alacritas ad res gerendas? ex alacritate quam uberes et praestantes fructus, et hominis Christiani virtute dignissimi? Quemadmodum religiosorum mentes caelorum aulam pervagantur? sedes, et dignitates beatorum percurrunt? divinarum mentium splendorem perlustrant? in sanctorum gaudia divitias, et honores aspiciunt? in Virginis Mariae pulcritudinem intuentur? et ascendunt in solium Iesu Christi celsissimum? neque desunt, donec ad tabernaculum Sanctissime Triados pervenerint? Atque haec mentis oculis perlustrantes quam incredibiles, ac divinas caelorum voluptates percipiunt? Harum cum diurnitate, et infinitatem cum aeternitate nunquam interitura metiuntur, et fore vident, ut in Dei oculis, in tanti Numinis ore vultuque acquiescant in omnem saeculorum immortalitatem, abstrahi sine summo dolore non possunt ab istius contemplationis jucunditate. Quam illi quomodo sibi persuadebunt se percepturos esse, quorum vita ab instituto religiosorum, et virtute abhorret maxime? Quomodo qui Dei gratiam colligendam, et propter voluptates corporis retinendam minime omni contentione curabunt? Qui tot curis, et negotiis implicatur? quos rei familiaris cura, uxores, liberi, quos victus, vestitus ipse, quos nundinae, quos strepitus ac tumultus, quos in vitam humanam incidentes casus varii semovent et disjungunt a perfectioris vitae ratione? Quantam autem religio affert opportunitatem hominibus divinam voluntatem diligenter exequendi? cujus cum maximae gravissimi-

maeque causae sint, tum illa quantum pondus ac momentum habet, quod cum facta tanto praestantiora sint, et absoluta magis ex omni parte, quanto propius ad Deum Optimum, et Maximum accesserunt, nihil antiquius propositum est religiosarum familiarum alumnis, quam cogitationes, dicta, facta in scopum divinae voluntatis dirigere, quantumque ab ejus placitis deflexerint, tantum a perfectione summorum operum, quae de suis praescriptionibus in omni actione requiritur, abesse? itaque cum nihil magis velint, nihil magis appetant, quam ex recte factis meritorum Indies maximorum accessione fieri, tanquam scopum suarum rerum, principem et auctorem Deum Optimum suis operibus maximis, et illustribus factis mentis oculis complectuntur. Quoniam vero maxime obstat natura hominis pravis affectionibus corrupta, et sibi ipsi semper indulgens imbecillitas carnis, et divitiarum inhaerens animo cupiditas, quam ab his longe abhorret vita religiosorum, quae ad id enititur atque contendit, ut fibras pravarum cupiditatum evellat, et ex voluntate divina pendeat, aures satellitibus mundi non praebeat, omnia alieno gerat arbitrio, alienoque praescripto, nihil autem suo, cum religiosi sequantur duces vitae suae, quem praefectum familiae sacrae viderint honorificam Christi Iesu personam suscipientem, et gerentem in coenobio hujusce frangendae nostrae voluntatis, et divinae prorsus exequendae causa? His in rebus exercebant patres sanctissimi suos discipulos, quae iudicio mortalium nihil de via spiritus intelligentium absurdae, et ineptae videbantur. Cum jubebant illos consuere vestes, postea dissuere, texere fiscellam, continuo retexere, aquam haurire, et haustam effundere, stipitem aridum per totum annum rigare, quo jussa spectabant? quid illi agebant? quid volebant hisce mandatis ad aspectum oculorum ineptis, re ipsa maximis, et sanctissimis magistris omni perfectione sanctitatis absoluti? Nempe Deum

dūtaxat in suis factis intueri debere quēque sui ipsius profusus inscientem ostendebāt. Quod si religiosos ita formatos, et excultos videmus, ut praeter id quod Immortali Deo placeat, amplius appetant nihil, seque concluderūt in coenobiorum angustos parietes, et arctam custodiam, ut consiliorum Dei itineribus irent, quemadmodū eos servaturos fuisse mādata divinae legis arbitrabimur? Tanto quis animum a rebus abducit, quanto magis oculorum aspectum avertit ab illarum inanitate, manusque abstinet, nec gradum facit, ut illorum fallaci specie nunquam in errorem minimū inducatur. Quemadmodum igitur eximiū Deum habebit, qui saeculo, et ejus opibus se abdicaverit? an vero qui pluris Deum, quam vitam fecerit, pejerabit aliquando? dies festos non colet, quos ad majorem cultum, et religionem Deo praestandam recoli gaudet magnopere, interque mortales instaurari? denique qualem ille se praebebit in divina lege servanda qui ad summam perfectionem vitam exigit? qui nihil unquā nisi perfecte et absolute, nihil nisi summa cum sanctimonia, et ex Christi Iesu consiliorum sanctissima perfectissimaque disciplina praestitit? Quoniam autem in sacris familiis vivitur cum multis perfectis hominibus, planeque sanctissimis, et omnia quidem in perfectis, et maturis meliora, quae istius modi religiosorum virtutes? quam multae? quam praestantes, unde petantur demissionis, patientiae, modestiae, parsimoniae, caritatis exempla maxima praestantissimaque? sic equidem litteris florent, aut suas praefecturas habēt, ut quāto superiores sint, tanto submissius se gerant. Nihil autē jucundius evenire praestantissimo cuique religioso potest, quā in omni rerum tolerantia, et adversarum rerum perferendis malis exerceri. Cum modestia summa loquuntur, oculos interram defixos habent, manus vestibus ipsis conditas, atque adeo intra manicas contentas gerunt, sic flagrant, sic feruntur amore caelesti, ut vitam pro cujuscunque proximi salu-

te,

te, pro religione, pro Dei immortalis honore profundere gestiant incredibiliter. Adjuvantur illi maxime instituti sui praescriptionibus, ex Sanctorum, ex sacrarum litterarū medullis, ac visceribus depromptis. Iam vero idem incenduntur plurimis, et illustribus sanctissimorum hominum exemplis, quibus clarius, quam Solis splendore caelum, coenobia colucent, et illustrantur. Hic demissione praeditus est, alius patientiae laude decoratur, alius ornatur modestia, alius humanitate viget, alius est mirifice abstinēs, alius simplex, et apertus, hic laborum, et vigiliarū patiens, ille taciturnus, et quasi mutus, hic mansuetus, et misericors, ille multarum maximarumque virtutum cumulo exaggeratus, hic alijs virtutibus alias cumulat, et adauget: pro se cūcti dāt operam, ut status, et ordo sanctissimus virtutum indies maxima incrementa capiat, et instar apum, quae solertes, et providae sunt, flores ex viridario tam amoeno decerpat ad favos caelesti manantes melle fingendos. Cum vero cumulū virtutum omnium ex sacra religione petamus, tum mutuam conjunctionē fraternā caritate constantem libet in coenobijs admirari: qui sic in mutuo amore prosequuntur, et animorū summa conspiratione cōplectuntur, ut ex tot hominū aetate, genere, patria dissimillimorū animis prope infinitis unus animus conglutinatus moribus, studijs, et voluntate cernatur: id quod species est, et adumbratio beatorum amore tanto copulatae societatis: et quod summum in humana vita spectādum est, tot praesertim inter homines paucissim exortis causis, et datis occasionibus, quibus dissideant capitalibus inimicitijs, et eo usque rabies, et furor multorum progrediatur, ut proximi vitam, et sanguinem sitienter appetant: sic propensi sunt ad benefaciendū, communicant, et vicissim impertiuntur, quidquid nacti fuerint, praestant sibi mutuas operas, de suo jure nihil non reperiunt alijs placendi causa. Quem vultū? quā hilaritatem ostendunt? quae verba, quam amoris plenissima facit, si subtristem fratrem suum vident, accurrere, confo-

A a a la

lari, quod factu opus fuerit, offerre libenter, et praestare continuo. Denique nihil magis in ore religiosi est quam caritatis verbum suavissimum, aut quod ad illam maxime pertineat et conferatur. Hac caritate flagrantes, nihil tam arduum erit, ac difficile, quod non fratrum suorum gratia fratres aggreduatur, et perficiat. Onera illi maxima ex parte perferunt, aegrotis inserviunt, de ore (quod vulgo dici solet) cibum detraherent, ut eo fratres vescerentur. Omnes denique sic vivunt, ut communicent fructus bonorum omnium inter se; et participes sint laborum, et cujuscunque generis lucri, quod in animorum salute procuranda factum sit a quocunque, et singuli partem meriti ferant, quod frater assequutus fuit in omni suscepta virtutis actione. Ad has maximas, et admirabiles utilitates accedit illa trium votorum, quibus astringuntur, et veri religiosi fiunt, dum abdicant se bonis hujus saeculi, et in omni rerum inopia vivere volunt, et extrema mediocritate: qui corporis, et animi vovent integritatem, quam se per omne vitae suae tempus castam et inviolatam servaturos esse promittunt. Denique sic se in disciplinam hujus, aut alterius sacrae familiae tradunt, ut jugum obedientiae nunquam abjecturi: sed in illius potestate futuri sint, et imperio, quibus se submiserunt, et omnes vitae suae actiones ultro commiserunt. Horum trium religione votorum astricti, tanquam vallo septi fidem datam servant, et tanquam boni milites prius mortem fortiter oppetere parati sunt: quam ab Instituto suo deficiant. Ut alia de votis omittamus dicere, vel obedientiae vim consideremus, qua constricti milites religiosi quantam multitudinem, et magnitudinem meritorum assequuntur: nihil sua unus sit praepositus curae regiminique totius coenobii, alius maxime praestans, et egregius cocionator, alius procurator domesticarum, et externarum rerum, negotiator, alii magistri, vel patres designati pleno, et aperto ore appetunt: incedunt enim ad honores praedictos, ad suas praefecturas maximis ingenii, prudentiae, litterarum, virtutum periculis factis. hos sanctissimos patres venisse, atque in hunc modum, et rationem,

qua

qua progressio admirabilis, incredibilisque cursus ad omnem excellentiam factus est singularibus viris, et principibus sui ordinis. Intelligunt etiam illi cujuscunque boni religiosi munus esse, seipsum ducere horridum et incultum, subrusticum, et nullo ingenio praeditum ad rerum domesticarum procuraciones, nulla industria, neque solertia, in coqui potius in sumum ministerium ablegandum, quam publicis muneribus praeficiendum: ut ipse inter sartagines, et ollas, non inter libros et codices tempus insumeret: in culina ageret, non in gymnasiis: in cubiculo privatim delitesceret, non in suggestis, non in hominum luce versaretur. Quo autem aliquis majores progressus fecisse visus est in spiritus divini via, sui ipsius nullam rationem haberi vult: sed ex occasionibus multis, ex multis exercitationibus virtutis specimen ita dare consuevit, ut nihil magis cupiat, quam ut in aliorum oblivionem virtus sua veniat. Sic cujuscunque boni religiosi quotidianae sunt exercitationes, frangeret seipsum, cupiditate rationi obediens facere, ut nulla vis, aut propensio voluntatis ab obedientiae praescriptionibus dimovere, vel a cetero religionis studio retardare possit. Vbi primum ille a superioris ore verbum emissum audit, aut significatione sola, aut nutu quocunque voluntate explorat superiorum, nullam moram interponit, quin opprimat sensus omnes, et voluntate superiorum, tanquam divinam praescriptionem judicio suo longe anteponat. Itaque religionis alumnus se sum omnem repudiat, committit sanguinis communionem, cognatorum consuetudinem, et familiaritatem, et omnem vitae praesentis jucunditatem. His donis ac muneribus cumulatus religiosus per omne vitae suae tempus, tot beneficiis et tam innumerabilibus auctus quem vitae exitum, quam mortem vitae castissime integerrimeque actae consentaneam habebit: quam plenam spei, et confidentiae discedet e vita, et in illis extremis spiritus angustiis nihil Daemonis feritatem, nihil inferorum sedes exhorrens haec terrarum sola libes ac laetum relinquet. Quemadmodum qui terrenis affectibus implicati, corporum voluptatibus, carnis lenociniis dediti, divitiis et opibus hu-

jusse saeculi intemperanter inhiantes, quia toties his sordibus, et coeno se volutarunt spurcissimi homines, in ipso decessu ab his, quae relinquere illos jam tandem necessarium est, terrarum perituris bonis cogitatione abducere non possunt, moesti, tristes, anxii, solliciti, et saepe salutis diffidentes animorum discedunt, sic equidem milites probos sacrarum familiarum, qui cum carne perpetuum bellum gesserunt, et acerrime dies noctesque congressi fuerunt, quoniam se castos, et integros per omne vitae tempus conservaverant, et dominas habuerant libidines, et carnis insurgentes perturbationes compresserant, necesse est hoc tempore minimam cum corporibus suis contagionem habere, quoniam multo ante praemeditati sunt mortem ipsam, et jam tum a primis introitus in Religionem cubulis ad mortem sanctam, et praecellentem se compararunt, et ob eam causam aequis animis perferre distressum, vel libentibus potius voluntatibus accipere, tantum autem a perturbationibus, ab angoribus mortis abesse, ut adventanti morti laerantes occurrant, et extremum citius spiritum edere gestiant, ut corporis compagibus soluti statim ad Creatorem suum evolent, et praemiis Beatorum aeternis, et conspectu tanti Domini sempiterno perfruatur. Quot, et quam praeclarae mortes virorum omni sanctitate praedictorum commemorari possent? Sed id longum esset, et a nostro proposito multum abhorret. De discessu religiosorum egregie fidelium conjecturam faciemus non incerta spe dependentium: si consideraverimus introitus in religionem salutis aeternae post mortem consequendae indices esse non obscuros, et obides egregios generi cuicumque bonorum religiosorum datos. Quod signum tanti faciendum est, quantum verbis a me explicari nulla ratione possit: Homo enim introitu suo in religionem non in aedem Domini solum acceptus fuisse visus est, sed in palatium quasi regium, quod familiaribus, et intimorum numero habitis patet, atque adeo in viridarium suum divinis arboribus confitum, suavissimis ac-

pul-

pulcherrimis floribus distinctum intromissus. Nam si videmus gratiae peculiare signum dedisse Magnatibus Regem, quos in aula sua regia secum versari semper vult, secum colloqui, secum esse, nunquam a latere discedere, unam arcem incedere, consiliorum participes fieri, deferre maximas eiusdem partes suorum administrationis imperiorum, quid de religiosis viris dicemus, quos in horto Ecclesiae jucundissimo Deus non solum esse voluerit, et ex Christianorum numero felicissimo haberi, sed in praecipuam partem, in viridaria amoenissima, valdeque mitentia sacrarum recipi familiarum, tot affici beneficiis, tot donari prerogativis, et immunitatibus, omnium maxime gratiosos, et splendidos esse, et delectum de praecipue, maximeque praestanti genere mortalium florem, decus, et ornamentum Ecclesiae, principesque Fidei Christianae clarissimos, qui stemmatibus Optimatum honorificentissimis, gloriosissimisque insignibus a reliqua societate mortalium internoscantur? Quos dicemus illos, quos Deus immortales singulares, et eximios habeat, gerat in medullis, et visceribus, et cum opte singulari, tum robore, et patrocinio suo tueri nunquam desinat, et eisdem adesse filii sui, Virginis Mariae auxilio peculiari, ut Deus ipso ad sacras religiosorum familias tuendas, opes caelorum cunctas, thesaurosque locupletissimos contulisse videatur, et effudisse? Agite jam conferamus religiosae vitae fructus, et palam propositas ejusdem opes amplissimas cum aliis cujuscumque status et ordinis bonis, et fortunis comparatis. Atque ut a laicis incipiamus, quid conferam pericula saeculi cum religionis mira securitate, qua frui non possunt laici, qui vitam sic agant, tanquam parturiant aliquid semper mali, cum non illud adest et praesens est? quid vitia hujusce gentis, cum religiosorum maximis clarissimisque virtutibus? quid onera varorum, et uxorum, quid vincula matrimonii cum levamentis, et quiete religiosorum? quid mercatorum? quid aulicorum? quid militum? offensiones, et gravissimas molestias cum religiosorum omni periculo, et

Aaa 3. lae-

cura liberis et solutis animis, incredibili semper ac divina lactitiae voluptate perfruuntibus commemoré? Absunt ab hoc statu bellorum tumultus, hostiles incursiones, illata vulnera, servitutis jugum, expugnationes, direptiones spoliationesque bonorum, necesse, et strages factae. Si qua ex civitate illi pelluntur, in aliam recipiuntur jucundissime: cum ubique locorum aedes et domicilia suorum reperiatur. Cum denique errent in consiliis saepe capiendis laici, religiosi, quod praefectorum mandato suorum iter fuerint ingressi, quos duces et principes vitae suae in Christi locum suffectos acceperint, sine ulla quidem errore persequentur. Sed quanto opere laici religiosi praecellant sine controversia profecto patet. Videamus praestantiam religionis supra presbyterorum ordinem simplicium. Presbyteri ita quidem vivunt, ut procurandae salutis animorum non omnes provinciam sustineant, et qui semel tantum animorum onus suis humeris imposuerunt, cum collibitum fuerit, alio voluntatem transferre possunt suis dumtaxat animis consulentes, religiosi, quod semel vitae institutum acceperunt, votorum religione constricti in extremum usque spiritum constantissime retinebunt: presbyteri nulla vota publice faciunt, quamquam tacita servandae castitatis voti religione teneantur, religiosi tria vota, paupertatis, castitatis, et obedientiae anno tyrocinii exeunte sacra solenniaque faciunt in oculis, et conspectu mortalium presbyteri non ex aliorum voluntate pendent, non alieno vivunt arbitrio, religiosi se suasque res praefectorum, quos sortiti sunt, voluntati devoverunt, et eisdem vinculis religionis astricti parere debent, et parebunt per omne vitae suae tempus: presbyteri gerunt honores, et dignitates Ecclesiae, opes et divitias habent amplissimas, redditus annuos, et opima sacerdotia, religiosi his se jam bonis, his honoribus, et dignitatibus saeculi abdicaverunt. Videre est presbyterorum auctoritatem, et gravitatem, multorum famulos, et mulas, quibus vehuntur, opimas pulcreque stratas, at religiosi quanta cum demissionis,

missione, quanta cum istarum rerum despicientia et contemtionem vivunt? denique presbyteri ad animorum salutem incumbant, audiant confessiones, conciones habeant, totum istud, quodcunque est, quod in animorum curationem tendens non potest non esse magnum, et excelsum, multo magis in religiosorum actionibus eminet, et elucet: cum presbyteri commodis suis et emolumentis ducti provinciam hanc saepe susceperint, religiosi nullis redivis, nullis sacerdotiis commoti, dumtaxat animorum salutis appetentissimi, non in patrio solo, non in urbibus solum nationum suarum, sed in externis locis, in disjunctis Indiarum regionibus terras omnes, et maria transmittentes proximorum saluti vacant, atque adeo inter hostiles haereticorum sedes, in gladios, in servitutem, in mortis aperta pericula se conjiciunt lucrificandorum immortalis Deo dumtaxat animorum gratia. Atque hos in hujusmodi causa variis tormentorum generibus excruciatos, negatosque fuisse cognovimus. Quid dicam de solitaria vita, quae quidem ratio virtutis, et colendae sanctitatis, quam vis paene jam exoleverit, atque ex hominum quasi consuetudine sublata fuerit, tamen apparer, quam illa religiosorum instituto cedat? Demus patribus solitariis, illos fugisse celebritatem, et in vastam ac desertam solitudinem se recepisse: tribuamus eisdem rerum divinarum meditationem, et eisdem in hominum silentio jace, re potius voluisse, quam honorificis hominum linguis, et quotidianis sermonibus praedicari: concedamus asperitatem vitae, victum aridum et tenuem, castigationem corporis, confessiones, et vexationes assiduas: ex horum numero fuerint Macharii, Hilarii, Antonii, et alii patres solitarii, virtutis absolutae numeris omnibus admirabiles: sed hac nostra, et praeterita fere quaecunque mortalium memoria, religiosi partim in solitudine sunt, partim civitates incolunt, neque solum in rerum divinarum meditatione versantur, sed Martiae suscipiunt exercitationes, et omni genere virtutum excoluntur.

perpoliunturque: neque vitam religiosi minus rigidam, minus plenam asperitatis, et omnibus afflictationum aculeis acriter pungentem agunt: et non sibi solum, sed proximis nati fuisse videntur, qui praescriptionibus suis, mādato majorum, exemplo bonorum ad perfectionis absolutam normā enituntur, atque contendunt. Ex horum hominū flore fuerunt Dominici, Frācisici, Hieronymi, Bruni, Augustini, Duces alii, et milites religiosarum familiarum strenui, qui suae militiae legitimis stipendiis confectis in sanctorum numerū ascripti beatorum laudibus, et honoribus afficiuntur. Atque horum factorum militum non una familia, sed multae sunt, et vigent cum instituto vitae proprio, tum suis insignibus, et vestitu, quo facile dijudicantur, et internoscuntur a caeteris. Numerarem singulas, nisi longius exercitationem pro-
 vexissem: sed in duas principes familias sacras Franciscanorum, et Dominicanorum oculos conjiciamus. Videte Franciscanos vestitu fuscō, colore cinereo indutos, qui gerūt tuniceas ad talos usque demissas, atque illas constrictas funiculis ex multis filis intortis, et intervallis aliquot nodis interjectis, qui a fronte in genua usque dejiciuntur: Pallium neque breve nimis, neque adeo longum est, ut terram attingat, aut ad calceos perveniat: quod tunicis communiter impōnitur hyemali tēpore suis uncinulis in foemellas insertis contra vim frigorū, et aquarum, quae hisce temporibus solent exsistere, multitudinem. Cum autem multi partes incolant nivibus obductas plurimis, et continuo rigentes gelō: cum etiam patres isti saepe faciant itinera magnis imbribus, gravi tempestate, capita cucullis cooperiunt, nisi cum aperta relinquuntur verno tempore, in occipitium rejectis. Bini semper accedunt usitata consuetudine monachorum, summa modestia, defixis oculis in terram. Dominici quoque alium modum, atque formam vestiri internoscuntur: qui naticas gerunt albentes ex lino candido factas, colobio supra tunicam injecto lino, similiter et candido, et tunicas corpi-

giis

giis coriaceis duos digitos in latitudinem patentibus astringunt, et supra tunicam pallia nigro colore gestant, et delapsa ad ultimam usque tunicam: ut nec minimum orae extremae tunicae albentis appareant, nisi de numero fuerint angustioris, magisque arctae regulae. Cum enim isti ad primam regulam redacti tunicam palmum altius a terra sublata corporibus gerāt, tum brevioribus palliis, magna ex parte tunicis albis apparentibus, utuntur. Et tunicae, et palliorum colore nigri, albentesque cuculli congruunt ad tegenda capita multo Franciscanis latiores: sed candidis domi, nigris foris utuntur, in quos id temporis albētes inserti sunt, qui toleratu facillimi sunt, cum ex tenuissima lana fuerit uterque contextus: atque illi paulatim in finem angustati, et acuminati in terga delabuntur. Manicae tunicarum laxae sunt, et amplae: quas in hunc equidem finem factas arbitror tāta laxitate, ut in utraque manus inclusae contineantur ad modestiae specimen, et exemplum singulare: quas, cū opus fuerit, inferant, et efferant. Quare afficiamur in religionem, ea saeculi relicta celebritate, quam videtis: tanto poenitēdi dolore, afflictationibus et cruciatibus corporis, quot torquentur et excruciantur indes acerrime: tanta demissione, tāta caritate, tot et tantis ornamentis, et fructibus animorū, quātos convenit religiosorum existimari, qui sanctissimis viris, et principibus consummatae perfectionis abundant: dignitate tanta, quae amore Dei praecipuo, singularibus praerogativis, et immunitatibus, et honoribus caelorum decorata videatur: tanta denique praesentia sui status, et amplitudine, qua, quemadmodū praediximus, superioribus vitae modis, et rationibus tanto intervallo praecellit. Gratiās postremo Deo immortalī agamus, qui religiosorum florem ad Ecclesiae conservationem, et amplificationem maximam facultis omnibus, et gentium cūctarum aetatibus tanta semper fuerit benignitate largitus. Petimus quoque, vel precamur potius ab omni genere mortaliū, si quae in tanto vitae

Bbb sta-

statu, et optime de salute animorum genere religiosorum merito precatio iusta fuerit, ac necessaria, ut eos viros, qui nos, qui nostras res, qui populos, qui civitates, qui regna insigni sua virtute conservant: qui etiam praeteritis periculis, et quibuscunque miseris sua sanctitate, suis precibus divinam opem et auxilium tulerunt: quique sunt eo genere, qui semper Deo cari fuerunt, et accepti, sic in nostrum complexum recipiamus, ut studiis, et officiis nostris aucti semper, et omni ratione cumulati fuisse videantur.

PROFESSIO MONACHORVM.



Religionis beneficium sequatur professio celebrata monachorum, in qua, quae videro magis praecipua esse, magisque ad praesentem votorum celebritatem sacram solennemque spectare, breviter ostendam. Ornato templo post vespertinas preces, ut fieri plerunque solet, praefectus coenobii Beati Augustini cum fratribus suis, et patribus ejusdem sacrae familiae prodit in sacellum maximum, qui cum partim fedes occuparent, partim illi gradus complerent arae maximae, qui in tyrocinio versabantur, et prima ponebant fundamenta vitae tunc primum inchoatae, multis externis viris, et mulieribus extra sacellum spectantibus actum pulcherrimum, et praestantissimum professionis optatae, ipse in sella proximus sacelli maximi cancellis, ut illum videre potuissent omnes, auctoritatem obtinebat praefecti maximam. Producitur statim tyro a praefecto tyrocinii deductus in sacellum, ut vota sua faciat sacro, solennique ritu religionis. Erat medium sacellum stratum tapete pulcherrimo, atque in illo jacebant complicatae, constrictaeque cortigiis Ordinis Beati Augustini vestes, quibus post emissis votis tyro erat induendus.

tyro simulatque ingressus fuit in sacellum, recta ad praefectum Coenobii contendens, ad illius se pedes abiciens, et osculatus manus de more religiosorum, de adventu suo rogatus, et cujus rei gratia in illum prodisset locum, misericordiam se venire imploratum patris praefecti tyro respondit avidus in Augustinianorum se societatem ascribendi: quod periculo jam facto exercitationum ordinis, et transacto jam anno tyrocinii probe intelligebat de benignitate Dei sperans, se onus religionis sustinere posse perferreque ad extremum vitae spiritum. Addidit idem, si secum contenti fuissent, non minus illorum placita, atque praescriptiones placuisse sibi, itaque se decretum ac deliberatum animo habere, militiae Augustinianorum nomen suum dare, hanc amasse ab incunabulis, et illius nunc majore deslagrare desiderio: ille quoniam potestatem haberet, et nullam illum excludendi causam, suum animum expleret. Confirmabat ipse paratissimum se esse ad omnia munera religionis, et ministeria diligenter obeunda, atque animo tria vota, in suo conspectu, in oculis spectatorum, in praefecti tanti manibus, se venisse faciendi. Quare hoc esse tempus concludebat, cum per decreta Sancti Concilii Tridentini, perque religionis tantae sanctiones Deo se consecrandi, tantoque Domino ultro devovendi per tria vota voluntatem praestare voluisset. Praefectus ad haec verba tyronis multa objiciebat, et opponebat, augebat verbis, quantum poterat, onera religionis, in medium adducebat difficultates, laboremque paupertatis, et castitatis conservandae. Idem hortabatur, ut prospiceret, quantum in obediendo difficultatis, et quantum laboris in frangendo seipso, et ad praefectorum voluntatem actionibus suis conformandis fuisset habitura vita. Inedia perferre, vestire sacco asperum, ter in hebdomada flagellis carere, caedere, humilia, et contemta officia facere, media nocte de lecto surge, parte illius maximam precibus matutinis adhibere, mitti de

patria sua in alias urbes, aut in populos exulē, saeculo nutū remittere, parentibus, amicis, cognatis salutē tandem in omne suae vitae tēpus dicere, denique repudiare, quae cara sunt ac per iucunda saeculo, dormire totas noctes sine ladicibus, magnum negotium, et magis difficile esse, quam ad aspectū oculorū videatur id hominibus, asseverabat. Accedit illud, dicebat praefectus, Carnem teneram esse, blandam conciliatriculam voluptatum, Daemonem obsidere animos bonorū nullo non tempore, denique nullam non machinam moliri, ut a Deo abstrahat Divinae Majestatis cultores, Mundum plausus inanes, vanas saeculi gloriolas, tot honores, tot dignitates, et reliqua delectamenta sectatorum suorum usurpare crebro, exprobrare item sui similibus adolescentum equitatus, peragrationes, lustrationesque quotidianas, atque omnia quidem eo spectare, ut apud se sit adolescens magis obfirmato, magis animo constanti. Itaque ita concludit orationem suam, tempus praefens esse ejusmodi, quod detur ad deliberandum, cum liceat manere cum religiosis, vel ad saeculum redire: quod sui juris ac mancipii sit: quod id in sua manu positum est, unum, aut alterum optare: nā simul atque tria vota fecerit, amplius ad ollas Aegypti facultatē redeūdi non dari, quod omnes ab hoc tempore praecclusi sint exitus, neque referre pedem liceat, quem tribus obstrictus votis in religionem intulerit. Cum tyro in sententia permaneret, atque liceat illi jam tandem per praefectum tria vota facere, ea res emittit, et intenta voce, clare perspicueque, ut ab omnibus, qui sunt in templo non audiatur solum, sed etiam intelligatur. Atque ille secundo magis vocem intendit, tertio decantans. Deo se obligat. His rite votis nuncupatis vestes sacras induit, ut saeculum exuisse profus videatur, et novum hominem induere. Atque ipse novus miles jam in religiosorum sodalitatē veteranorum ascriptus pronus se tandem abicit, et prostermit in terram in specie ac similitudinē hominis hujusce vitae muneribus defuncti, ut plane videatur

TUR

tot agere mortuum aliquē, qui de saeculo decesserit, et corpore quāvis fuerit in hoc saeculo, animo profus abstractus ab illo vitam novam, novam militiā, atque disciplinā Mundo contrariati, et adversam Daemoni, Carni semper infestā atque acriter resistētem ineat. Id temporis milites religiosi concinere precationem aliquā, atque uti precibus nonnullis vitam sanctiorum, jacere novus miles, non se commovere nimium, neque videri respirare, quasi effigies quaedam jā, et expressa similitudo mortui, togere spectatores, ejulare mater, sorores, et matronae, quae diei tanti celebritatem honestatum venerant, neque se viri continere, non tenere posse lacrymas, proferte strophiola, abstergere oculos, omnes dicere felicem ac fortunatum talem ac tantum adolescentē, orare Deū, fortunare velit, et indies majore tam bonū adolescentem cumulare sanctimonia. Sed ecce dolor iste, ac sensus animorum, tantū fluctus ac lacrymae in jucunditatem atque gaudium, in consolationem et in spiritus voluptatem caelestem se converterunt, cum sublevatum de terra novum militem praefectus novisiorum primum ad praepositum coenobii, deinde ad fratres, et ad patres reliquos deducit, illi tanquam fratrem, et in suam jam societatem admissum amplexantur: interim psalmi laudes Deo tribuētes immortalipro beneficii praesentis magnitudine cunctorum vocibus modulatae sonantibus concinuntur. Atque hoc cantu in caelum sublato, ordine singulari in domum interiorem admissum religiosum fratres patresque referunt atque reducunt.

DE POENITENTIA.

Et quam bene collocatum sit tempus, et consummum, quod poenitendi fructus praeterire non patitur intelligamus, de his agemus, quae ad corporis consuetudinem, pertinent, id est de poenitentia, quae per fugium est, et anchora.

Bbb 3 tu

tutissima miseriarum, in quas propter peccata nostra incidimus: si voluerimus eo, unde defleximus, tenebris et caligine disiecta, reverti. Ad hanc primum conditio peccati adhortatur peccatorem, et status miserabilis, in quo versatur: qui infestus est Deo, et Divinis Mentibus, neque peccator seipsum intueri posset, si maxime vellet aspicere, et si posset, miserias suas, et foeditatem oculis usurpans exhorreret animū suum proculdubio, tanquam dirum omen, et portentū horrificum. Quare quoniam oportet hominem suorum poenitere scelerum, quae perpetraverit in Deum immortalē, proponat sibi tabulam hanc, (quam Theologi secundam post naufragium appellant) excitabit animū ad misericordiam aliquam sui ipsius capiendam, et dolorem capiet acerbissimum ex admissorum scelerum conscientia, ut a seipso poenas justas ac debitas pro sceleribus exspectet. Una haec via peragrandi, hoc iter poenitendi suscepturus est ille, qui post gratiam ex Sacro Fonte collectam naufragium miserimum fecit peccando, violandoque fidem datam in Sacro Baptismate, si portum pacatum et tranquillum beatorum hac in tabula reficiendo se ex naufragio tanto tenere voluerit. Nam postquam opes Baptismatis impudenter, et nefarie peccator effudisti ad eos vitiorum scopulos appellens, ad quos animi navim afflictam, et in quibus tuorum naufragium bonorum videre cum maximo dolore coactus es, haec te una tabula delectare debet: ut in hoc naufragio colligendo ac reficiendo, ad salutem animi vis omnis, et virtus poenitendi contendat. Atque ut te peccatorum maxime tuorum poeniteat, dabis operam, ut peccata maximum dolorem efficiant, maximum etiam animorum motus, dolendo tuam vicem, et miserabilem ruinam, et quam maxime, et quanto etiam animi dolore queas. Hunc dolorem ut capere non difficile sit, redige in memoriam cursum omnem antea actae vitae, et flagitia, quae in aetate sensus, et ratio-

nis

nis particeps suscepisti: repete memoria oblivionem, quae te per illud omne tempus virtutis, atque Dei coeperit, perfidiam, qua donis a Deo datis, et muneribus turpiter fueris abusus, fortunis ad cupiditatem, pulcritudine ad libidines, ingenio ad fraudes, atque fallacias, beneficiis in te collatis ad superbiam, ad jactationem, ad animi pestem, et exitium: Et quoniam peccatum disjungit hominem a summo bono, et abstrahit a fine, in quem creatus est: finis hominis est Deus optimus ac Maximus, et gloria caelorum, in quam homo genitus est, et susceptus in hanc lucem, non ad vineas conferendas, non ad aedes aedificandas, non ad voluptates percipiendas corporis, sed ut Deum coleret, illi inserviret, et servaret legem divinam, et via mandatorum Dei, et obsequii divini contēdendo, finem, in quem natura humana spectare debet, consequeretur: ad hunc finem facilius obtinendum Deus homini legem, quam coleret, et ad legem servandam, liberam voluntatem, et gratiam, sacramenta, fontem, et originem gratiae immortalis, praeceptores, qui bonis illum moribus infunderent, intimos animorum sensus, quibus intus ipsi afficerentur, ad pietatis, et honestatis studium, et quod caput est rerum, Filium suum ad expianda scelera mortalium crudelissima morte mactandum praebuit. Ut ad hunc etiam finem homo contenderet et eniteretur, vitam, incolumitatem, vires, animi tria munera praestantissima, sensus, et membra corporis largitus est: ut in obsequium domini, a quo tantis beneficiis affectus fuerat, tantorum munerum largitatem conferret. Quem idem etiam Deus fecit omnibus bonorum copiis circumfluere, ut ope divitiarum vitam tueretur suam, et sublevaret inopiam, et miserias egentium: ut opes et copiae non superbiae, ac libidini, sed bonitati, ac moderationi facultatem et materiam darent: atque his ille donis ac-

Bbb 4 mu

muneribus ornatus, tantis divitiis, et copiis bonorum circumfluens viam sibi patefaceret ad gradum caelorum obtinendum amplissimum. Quam homo retuleris creatori tuo gratiā, quemadmodum ea in gloriam, et decus tanti Domini contuleris, intruere: qui te totū ad res humanas atque perituras, ad pecudum voluptates, et libidines nefarias abjeceris illis te totum dedendo, et improbe corpus, et animum obstringendo, oblitus creatoris tui, suarum praescriptionum, per quas ad caelorum gloriam, ad Deum, quem unum finem actionū tuarum praeponere, et sequi debuisses, admirabili cum celeritate contēdere necessarium erat. Quando peccator coluisti mandata Dei, qui nefario scelere mandata omnia polluendo, sic omnia violabas, ac si crederes fidei praecepta ex mendacio facta? quoties falsa dedisti iusiuranda? nihil tua pejerare passim, et levibus minimisque de causis, pro uno saepe nummulo, quem pluris ducebas, quam gloriā Creatoris tui. Quando visus es celebrare dies festos, quos ad aleam, ad pilam, ad folia picta, ad pactiones factas cum grege tui similiū sumebas? sic cōcelebrabas dies Christi militibus, et Virgini Mariae sacros? Ita ne te comparabas ad deploranda hisce diebus flagitia in Assertorem Iesum admissa, qui dies hos exspectabas, et ante multo quam adessent, praestitueras, et pactus fueras ad violandam Majestatem divinam? Quo honore et parentes, et majores natu afficiebas; qui nunquā respexisti praeceptiones et mandata sua? Qua propensione animi fuisti in proximum, quē propter inanes gloriolas, propter exiguos rumusculos, et umbras huius saeculi, quae pleinae sunt futilitatis, summaeque levitatis, tanta levitate semper, et jactatione te ipsum efferens contemnisti, male tractasti usque eo progrediens, ut mortem illius appetieris miserabilem, et machinareris per satellites, et ministros tuos? Qui nam a corpore, ab animo nefarias cohibuisti libidines, qui toties turpibus verbis, impuris cogitationibus, consuetudine scelerata, appetitionibus, et attractionibus illecebras voluptu-

luptatum omnium excitabas? Quis explicabit turpitudinem cogitationum, verborum obscoenitatem, cultus corporis, et ornatus varios, lustrationes viarum, et deambulationes tuas, aditus, exitus, congressus, et sermones tuos, nova inventa, atque machinationes, novas fraudes, et inusitata genera maleficiorum? Quid dicam de avaritia, qua aestuabas? An ullius rei magis appetens eras, quam pecuniarum? Iam vero petulantia linguae, et consuetudo obtrectandi, et detrahendi de fama proximorum, et honore, in circulis, et in conveticulis corrodingi, quam te infestum faciunt, et infensum hominibus, atque Deo? Nemo numerare poterit blanditias, et illecebras verborum, lenocinia, et adulationes ad captandas hominum voluntates, et ad stultos homines infatuandos, ut de stultis insanos faceres, et ad tuam libidinem explendam obedientes. Nemo commemorabit mendacia, et execrationes, nemo falsa iusiuranda, quae semper habebas in ore tuo, ut singulis prope verbis jurares, in certum numerum rediget. Quoniam autem haec mandata Dei ad duo praecepta revocantur, quorum unum ad Dei gloriam spectat, alterum utilitatem respicit proximi: plane reperies in omni decursu vitae tuae, neque honorē Dei, neque comoda proximi respiciendo, sed omnia metiēdo commodis, et voluptatibus tuis ritu te pecudum intemperantissimarum vixisse. Si tamen a mandatis divinis ad septem peccata, quae capitalia dicuntur, veniamus, invenies proculdubio, quam omnibus his vitiis, et flagitiis contaminatus, et obstrictus fueris: quanta in te ambitio, quanta honorum contentio, quod studiū gloriae, quae cupiditas pecuniae, quam infinita, quam insatiabilis, quae insolētia fuit, et elatio animi, jactatio etiam inanis verborum, atque ostentatio factorum superbissima. Nunquam non iracundia efferri, nunquam non invidia flagrare cōsueisti. Delicias, et voluptates corporis, torporem et desidiam ad exercitationes virtutis suscipiendas semper in te fuisse non negabis. Atque ipsas benignitatis, et miseri-

cordiae tam ad corpus, quam ad animum spectantes actiones memoria repete, nullam illarum unquam rationem habere visus es: nunquam oculos misericordiae coniecisti in pauperes, qui tam in res tuas fuisti pius ac misericors. Quod si ingrediaris in beneficia, quae Deus in te contulit, in quos precor usus ingenium, vires, naturae dona, facultates, et divitias contulisti tuas? In res equidem vanas, ac perituras, in ludos, in spectacula, in convivia, in libidines effraenatas. Ita quidē vixisti, ac si nihil deberes Deo, qui te de nihilo finxit ac formavit hominem: nihil a tanto coepisses Domino, tu tamen auctor, et artifex fuisses corporis, et animi tui, nulla unquam in re ab infinita Majestate pendens, et divina tanti Domini providentia. Qui secum haec tacita cogitatione perpenderit, excitabitur, et adducetur facile ad dolorem de peccatis, et de sceleribus non mediocrem accipiendum. Quid cū consideraverit jacturā, quam propter peccatum facit? Primum enim homo gratia Divini Spiritus, re omnium maxima, quae hominibus a Deo donari possunt in vita, privatur, tum etiā amore, et caritate Dei, quae semper habet sociū, et comitem Spiritum hūc caelestem. Quod si privari quenquam amicitia Regum, et Imperatorum hujusce saeculi magnum habet dolorem, quo dolore cōfictari aequum est, ac moerore hominē amicitia Divini Numinis, et ejusdem donis ac muneribus orbatum? Adde aditum ad caelorum regionem inimicis Dei praecclusum esse. Illi autem requiem, et tranquillitatem animorum nullam habebūt, qui a suo Creatore fuerint alienati: nullam accipient consolationem, nullos fructus bonorum caelestium, neque fructus ferent meritorum, quae sibi propter praeclaras vitae susceptas actiones, antea plurima debebantur, et maxima, quin ad ullam meritorum partem, quae justis suis virtutibus cumularunt, quorum illi participes fuissent, si permanissent in amicitia Dei, minime vocandi sunt. Quid quod uno dumtaxat admissio capitali peccato, si peccator in gratiam cum suo Creatore nō

redeat, illud consequi necessarium est, hominem hunc addici poenis inferorum, e numero justorum tolli, de Filio Dei mācipium fieri contemptissimū Daemonis? Qui sedes antea fuerat, et domicilium sanctissimae Triados, receptaculum ab admisso sceleris tempore latronum erit, et ferarum immanissimarum. Inter quas jacturas illa omnium maxima est, et deploranda omnium maxime, peccato capitali suscepto privari cōfestim hominem divini Numinis majestate celsissima: quo summo bono amisso in eas infelix, et aerumnosus homo miseras incidit, ut deinceps neque parentem, neque tutorem, neque pastorem, neque perfugium, aut praesidium rerum suarum Deum sit habiturus immortalē, non defensorem, neque propugnatorem suum, sed de parente misericorde, benignoque sibi reddit inimicum, infestumque Deum, judicem gravissimum ac severissimum: qui pro peccatis, et sceleribus poenas statuet vehementes, et cruciatus inferorum sempiternos. Haec intuens, atque recordans homo non poterit non vehementer affici scelerum ac flagitiorum sensu gravissimo. Quid cum flagra, cum spinas, cum Iesu cruciatus pro sceleribus hominum perpeffos meminerit? Si non illa supplicia flectant animum peccatoris ad lenitatem, et ad misericordiam animi sui captendam, nimis quidem ferox est natura, atque in hominis forma naturam videri debetur induisse ferarum. Vnum de patribus antiquis, qui solitudinem incolebat, fuisse refert Ioannes Climacus, atque hunc affectum dolore maximo, ex conscientia unius culpae levissimae, quam contraxerat, post magnam vim, et contentionem adhibitam impetrasse, ut domum iret poenitentium deploratum miseriam, et perfidiam criminis admitti: in quo tanto se dolore, ac lacrymis confecit, ut intra dies octo praedolore, sensu unius peccati levissimi die suum obierit. Quātam autem Deo peccator injuriam facit, qui quantum in se est, pluris habet voluptates libidinum, aut fructus, quos peccata

pollicentur, quam infinitam Dei Majestatem, quem peccando tam graviter offendit? Quoties scelus aliquod in Deum suscipimus, toties nostris animis iudicium istiusmodi, omni scelere, atque perfidia imbutū exercere vili fuimus: ut ex una parte proponamus nobis fructus libidinum, id est appetitū, et illecebras carnis, et commoda, quae consequimur furando, rapiendo, pejerando, ex altera complectamur injuriā immortalī Deo nostris sceleribus audacter, et impudenter factā, atque in unam quasi lancem imponendo. Celsitatem sempiterni Numinis, in alteram, foeditatē, et voluptates libidinum homo interjectus inter utranque bilancem, in illam peccatorum propeñdet, et se magis inclinat, quam in alteram Majestatis aeternae, quae plus apud illum ponderis habere, majoris pretii, et aestimationis debuisset esse, quā Regum omnium sceptrā potentissimorum, et Imperatorum diademata maximorum. Quid enim aliud est in bilancē peccati propendere, quam constituere ac deliberare voluptatum illecebris, et suis comodis adductum, quae peccatorem in scelera furanter incitarunt, prodere, ac deserere caelestem atque divinam Majestatem? Quid magis horribile? quid magis foedū atque deforme narrabitur? Plane portentum est, atque prodigium inauditum. Quid enim infinita Dei Majestate magis indignum, quam illum per homines nefarios proditū, atque desertum rebus hisce turpissimis, atque contemptissimis posthaberi? ecquod unquam factum magis simile iudicii, quod Iudaei deterrimi, crudelissimique de Iesu, vindice libertatis humanae fecerunt, quibus optioe data Barabbam potius, quam Iesum dimittendum decreverunt? Quid aliud est sceleribus se capitalibus astringere, quā Deum honore, qui tāquam sibi nostrarum rerum, tātae majestati sanctissime tribuitur, impie ac nefarie spoliarē, voluptatibus, libidinibus, et emolumentis nostris, atque adeo futilibus, et inanissimis rebus deferre? quam velle de capite Creatoris nostri diadema detrahere, et summo cum scelere voluptatibus, et commodis

no-

nostris imponere? Deus ipse jubet caelorum altitudinem ex horrere magnitudinem tantae pravitatis. Obstupescite, inquit, portae caelorum, et exhorrendo perversitatem hominum, praestupore, praehorrorē maximo vestris convulsae sedibus, et altissimis exterminatae palatiis in infimam decidite terrā hanc, et opprimite prorsus, et obruite incitara vestra, praecipitique ruina omne genus improborum hominum. Duo maleficia patravit gēs mihi carissima, et in deliciis summis habita Soly morum: deseruerunt me fontem perennem, et inexhaustum bonorum omnium, et ad aquas cisternarum exhauriendas, et coeno multo, plurimis sordibus inquinatissimas abjecerunt sese, quae hae, et illae effluunt, et sese multis partibus effundunt. Nihil sane tetrius, nihil foedius reperietur. Tanti quidem non habet Deum peccator, quanti locum ad sordidam, et inquinatā aquam pluviam, percuripos, et canalículos defluentem, id est, ad imbres ipsos excipiendos, suppositū. Quid dicam amplius?

DE SVPLICIIS NON NVLLIS

improborum.



Qvod si peccator consideraverit, quāto sit in odio apud Regem caelorum propter nequitiam suam, quod istam praepotens Dominus diuturnum, et inveteratum habuit in peccatōrē, fieri non potest, quin quanvis sit excors, et amens tamen ad omnem sensum, et acerbitem doloris facile commoveatur odio detestabili proposito, quo Deus immortalis hominum scelera prosequitur. Nec vero quenquā pro comperto nō habere video, unumquenque, ut maxime probus est, et appetens honestatis, ita maxime in vitiū, et in pietatis studium affectum esse: cum vero omnium optimus, et sapientissimus Deus ipse sit, fons perennis virtutum omnium, ipsa virtus, et summa sanctimonia, nemini dubium

Ccc 3 erit.

erit, quin odium incredibile sit, et infinitum tantae Majestatis in peccatum: quod contrarium, et infestum est omnino, virtuti. Sed istud supplicii aliquot enumeratis, apertū satis et perspicuum erit. David cū adulterii crimine fidē Deo datā violasset, quot, et quantas plagas accepit? quae Rex ipse mala Solymorum attulit generi? An non adulterium occulto patratum exivit, et emanavit in vulgus, neque Iudaeorū solum, sed exterorum oras incredibili celeritate pervadens? Quae bella, quam gravia, quam periculosa in Regem commota sunt? quoties ille in periculum, et in discrimen mortis subeundae venit? Illa vero infamia, in quam incurrit ex raptu concubinarum, quanta labe Davidis nomen affecit? Heli parum mores filiorum corrigendos, et emendandos curaverat, quos si breviter objurgasset, et suppliciiis severissimis castigatos ad meliorem revocasset frugem, non nuntium accepisset tristissimum occisorum in bello filiorum. Non ille nuntio accepto vehementer percussus in ipsa statim auditione resupinus cum sella recidēs tam graviter offendisset corpus, ut ex ictu miser afflaret animam. Oza manū admoveat arcae, et quidē pietatis se putans officio fungi, atque religionis cultu debitae, ne in unam inclinata partem arca delaberetur in terram: et subito mortuus humi cōcidit. Ananiam, et Saphiram propter mendacium, quod dixerunt beato Petro, terram desidentem in ingentem altitudinem immanes patefecisse voragine scimus, et mendaces, atque fraudulentos, sceleri affines homines absorbuisse. Nabuchodonosor, quia sese extulit insolenter, poenas dedit insolentiae gravissimas: qui in vasta, desertaque solitudine vagans in morem brutorum animantium passus capessere belluarum. Sed ab his privatis ad gravissima supplicia nostra veniat oratio, quae quis animo complectens non totis artibus atque membris contremiscat? Quattuor illa nemini mortaliū ignota gravissima suppliciorum genera quomodo nō flectent animos hominum, et ab omni capitali flagitio non

re

revocabunt ad honestatis studium prosequendum? Deus optimus ac maximus constituerat hominem in Paradiso, loco irriguo, atque amoeno, variis plantis, et arboribus confitto, et omnibus bonorum copiis circumfluente, et edixerat, ne arboris cujusdam fructus decerperet: quos cū ille a Daemone per mulierem in fraudem inductus decerpisset, qui, a suo Creatore defecerat, de Paradisi sedibus ejectus est in terram horridam, et incultam, vestitam vepribus atque dumetis: in qua in metu, et dolore versaretur, et maximo se moerore conficeret: repetens acerba semper recordatione loci jucunditatem, et amoenitatem, unde deturbatus fuerat. At magnitudo sceleris tanta fuit, ut Adamus totam posteritatem inficeret, et omni labe reliquisset aspersam, patefactis inferorum faucibus, atque praecclusis caelorum domiciliis. Inde tanta caligo mentibus hominum offusa fuit, ut homines se ad Idolorum cultum abjecerint superstitionibus Deorum innumerabilium, atque Dearum, quas sibi passim asciscerāt, implicatis: donec Filius Patris aeterni in utero Virginis Mariae naturam humanam induens exiit in hanc lucem ad tenebras offusas hominum animis disjiciendas, et eosdem ex servitute Daemonis in libertatem pristinam vindicandos. Non obliviscaris deflagrationem illarum quinque civitatum, quarum habitatores in nefarias, et effraenatas libidines intemperanter effusi, cum praepostera, et aversa vterentur libidine, non diu passa fuit Majestas sempiterni Numinis pestilentissimum genus hominum, nec tecta, quorum parietibus, atque moenibus tantae libidines continebantur, manere ad corruptelam, atque depravationem posteritatis: sed igne de caelo demisso Sodomam, Gomorram, et reliquas civitates socias, et particeps libidinis execrandae flammaram ardore vastavit, et absumsit penitus. Illa vero communis aquarum eluvio, communis interitus generis humani quantum affert admirationem, et timorem hominibus, ne qui audierint, qui recordetur, audire quidem

Ccc 4 sine

fine magno timore non possint? Nam Deus immortalis offensus magnitudine, et multitudine flagitiorum, quibus genus hominum inquinatum fuerat, caelum, quod patens, et apertum erat, atra caligine nubium obscurissimarum offudit, et tantam vim, et multitudinem deiecit aquarum, ut aquae vehementes, et innumerabiles, instar montium maximorum impetu horribili, praecipitique videretur existere continuos quadraginta dies, et noctes identidem sine ulla intermissione totidem, horrendo quodam strepitu, et fragore quasi ruentis caeli, atque in illud usque tempus, cum infinita generis humani societas fluctibus obruta fuit, atque vastata, praeter paucos, qui dono ac munere divino incolumes in arca evaserunt Noe. Nec vero silentio praetereunda est ruina Luciferi, reliquorum Antesignani nequissimi sociorum. Lucifer enim, cum spiritus esset pulcherrimus, et omnibus, quae in suae naturae praestantiam cadere possunt, donis, et muneribus divinis ornatus, elegantia, et pulcritudine sua obstupefactus divinos sibi demens voluit honores praeripere: qui cum caeteris sociis atque comitibus nefariis instar fulminis de caelo jacti, rapida, praecipitique celeritate ruentis praecipue turbatus est in inferorum regiones: atque ex pulcherrimo foedissimus, de maximo sempiternae Majestatis amico factus est inimicissimus omnium, perennis humani generis hostis. Sed facio finem exempla persequendi partem justitiae absolute gravitate, et immanitate suppliciorum, quae Christus Jesus nostra scelera veniens expiavit in haec terrarum sola, fuit: nisi alio jam in loco cruciatus tantos, et mortem acerbissimam descripsissem. Quae proposuimus, sanae mentis hominibus satis certo esse scio, ut poenitendi nullum tempus amittant, et ad virtutis viam summa cum celeritate redeant.



DE

DE COMPARATIONE AD

sacram Synaxim.

Dixi de rationibus justissimis, quibus poenitentiam de suis sceleribus sumere, et dolorem homo debeat capere, quam incredibile antequam de mortis extremo tempore, deque iudicii terrore dicam ultimi, praeparare cupio mortaliu animos ad sacrae Eucharistiae, quonia de confessione superiores suscepi exercitationes: ut quantam maximam possint homines gratiam, et amicitiam divini Numinis acquirere, retinendamque curent. Antequam igitur discubamus mensae caelesti, comparemus nos ipsos, et animos penitus exploremus, perscrutando diligenter, et investigando recessus intimos, et excutiamus conscientiam ad eluendas per confessionem iniustas animis peccatorum maculas. Nam si colimus hortos quotidie studio, et diligentia maxima, areas fodiendo, sarculis purgando, noxios evellendo tribulos, et herbas seminibus proferendis perniciosas, quibus plantae, et olera suffocari possunt: quae, et quanta adhibenda diligentia nobis erit, ut animos nostros vepribus, et spinis, quibus obruuntur, peccatorum evulsis, expiando conscientias, et extirpando fibras omnium flagitiorum, purgandos curemus frequentissime: atque in hunc modum ad sacrae Synaxeos mensam nos ipsos praeparemus? Quem enim non pudeat propter sordes, quae contrahuntur, et corpori penitus insident, octavo quoque die ad munditiam corporis, et sanitatem subuculam mutare recentem, atque animum aspersum labe plurima, plurimis maculis, et inveteratis peccatorem deformatum consensescere? Communes sunt, et usu quotidiano receptae operae verrendi domum, rigandi palatia, et ad foeditatem odoris depellenda, nos spargere pavimenta multis rosis, et floribus suaviter olentibus, odores accendere suavissimos, quibus fumi-

D d d gant

gant, et fragrant aedium cubicula suavissime, mentes vero nostras, sedes, et domicilia Majestatis divinae futura nō expiabimus? Non animos eluemus, deformitatem, et maculam omnem penitus delendo? Si qua ratione possumus, potionibus, et purgationibus crassos, et concretos humores de corpore jubente medico depellimus, et ad constituendam penitus valetudinem fontes in corpore facimus patentes, in quos humores pestilētes a reliquis corporis partibus defluūt, et artificio chirurgorū acceruntur, ut morbos, qui nasci possent, et advenire, purgatione facta per fōtes patefactos, et per excavata brachia, vel crura praecidamus, et curationē animorum negligemus necessariam ad cultum, et ad ornatum caelestem, ad vitam beatorum aeternam, ad personam hominis Christiani honorificam suscipiendam, ad condendum in animis nostris Architectum, et Opificem caelorum Deum immortalem? Cum per confessionem incolumitatem animorum amissam recuperaverimus, in Dei gratiam, unde excideramus, reducemur: quam virtute sacrae Synaxeos non retinebimus solum, sed etiam multis virtutum incrementis augebimus; quod Sacramentum caelesti panis specie continetur, qui victus est communis, et quotidianus hominū, quo vescimur, quo alimur, et confirmamur, ne deficiamus in medio cursu, succumbendo perturbationibus animorum, quibus in hac misera, et aerummosa vita conflictamur assidue. Hanc virtutem ante oculos nobis statuit factū pulcerrimum Iesu Christi, qui cum filiam Principis Sinagogae a mortuis excitasset, dari cibum eidem confestim iussit, quem exsuscitata puella caperet. Res plane mysterii plenissima, quaeque virtutē istius adumbrat Sacramenti. Qui puellam a mortuis excitavit, alere potuisset eandem, et aspectu sustentare suo, et virtute divina, quam a Patre acceperat: sed imaginē expressam Sacrosanctae Eucharistiae, quae mentes hominū alit, atque conservat, nostris obversante oculis intuēmur. Vidit celsissimus ille, et potentissimus omniū Dominus caritatem hospitem

tem, et peregrinā vagari, quādiu homines corporis ergastulo contenti terrā incoluerimus, et illam virtutum omnium Reginam a suis sedibus, et domiciliis peregrinari, errare in hoc saeculo, atque cū multi fuissent hostes infestissimi, omnibus horis atque momentis fraudes omnes, et fallacias Daemone machinari ad hominū animos opibus divinae caritatis evertēdos, ad quā retinendā multis opus esset praesidiis, custodiis, et vigiliis maximis. Guttula solū aquae defluat in ipsam mare, conservabitur illa quidē in perpetuū, quae cū elemento suo se commiscuit, et contulit: decidat vero interram, quae natura sua sicca est, et arida, arefcet illico, nec minimū guttulae vestigiū apparebit. Vrbs, quae in media provincia aedificata est, quoniā omni ex parte munita est, a fronte, a tergo, et a lateribus, non eget praesidiis maximis, neque pluribus machinationibus bellorum, nō ad se tuēdam moenibus, non arce fortissima: non enim timet impetus, neque incursionēs inimicorum, quoniā aditus omnis, et accessus ad urbem praecclusus est oppidorum multitudine, quae prius capi debent, quam in illam hostes invadāt: at quae in angustiis, et faucibus regnorum, quae in fronte, et in ore sunt adversariorum, civitates, quoniā obiectae sunt, et oppositae semper incursionibus inimicorum, nisi praesidiis undique vallatae fuerint fortissimis, fossa, vallo, aggere, moenibus, et omni multitudine septae tormentorum, omnibus machinationibus comparatis ad bellum obstructae, munitaeque fortissime, nūo quidem hostium adventu, atque aditu, sine difficultate, nullo profuso sanguine capiuntur, diripiuntur, et inflammantur. Ne mortalium igitur animi circumventi periculis, et insidiis inimicorum in Daemone potestate veniāt, nos praesidiis Sacramentorū, robore praesertim ac divina virtute Sacrae Synaxeos munire voluit fortissimos, et invictissimos Imperator Christus Iesus cōtra pericula passim imminētia, cōtraque incursus, et impetus inimicorū nostris animis, et caritate reginae virtutū infestissimos. Quod restat apertere

liquit David animum excitans ad magnificentiam tãti convivii, in quo mēsam structã, inquit, et apparatus habemus: quae robur, et vires largiatur in victas, contra copias, et exercitus inimicorum, qui illum in pericula maxima passim adducunt, et insectantur acerrime. Parasti, inquit, in cōspectu meo mēsam. Quod si Chrysostrum flumē aureum sermonis fundentem audire voluerimus, leones fortissimos effici nos virtute sacrae synaxeos confirmat. Nos igitur expiati maculis omnibus per confessionem tria commentemur nobiscum, antequam nos hoc Caelesti Pane reficiamus: quis ille, et quãtus, quem in animis Dominum condere debeamus: qui Deus Optimus, Maximus est, summus, praepotensque Dominus rerum omnium, quae infra, supraque Lunam sunt, Filius Patris aeterni, splendor, et imago, tantae Majestatis, opifex, et architectus hujus, quam intruemur, fabricae totius mudi pulcherrimae, qui interventu Spiritus divini conceptus, ex Virgine Maria sanctissima sine ulla suae integritatis offensa natus, et susceptus exiit in hanc vitam, atque ut nos ex Daemonis faucibus ereptos in pristinam libertatem, et dignitatē assereret, flagra, spinas, mortem acerbissimam perpeffus est: qui de hoc saeculo decedens ad Patrem, cū vellet memoriam sui jucundissimam in animis hominum infixam, et collocatam relinquere, se ipsum, sub panis, et vini tegumentis edendum, reliquit in Eucharistiae celsissimo Sacramento mortalibus. Statim transeas ad indignitatem tuã perspiciendam, et ad explorandam humanae naturae demissionem infimam, et abjectam, ut quantum inter tantum Dominum inter sit, et inter te, quantum inter dignitatem Iesu Christi, et indignitatē tuam, interjectum sit intervalli, respicias, et primordia originis tuae, introitum in hanc vitam, cursum omnē vitae tuae, et infinita scelera, quae susceperis, in Majestatem tanti Domini recognoscens hujusce convivii celebritate sanctissimi te videbis, et aspicias indignissimum: qui jam pridem propter tua flagitia meritis eras omnia inferorum

sup.

supplicia, et simulatque aliquod suscepisti scelus, dignus, quē terra labem altissimam faciente, patefactis inferorum faucibus absorberet, furiae raperent infernales, et detruderent in tenebras Luciferi profundas, et obscuras sempiternis ignibus cruciandū. Atque id temporis tu ipse admirans liberalitatem, et inusitatam tanti Domini largitatem, qui te discubere tantae mēsaē voluerit, quas hic sumamus, praepotensque Deus virtutes, et dona caelestia, decora, et ornamenta, cōferat, attende: atque in hunc modum, magna demissione, fide, religione ad sacram Eucharistiam accede. Hoc autem tanto, tamque caelesti cibo refectus non prius ab Ecclesia excesseris, quam laudes, et gratias egeris Iesu Christo: quem in sinu tuo, complexuque pectoris interiore tenens, abditum, inclusumque prospiciens simul in animo Deum illū, ipsum Deum, quem caelorum domicilia capere non possunt, exiguis tui pectoris angustiis contineri, et comitatu multo divinarum Mentium stipatum, abjice te, demitte te ipsum corpore, et animo, et supplex, et prono corpore, quanta potueris religione, adora Creatorem tuum. Tempus equidem opportunum postulandi veniam peccatorum, efflagitandi virtutum munera clarissimarum, accessiones in dies singulos, et cumulū donorum caelestiu. Precaberis a Deo optimo maximo, quae tibi fuerint opus ad rectam animi constitutionem, ad tuas in via obsequii Divini progressiones, et eorum, qui se tuis precibus commendarunt, quique propter amicitia, propter mutua beneficia commendati debet esse, et in tuis precibus spē habent maximam. Non oblivisceris statū Matris Ecclesiae, amplificationem Fidei, pacem regnorum, atque tranquillitatem, incolumitatem Principum Ecclesiae, et Regum etiam Christianorum a Deo Optimo ac Maximo precari. Haec cum antecesserint, et consequantur sacram synaxim, nihil est, quod exhorreas: iram Divini Numinis, neque poenas inferorum: sed exspecta de misericordia Dei Optimi ac Maximi cumulum gratiae suae maximum, et opes, et divitias san-

etorum plurimas, atque gloriam beatorum immortalé. Qui vero male comparati, et labe peccati capitalis aspersi accesserunt, similes Iudae terribili, quia prodiderunt Deum amicitiae simulatione, sacrilegii se astrinxerunt nefando scelere, polluerunt Sacrosanctum Sacramentum Eucharistiae: quã obrem dignas scelere, et sacrilegio poenas metuere debent, et exhorreré. Oza, qui manu tetigit arcã Domini, humi mortuus derepente concidit. Iudas laqueo se suspendens, desperans de divina misericordia poenas dedit execrandi, detestandique sacrilegii. Atque Paulus mortem, et interitum dicit illos homines sibi asciscere, qui conscii sceleris, atque flagitii capitalis accedunt ad sacram Eucharistiã. Denique sacri Doctores causam existere morborum innumerabilium, et prope desperatarum aegrotationum, quibus homines post ferias excitati Domini a mortuis cõflictantur, constanter confirmant: quoniam male comparati, male animis affecti, labe inquinati mortifera, caelesti Mensae audacter multi discubuerunt, et impudenter. Providere quidem illi debent, et confulere magnopere, qui Panem hoc caelesti se reficiendos putaverint, ut quantum in se fuerit comparent sese, modis omnibus ornent animos ad sacram Synaxim suos: ne sibi tantum accidat mali, et calamitas veniat gravissima, in quam incidit homo tam projecta Dominum accipiẽdo audacia, et effrenato, caecoque furore. Convivium enim illud, et mensam Evangelii regalem recordetur homo, ad quam cum unus repertus esset audax, atque furens, mensae discumbere non recundatus, nullo cultu, neque ornatu nuptiarum, cũ plenus squaloris, ac sordium, horrido, et inculto vestitu, tum profus indignus apparatus mensae regio splendore, atque dignitate, de jussu Regis, quẽ ubi vidit squalidum, atque horridum, perferre non potuit, deturbatus est illico cum summo probro, et ignominia, de mensa, et praeceptus actus in obscuras inferorum sedes, manibus ipsas, atque pedes vinculis acerrimè constrictus. Veniat in mentem convivium laetum, et appa-

ra

ratu regio concelebratum Assueri, in quo Esther egregia forma, et oris spectata pulcritudine, maxime Regi Assuero morigerata, in locum Vasthi, quae dicto regis audiens noluit esse, tota Regis potētissimi Heroum, et Magnatum clarissimorũ plaudete nobilitate suffecta fuit. Castae quidem, et integrae mentes, et in Dei gratia, et amicitia positae ad mensam opiparam, et splendida accersuntur, et invitatur Corporis Christi Iesu.

DE SACRIS ORDINIBVS CON-

celebrandis.



Um necessarium sit sacros ordines antecedere periculum examinis facti, ut aptus iudicetur ad munus Sacerdotis suscipiendum, qui ad tantam gradibus suis dignitatem aspiret, ex documentis, quae data sunt ingenii, aut cognitionis Grammaticae (neque enim saepe, nisi confessiones audire velit aliquis, aut concionari populo, gravius examinis periculum subit.) Assensu praesidium, aut approbatur, vel improbatur gradum aliquem sacrorum ordinũ contendens. Datur igitur in manus liber aliquis ordines sacros affectanti explicandus, et interpretandus: cujus, ut aliquem locum explicuit, atque illum (ut fieri solet) ad vocabulorũ intelligentiam notiozem destruxit Hispano sermone vertens, approbatus dimittitur, si bene se gessit, aut si secus, improbatus, donec meliorem sui ipsius rationem reddat, et grammaticae notitiam habeat necessariam. Facultate concessa, ut sacris ordinibus iniciantur, qui iniciandi sunt, cũ approbatione praesidium, et illorum testimonio, ut signo secretarii confet de scientia, et de probationibus, quae praecire debent generis, atque virtutũ iniciandarum, in sacellũ conveniant, in quo Pontifex praestituta die, atque hora decrevit celebrare sacros ordines. Admirabile proponitur, religiosaque spectaculũ: cũ illi superpellicis induti videantur, alii in albẽ-

veste talari, alii superioribus proximi in eodem ornatu, sed accessione Manipulorum, et Stolarum distincti, reliqui cum Casulis ex humeris a fronte, et a tergo pendentibus, quonia ad Sacerdotis dignitatem ascendunt. Qui praeceunt, Evangelii, hos qui antecedeant, Epistolae, reliqui minorum ordinu gradus tenere debent. Omnium maxime splendet Pontifex ornatu pontificio indutus, cum tiara gemmis fulgentibus illuminata, et cum palla veste admodum albenti imposita, cu annulis pretiosissimis, et baculo deaurato propter aram posito, ad Episcopi amplitudinem maxime apposito, confidens in sella auctoritate summa, inter alios sacerdotes stantes interiectus, de qua sacros celebraturus est ordines. Hos ubi ille instituit summa pietate, summaque sanctimonia, qua decet Pontifices Ecclesiae dignitate visenda, et a minoribus initiu factu est, qui gradus accepturi sunt, hos ordine suo ad Episcopum accedere videbis, et ritibus, et caerimoniis usos necessariis, initiatos suis ordinibus discedere. Qui in prima torsura consistit, Pontifice praeceunte verba praefinita leniter proferens a fronte, a tergo, et a lateribus resectis capillis discedit: reliqui minores gradus tenentes, aut pulsant nola, aut aperiunt fores, et claudunt: atque in hunc modum, qui majores obtenturi sunt gradus, suas caerimonias usurpabunt. Epistolae, et Evangelii gradibus ja obtetis, unum, et alteru de initiatis surgere videbis, et Epistolam, et sacrum Evangeliu de cantaturos. Omnium maxime caerimoniae sacerdotis honore afficiendorum religionem, et caelestem animis voluptatem afferent: cum illi suis Casulis induti, Oleo peruncti sacro, longo agmine, atque vocibus suavissime missis templo personante. In Cratera sacrum eluendi contenderint, atque postea eodem itinere revertantur in sacellum ad reliquum sacerdotum ordinum pensum absolvendum: quod Pontifex integritatem animorum, atque candorem similem Angelorum ad sacerdotis obeunda munia commendans solet absol-

sol:

solvere. Sequitur comparatio diebus post aliquot novorum sacerdotum ad prima sacra facienda.

DE RELIGIONE SACRI faciendi.



Sacerdos prodit in publicum ad faciendum sacrum veste, et ornatu sacrificantium pretiosissimo, cujus aspectus religionem maximam iniecit, et Sacerdotem venerandum, colendum, et que summa religione proponit spectantibus, et rem divinam audientibus, modestia praesertim, religione summa, auctoritate, dignitateque, quam ore sustinet, atque tuetur: sive cum se confert in aram praeceunte ministro cum libro Missali, Calicem sinistra portans, et dextra in sacroru linteorum thecas imposita, sive cum in ara versatur faciens rem divinam, statu, incessu, omni motu corporis, qui dignitatem loci, celebrantisque sacerdotis amplitudinem decet. Vide illius decora, et ornamenta pulcherrima, pretiosissimaque, aereo, vel ad minimum filo serico intertexta, veste Casula imprimis, a fronte, et a tergo aequabiliter dejectam, a lateribus apertam atque patentem, per quae brachia proferuntur, deinde subiectam tunicam albentem, et ad talos usque demissam cum manicis amplissimis, lateque laxatis, de cujus brachio sinistro pendet manipulus insertus, eodem colore praeditus, quo vestis, primum corporis ornamentum. Ille veste albentem cingulo astringit venustissimo, et mirum in modum componit, ut quam apte, et aequabiliter ex omni parte decidat ad pedes usque delapsa. Stola a collo in pectus usque decidit, quae transversa extremitatibus ejusdem cinguli a dextra, et a sinistra non retinetur solum, sed etiam conformatur: atque Amictus infra vestem albam geritur, qui colorem circumdans, pro proportione mirabili decus addit, et dignitatem ad reliquum ornatum. Ut autem feriae sanctorum

Ecc in-

instaurantur, et dies sacri, solennesque recoluntur de more, et instituto Matris Ecclesiae, colore diverso vestiti prodeunt rem divinam facturi sacerdotes: quibus curae maximae debet esse, quam tuentur, dignitatem summa cum religione ab inito sacro sustinere. Ita quidem illi recitabunt sacrum, ut attente, clare, distincteque legant, summo cum sensu mentis, et animo quam valde affecto ad pietatem, ad religionem eorum, quae praelegenda sibi, quaeque auditoribus attendenda proponuntur in sacro: non cursim, non raptim, non quasi aliud agentes, et negotiis occupati familiaribus, sed sensim persequuntur sacrificium, non properantes, neque festinantes, sed graviter, modeste, sancteque: ut qui interfuerint sacro, vel ex sacerdotis pronuntiatione, ex sensu, quo fuerit affectus ipse, lacrymarum, illi non mediocriter commoveantur ad luctum, ad lacrymas, ad sanctorum, quibus de tunc sacrum fit, imitationem. Illi cum ingenua procumbant, non festinanter, atque leviter, sed pedetentim, atque demisse, in terram usque, ut culter, qui foris genua flectendi praestatur, religione motu in spectatorum animis efficiat. Cum idem ad populum se converterint, demisso vultu, religione summa, aperiant, jungantque manus sine celeritate praecipiti, quam adhibere summae levitatis videtur, et inconstantiae. Atque cum in legendo, in movendo corpore summa cum moderatione, decorum maxime spectatoribus placeat, tum animos omnium natura, et specie sua commovet: quod cum ad omnem religionem sacri pertineat, tum servandum est accuratissime, a sacra Hostia, et Calice. Hoc tempore cum res est maxime jam sacerdoti cum ipso summo, praepotenti que caelorum Architecto, quis non videt quanta cum demissione, quanta cum religione se genere debeat optimus, et sui officii memor, tantaeque Majestatis cultor egregius, et administrator singularis? An vero fieri potest, si sacrificia fierent rei divinae, quemadmodum ratio fieri postulabat, quin lacrymae manarunt, nobis passim obirentur, prae sensu animorum, prae consolationum divinarum.

rū abundantia, prae corporis, et sanguinis aspectu Iesu Christi, prae vulnerum, prae cruciarum suorum recordatione? Quid? sacrum factum grates non consequuntur, et accepti beneficii, factique commetatio sacrificii, quam pietatis, quam sensus, quam lacrymarum plenissima? Atque me pudet vidisse sacerdotes quosdam, sine auctoritate, sine religione, nullo sensu, neque attentione facientes sacrum, cum festinatione ad aram contendentes, sic legere quasi res alias, aut Imperatorum, vel saeculi res gestas de scripto recitarent, nulla habita loci, neque Sanctorum, neque Christi ratione properare, et accelerare, ut tempus omne praecidant, quod possint, et brevius, quam dici, vel intelligi queat, rem divinam fecisse videantur, atque in hoc laudem sui sacri conferre, ut breviora sua, quam aliorum sacerdotum, sacra sint: ut propter brevitatem, ad illos relictis aliis optimis, sanctissimisque sacerdotibus audiendos auditorum, spectatorumque concurrat multitudo. Inter faciendum sacrum nullas fere caerimonias, nullos Ecclesiae ritus observari cernes, sed ab illis raptim, atque perturbate, nullo proposito fine nisi ad exitum festinandi, celebrari rem divinam. Quot sunt etiam non intelligendi solum, sed etiam legendi prorsus inscii, qui quid dicant, non intelligas? sic absurdi sunt, sic abhorrentes a recta pronuntiatione, ut neque verba suis modis efferre sciant: si quod obscurius inciderit, praetereant, magnam partem interruptis vocibus, et semel ex eis vocabulis, tussiendo, deglutiendoque salivam, persequantur. Cum vero aliqui facto sacro redeunt in sacrarium, exuti jam vestibus sacris, epitogiū vix repetunt de loco, ubi reliquerant, cum nulla habita gratia, nulla commentatione consequente sacrum, de apoditerio sacro discedunt actum suas res, atque negotia, non dissimiles mercatorum, qui protinus audito sacro ad suas negotiationes revertuntur. Quid Beatus Franciscus memor dignitatis tanti sacrificii? quid Marcus sanctissimus egit? Vnus in Diaconi gradu constitit, neque ad Sacerdotis dignitatem aspirare voluit amplissimam,

alter pollicem sibi praecidit ad sacrificii tanti functione necessarium: atque uterque eo quidem spectabat, ut suam indignitatem, et Domini, quem manibus tractaturus erat, et in animum incluserat, Majestatem celsissimam attentissime perciperet: nec, tanto cum uterque a Creatore suo, suoque Assertore Iesu intervallo distaret, sibi persuadere poterat, nec fas esse existimabat, adduci posse utrumque ad sacrificandum, frequentandumque rei divinae sacrificium: cui celebrando cum frequentatione tanta, nec Mentis illae divinae sufficere posse videbantur.

DE MISSAE SACRIFICIO spectando.



Acrum vel recitari solet, vel decantari. Cum recitatur, minister adesse debet sacerdoti ministrans, et navans operam necessariam respondendi, ministrandique in tempore. Atque in Ecclesiis ministri conducti stipendiis habentur his plane officiis faciendis, et praestandis operis ad Ecclesiarum regimen, et administrationem spectantibus, veteri more, et instituto Ecclesiarum (quas Cathedrales vocant) consecrati: quos mercedula jam sua adductos ministros se praebere videbis, et coadjutores in Ecclesiis, (quos sacrificulos appellamus) togis rubris, et talaribus indutos, cum superpelliciis, et pileis colore togarum ornatos: quibus ministris totos dies, et singulas horas mane sacerdotes utuntur, et vespere ad vespertinas preces, et ad alia munera obeunda ministros habent, faciles, et promptos, et non inscios, nec ignaros rerum, quae factio opus fuerint, praestandarum. Cum igitur sacerdos prodit, minister praesente debet cum libro Missali, et pluteolo collocato candelas accendit, et a latere sinistro flexis genibus, ministrare incipit a confessionis tempore in exitum usque sacri, statim suis temporibus respondendo, et mi-

nistrando semper opportune. Sacro debent interesse spectatores, et illud audire summa cum modestia, singulari animorum attentione, magna demissione, et observatione rerum, quae aguntur. Adde principem hujus sacrificii reliquarum, quae ad cultum divinum spectant, virtutum religionem nunquam praetermittendam. Sacrum Evangelium stantes audiet spectatores. Cum sacerdos effert corpus Domini, et Calicem tollit in sublime, corpora demittent auditores aliquantulum, et abjiciendo prorsus animos ad Majestatem divini Numinis, pectora percussit, et Dominum in Hostia, et in Calice, corpore, et animo consistentem, qua est celsitate, et majestate in regione caelorum, adorabunt. Interim vero dum sacerdos se comparat ad consecrandam Hostiam, et Calicem, qui sacro praesentes sunt, recordabuntur incolumitate Regum divinae commendare Majestati: taciti etiam percurrerit repetendo breviter memoria, quos summus Pontifex jubet Deo optimo ac maximo committere, et illos, qui se per nos commendari voluerunt. Tempus etiam opportunum est, et admodum rei divinae, quae sit, consentaneum recordandi cruciatum, et mortem, quam Iesus pro genere hominum pertulit. Post Hostiam secundo sublatam usurpabimus memoriam victoriarum, atque commedabimus parentes nostros, qui sum jam diem obierunt, fratres, amicos, et eos, quibus maximis, et minimis etiam de causis obligati fuimus, eos, quorum dum vixerunt, summa in nos officia confluxerunt, summa iura benivolentiae, conjunctionis, et necessitudinis intercesserunt, quae oblivisci sine summo scelere, et perfidia non possumus. Nunquam tamen amittemus memoriam illorum, qui poenis ignis purgantur cruciantur. Precabimur autem Deum immortalem, ut manes jam tandem ab illo liberentur igne purgante, et in caelorum sedes, ac tabernacula, quae certa sibi poenis his persolutis praefinita sunt, recipiantur. Hoc autem facere ad institutum rei divinae spectat, ut quoniam Deum praesentem oculis fidei cernunt, animo, et corpore latentem in

Hostia consecrata, meminerint petere suorum veniam peccatorum, postulare gratiã ad amicitiam acquisitam in mortis usque tempus retinendam, et si quando immemores animi sui gratiam effuderint per summam improbitatẽ, atque perfidiam, ad illam recuperandam, et ad expiandam sincere, et cum summo peccatorum dolore conscientiam. Quid deinde precaturi? Ut comprimant animorum perturbationes, sedent arrogantiam, cohibeant iracundiã, libidines doment, coerceant omnes appetitus, atque rationi efficiant obediẽtes. Quid plura? ut declinent laqueos Daemonis, et in caelorum gloriam post hujus vitae discessum ascendant: sic denique facta, dicta, cogitata divini Numinis ope dirigant, ut se totos, et actiones suas ad cultum, et ad obsequium divinae Majestatis in ultimum usque suae vitae spiritum conferant.

DE RATIONE CAELESTIS

Epuli accipiendi.

Modus sacram adeundi mensam, is est, qui sequitur. Qui ad Sacram Eucharistiam accesserint, in genua procumbentes aliquo linteolo praeposito pectoribus, vel serico, vel lineo, et multis in locis acu picto insigniter, generatim confessione recitata per ministrum sacerdotis, omni crimine veniali absoluti de manu sacerdotis sacram Hostiã accipiunt: quam sacerdos de patina, vel de sacrario, quod altera manu tenet, duobus digitis indice, atque pollice fumens in dexteram, conversus ad populum, et ad illos, qui caelesti Pane reficiendi discubuerunt, profert usitata verba Ecclesiae, quae agunt de Agno Dei, peccata hominum extinguentis, deinde ter praescriptis verbis Ecclesiae praeunte sacerdote suã indignitatem homines profitentur, atque recognoscunt se abjiciendo, et prosternendo corporibus, et animis ad Majestatem tantissimi Numinis, atque se indignos testãdo, quod tanta Domini

ni Majestas sedẽ, et domiciliũ in hominũ animis sibi collocet: quẽ praeunte sacerdotẽ, aut eadẽ repetendo, comunicãdi consequentur. His verbis ita factis, quã suppliciter, ac demisse sacerdos infert Sacram Hostiã in os comunicantis: qui non minore submissione, et quanta poterit religione obortis lacrymis, quã modeste labia admovebit, paululũ os aperiendo, ad Corpus Domini, quẽ hospitio est accepturus, in sinum animi, pectusque recondendũ. Haec sacerdos praestabit hoc intervallo crucis imaginẽ describendo, et simul precando Christũ Iesum forma usitata, cõceptaque verborũ, ut animũ hominis, quẽ corpore Iesu Christi impertit, idem Dominus custodiat, animumque illius invicto suo robore, virtuteque caelesti muniat in gloriam caelorum immortalem.

CVM CHRISTI DOMINI CORPVS

in aegrotantium aedes comportatur.

Quae liberalitas? quae tam incredibilis Dei optimi, ac maximi benignitas, qui per publicas vias, per quaecũque loca, per angulos etiam, et cum opus fuerit, per suburbia deportari se permittat, et domos obire non recuset aegrotantium, inopum, et indigentium, infimorum, et contemptissimorum, vias saepe praetereundo lutulentas, et fordidas, quarum foeditatem odoris, et gravitatem intolerandam averfantur omnes? Cum homines morbis affecti gravibus, et membris aliquot sauciati, ipsa denique corporis imbecillitate, macie, et adversa valetudine in Ecclesiam venire nequeant, eos Iesus Christus invisit, et se hospitio hominum etiam tenuissimorum offert. Audias paulo antequam Corpus Domini effertur dari signum deportandi Domini in aegrotorum aedes, et ad spatium non multum temporis puerum foras exeuntem, et circumcurrentem saepe templum, et parvulam molam pulsanter in tempus usque deferẽdi Iesu Christi Corporis. Interim convenire,

faciendos, viri, mulieres, maxime fratres huiusce Sodalitatis incensi studio, et voluntate comitandi, cohonestandique caelorum, terraeque Dominum in illa lustratione. Agnus effertur magna pompa, et apparatu, praecedunt viri cum candelis, et funalibus accensis, et Agnus sub umbella deportatur a sacerdote linteato, et stola de collo pendente pretiosa: qui cum sacerdotibus reliquis, et cum illis, qui virgas umbellae sublevatae, et explicatae prorsus sustinent, omnes apertis capitibus, atque ipse, qui sacram Hostiam defert, alternis versiculis psalmos Davidis recitant, donec perveniunt in aegrotantis aedem. Interim dum Agnus elatus a templo vias omnes, per quas domum ire necessarium est, praeterit, in reditum usque suum pulsu cymbali parvi, quod signum est adventus Domini, personare loca omnia audies. Qui occurrunt Domino, aut longo intervallo prospiciunt, in genua continuo procurrere, et adorare Majestatem tantam; multi, qui negotiatum aliquo non eunt, admiscere se comitantibus, et ultro se pompae inferre progredientium, comitari, cohonestare Dominum, deducere domum aegrotantium, reducere in Ecclesiam cum sacerdotibus. Vbi domum aegrotantis per ventum est, omnia loca versa sunt, et rigata ab aditu, et vestibulo aedium, ut nitere videantur, et splendere clarissime, et omnium maxime cubiculum aegrotantis, quod nitet, et splendet ornatu arae excitatae, odorum suavitate fragrat, aspectu suo reficit atque recreat ingredientes in cubiculum. Collocatur in ara sancte, religioseque vasa, in quod inclusum affertur Sacrosanctum Domini Corpus. Vbi refectus est aegrotus Corpore Iesu Christi, quibus dari mos est Panem caelestem, ritibus atque caerimonis, qua pompa depectatus est Dominus, reducit in Ecclesiam: et accidere solet non raro, celebriore comitatu redire cohonestatum in Ecclesiam, quam exierat. Causa autem solet esse redeundi causa cum multitudine Christianorum communi studio multorum virorum, atque mulierum, quae haec sunt in Sacram Eucharistiam pietate, atque re-

ligione succensae, ut simulatque signum dari audierint, quod nunquam omittitur pulsu cymbalorum, omnibus domesticis negotiis, familiaribusque occupationibus intermissis, pallia viri, mulieres peplum sumere festinant, et quamquam non admodum comitatae exeant, si nobiles fuerint, et honoratae, ad honorandum Dominum properent, et accelerent. Accedit etiam pars multorum in via incidentium in Dominum, quibus cum nihil negotii sit, aut si quid est, paululum si differant, non in alienum tempus rejecisse videbuntur: qui omnes hunc praestitum honorem Iesu Christo gaudent, vehementerque laetantur, et ob eam causam sese in comites illius lustrationis inferunt, et admiscunt in ecclesiam usque, in quam redierunt omnes cum Agno mansuetissimo.

SOLENNIS CONSECRATIO DOMINI Bernardi de Rojas.

XI sacerdotum honoribus Pontificum sunt, et Patrum Purpuratorum dignitates: quamvis subrem unius Pontificis consecratio, alterius Cardinalis Pontificis in Ecclesiam adventus describetur. Consecratus fuit nobilis Bernardus de Rojas in facello Regio Hispalensi, quod visenda specie, et ornatu splendebat. Cum autem de superioribus locis matronae splendidissimae civitatis sacra consecrationis spectarent, tum duo abaci argento multo ornati visabantur; unus Cardinalis amplissimi, alter illustrissimi Bernardi de Rojas, inter quos lectus quidam erat pretiosissimo peristromate stratus, et propter illum pulvini serici, ex quo in genua procumbentes Pontifices precationibus solitis uterentur. Sellae duae erant, una arae virginis admota, in qua Cardinalis consideret, et aliae praesulū, qui astabant consecrando novum Pontificem. Cum igitur nobilis Bernardus inter duos Pontifices deductus esset ad aram, in qua Cardinalis ornatu po-

tifices deductus esset ad aram, in qua Cardinalis ornatu pontificio indutus erat, primordia consecrationis coepta fuerunt, a recitatione publica diplomatis pontificii, quo per Sixtum hoc nomine quintum Romanum Pontificem praefectus Ecclesiae Civitatis creabatur: deinde sacrum solenni ritu, atque caerimoniis Pontificum institutum est, cum prius de quatuor, et decem capitibus nostrae Fidei rogatus esset, et de aliis ad dignitatis Pontificiae decus, et honorem spectantibus rogaretur. Cum sacrum coeptum fuisset a Cardinali, quae primum a Cardinali Epistola, et Evangelium recitabantur, paulo post a nobili Bernardo in ara Paulo inferiore, repetita audiebantur. Illa caerimonia convertit oculos omnium in novum Pontificem, cum oleo caput, et manus perunctus, et vitatus discessit cum utroque Pontifice in aram ablutum sese: in qua eluit oleum sparsum, et inhaerens, quod in paropside deaurata manus abluendo dilabebatur, in qua vittae in Cratera deferendae cum oleo relictae fuerunt. Post reditum Pontificis ad aram, cum panes aurei, ampullae, et funalia deberet offerri, Comes Castrensis cultu, et ornatu corporis visendo praeferebat faces utraque manu, de cuius manibus nobilis Bernardus capiens accensas Cardinali propria manu tradebat atque in eandem rationem secundo panes aurei, deinde ampullae traditae fuerunt, ac redditae: quae dona nobilis Ioannes Saavedra crucifer ordinis Beati Iacobi, et Filius eiusdem nobilis Roderic⁹, uterque pulcherrimo vestitu, et ornatu, prodeuntes deferebant Comitem Castrensem consequuti. A quo tempore Corpus Christi consecrandum fuit, magna erat species, et illustris splendor, ac non mediocris admiratio intuitum Cardinalem, et novum Pontificem, utrunque stantem ad consecrandum Corpus, et Sanguinem Christi Iesu, cum reliqui flexis genibus interessent sacro: in quem modum sacram absolutum est utroque particeps factum Corporis, et Sanguinis consecrati. Tandem adfuit tempus ornandi Pontificis insignibus pontificiis, ac praecipue manicis candidis,

mi-

mitra, et baculo Pastoris Ecclesiae. Id temporis omnium oculi coniciebantur in novum Pontificem, et canonici, sacerdotes osculatum manus illius accesserunt, et ipse nobilis Bernardus latera utroque claudente Pontifice circumvitavit sacellum, et aliquot intervallis signum Crucis praesentibus impertiendo: ad cuius pedes sese abiciebant viri nobiles, equites diverforum ordinum, Consilarii Regii, et Comites praecellenti dignitate clari. Reductus tandem in aram solito signo Crucis spectatores dimisit. Fuit nobilis Bernardus de familia Rojarum veteri, et illustri, carus ac per iucundus omnibus, facilis, et affabilis, doctus atque sapiens, virtutibus ornatus omnibus, pontificatu multo celsiore dignissimus. Atque cum haec litteris mandarentur duplici iam Pontificatu Civitatis, Pompelonensi que conddecoratus fuerat.

DOMINI RODERICI CASTRENSIS

Cardinalis adventus in professorum Societatis Iesu sacram aedem.

(20)



Primus in Ecclesiam Societatis Iesu professorum adventus Domini Roderici Castrensis Archiepiscopi Hispalensis, et Cardinalis amplissimi hoc ritu, et caerimoniis celebratus fuit. Duo lectuli tapete serico strati, et suis pulvinulis ornati fuerunt in templo, et tantum a terra excitati, ut Cardinalis cubitis innitens, solitis precationibus uteretur, unus post valvas templi, et alter ante gradus arae maximae collocatus: sella vero erat cum lectulo, et strato propter aram maximam. Quid deinde? Patres, et fratres Societatis Iesu, in ordines distributi duos, longo agmine, praecedente aedituo, qui Crucem ferebat elatam in sublime, cum manica pulcherrima, et triplici filo intertexta, imaginibus decorata religiosis, quam duo fratres linteati cum cerofera-

Fff 2 riis

riis accensis a lateribus cohonestabant, longo ordine in valvas usque maximas progressi fuerunt; quorum agmen claudebat sacerdos cum pallavenustissima duobus latera claudentibus sacerdotibus: ipse vero sacerdos progrediebatur cum effigie argentea Iesu in Crucem sublata. Hac pompa patres, fratresque nostri pervenerunt in valvas praedictas, in quibus pompa constitit, et aliquantulum temporis consumtum est expectando Cardinalem amplissimum: qui aequam appropinquasset, illius ad templum adventus pulsu campanarum crebro multo ante praedicebatur cuiusque Ecclesiae, qua praeteribat, personatum, et multo magis nostrarum, quam pulsus, sonique multas horas ante audiebantur. Ingressus igitur in templum exceptus est tibiis modulate sonantibus. Atque cum ad primum lectulum stratum, qui quattuor passus non amplius a valvis collocatus erat, accessisset sacerdos, indutus cum aliis duobus effigiem Christi osculanda tradidit: quam ipse Cardinalis sanctissime, et religiosissime, ori, et oculis admovit, et de manibus sacerdotis accipiens aspergilum argenteum, se ipsum, et reliquos aspergit aqua lustrali: alter continuo sacerdos tradidit in manum Cardinali thure fertrum cochlear, quod cum Cardinalis in thuribulum infudisset, Cardinalem sacerdos thuribulo perfundere coepit aliquantum, usque eo, donec nutu, vel manu Cardinalis decederet tempus significare visus est: qua significatione animadvertens Sacerdos statim instituit cantus usitatos antiphonarum, quae propriae sunt Sanctorum Pontificum, et in sacris, solennibusque suis feriis concinuntur. Itaque has concinendo omnes utriusque partis fratres, atque patres in alterum usque lectulum stratum pompa, rituque solenni Cardinalem duxerunt: in quo preces iterum ille flexis genibus adhibuit, et sacerdos precationibus praefinitis ad huiusmodi celebrantem usus est: quibus opem Divini Nominis implorabat ad impetrandam Cardinali gratiam, ut sancte, et ex Fidei

Chri-

Christianae disciplinae, et ad Christi Iesu sanctissimum voluntatem provinciam sui Pontificatus administret.

EX AVGV RATIO, SEV SPO

liatio Sacerdotii.



Idimus honorem, et dignitatem Sacerdotum amplissimam, quare qui gradu sacerdotis maximum consequuti sunt in Ecclesia, videant in quanta cogitatione, curaque versari debent, ne propter scelera summa cum ignominia sacerdotis honore spolientur: nam quem sacerdotem abdicant Pontifices, hunc necessarium est maxima perfidia notatum esse. Nihil hic de tabulatis extra ecclesiam excitatis, nihil de abaco pontificis argenteo, et auro ornato, nihil de Praesule in pontificia veste prodeunte, nihil postremo de concurrentia virorum, ac mulierum ad luctuosum spoliationis: huiusce spectaculum concurrentium dicemus: quae vulgo fieri solent in his actionibus publicis, ea, quonia notissima sunt omnibus, et in aliis exercitationibus a nobis commemorata, silentio praetereantur: et ab eo tempore, cum sacerdos tanta potestate privandus producit in populi prospectum, narratio instituat. Primum cum tunica, epitogioque talari, cum pileo etiam in capite, qui vestitus est communis presbyterorum, sacerdos prodit in publicum: illa consequuntur statim, ut idem induatur decora, et ornamenta, quaecunque mos est induere sacerdotem prodeuntem in publicum ad rem divini nam faciendam. Iam igitur instituat Pontifex officium suum facere, sententiam latam in miserum sacerdotem exequatur, et gradibus suis ad extremum usque descendat a summo quoad in iudicium saeculi manus tradatur. Nunc itaque primum omnium pontifex sacri faciendi potestatem adimere, deinde sacerdos porrigere manus, pollicem, et indicem utriusque manus abradere gladio dato, exuere a tergo sacram vestem

detrahitam altantes administri suscipere. Quid deinde? quo progreditur pontifex? pronuntiat quam intēta voce, ut audiatur ab omnibus, presbyterum hūc insignia Domini turpiter abiecit, et sese suis sceleribus tanta abdicasse potestate recitandi, canendique sacri Evāgelii in Ecclesia Iesu Christi, et vestis (quam Dalmaticam dicimus) ullo tempore in postetam induendae. Videas Pontificem amovere statim ab oculis Sacrorum Librum Evangeliorum, exsuere vestes supra dictas, quod indignus esset, qui indumentum huiusmodi gereret. At cū in albēte jam veste, et stola relictus presbyter fuerit, quod integritatem corporis, et animi non retinuerit, quod documēta virtutis caeteris ad imitādum non dederit, quod labē tātae dignitati suis sermonibus turpissimis asperferit, Diaconi Pontifex interdicit officio. Atque id tēporis ipse statim humeros exsuere stola, projicere post tergum, et quidem quasi indignari videatur de tanti presbyteri pravitate. Insignia reliqua Subdiaconi sunt, quae sic adimuntur misero, ut stola, sacrorumque Liber Evangeliorum. Itaque adempta simul potestate recitandarum, concinendarumque in ecclesiis Epistolārum, et Subdiaconi munere fungendi in perpetuum, tum vestis candida, tum stola, tum reliqua auferuntur. At quomodo? Accedere ministri, unus cingulū solvere, alter exsuere tunicam albētem, tertius amictum, atque haec post urceolos, post calicem vacuum a pontifice sublatū, post Pontificis verba facta, quibus in sacrarium ingredi, pallas, vasa, caeteraque sacra indumenta tāgere prohibetur, et omne munus obire Subdiaconorum. Sed haec ad majores gradus spectant, nunc de minoribus pauca dicamus. Hic cū Aerumnosus homo linteatus aspiciatur, et usitato vestitu talari presbyterorum, quae consequantur, et ad singulos minores gradus spectent, nemo quidem ignorabit, si consideret in superiorum morem omnia praestari. Non jam de reliquo vini, atque aqua ad sacrificiū rei divinae ministrare, nō lucernas inflāmare, nō aperire valvas tēplorū, nō pulsare nolas, nō

ob.

obsidione Daemonis oppressos liberare, nō canere, nō versare sacros libros, nō operā ullā Ecclesiae navare poterit, privatus jā, et spoliatus his donis, et muneribus, quae ministris, et coadjutoribus Ecclesiae pro sacerdotis, et clerici dignitate deferuntur. Restat, ut aspiciatis, quo peccata nequissimi sacerdotē perduxerint. Nō vestitus illi relinquitur usitatus, cōmunisque clericorū. Primū superpellicio spoliatur, deinde tonsura capitis, tendendi initium faciente Pontifice, postea accersito tonsore, qui totū tondeat, et abradat caput, in quo quod tonsurae sacerdotis vestigium relinquatur in capite. Accedere statim ministri, unus Zonā, alter tunicā detrahentalarē, et omnē vestitū auferre sacerdotis, ut palā ex angustatur omnino, alii vestes hominū de saeculo afferre breviores, et cōtemptas, valdeque vetustas, mille si haberi possent, foraminibus pertulas, illis induere postea exauguratum, Pontifex hūc dederit cōfestim, cōmittereque judici saeculari cuiquā praesenti, sed cū precatione solita, qua Pontifex efflagitat sententiam lenire velit in reū exauguratū ferendā, neque capitis supplicio, nec aliqua corporis parte mulctet, ut citra sanguinem et mortem in exauctoratū se lenem mitemque praebet.

MORS.

VT ad superiora mentes, et animos excitemus, mortem ante oculos nobis proponamus, quae terribilis est hominibus, quibus necessitas imponitur e vita decedēdi, et illi tēpus jā huiusmodi vident adesse, cū patriam, amicos, filios, uxore, aedes, praedia, pecunias, redditus omnes, honores et dignitates, omnia tādē, quae sibi carissima fuerāt, in vita relicturisunt. Atque id tēporis occurrit statim animis locus corpori praestitutus, et animo, sepultura angusta, et ad summum quinque pedū in latitudinē, et septem in longitudinē, et ignoratio loci, in quē animus deferendus est. Itaque manet corpus ab animo derelictum, animus angitur, et cruciatur memoria

Fff 4 praes

praeteritorum scelerum, et flagitiorum, quae in Majestaté divinam innumerabilia, et infinita comisit. Horum magnitudinem auget recordatio divinae severitatis, immensitas, et magnitudo judiciorum, quae majestas aeterna facere solet, et illa nostrorum nequit tenuitas ingeniorum, propter magnitudinem ab hominum intelligentia longissime disjunctam comprehendere. Supplicia vero sumta ab initio nascentis mundi de nefariis, et de sceleratis hominibus, et locus ille versatur in animis obscurus, et caliginosus inferorum, et flammis circumfusus ardētibus. In illis angustiis Daemō magis auget, et accumulatur multitudo, et magnitudinem scelerum, et aditus misericordiae ad Patrem aeternū memoria peccatorum difficiles facit, atque adeo non desistit praecclusos dicere, et in animū obtrudere voces impietatis, et desperationis. Obversantur in animo peccata vitae praeteritae, tanquam acies inimicorum armatae in illum caeco nimis, atque furenti irruentium impetu, atque graviora magis insident, et illa, ex quibus majorem voluptatem accepit, vitiorum agmina, virgines per se turpi probro, atque dedecore affectae, nuptiae appetitae, saepius et attrētatae, homines ab illo suis omnibus bonis eversti, verbo male accepti, tetrius, et foedius tractati, pessime ab oculis suis dimissi, et non raro cum iracundia amādati. Frater nequitia tāta, et exemplo pravo offensus clamat, et vindictā efflagitat non sanguis, quem justus Abel profudit morte crudelissima confectus, sed illū sanguis Christi Iesu in iudicium severissimum, et supplicium gravissimū vocat. Perceptae voluptates, et blandae, quae momento temporis effluerunt, carnis illecebrae, quos morsus efficiunt, et quam acerrimos. Quoniam vero miser homo singulis momentis exhauriri magis, et magis absumi visus est, properare videas omnes, et accelerare accersitum confessarium, illum venire statim, aegrotum expiare conscientiam, deinde sacrā efflagitare synaxim, et cum celeritate multa. Quoniam etiam paulatim, clare equidem, atque perspicue, ut omnes videant,

et

et sentiat aegrotus, vires hominem deficere visae sunt, oleo tandem sacro perungitur: quam opem extremam, et auxilium ultimum Mater Ecclesia Christianis afferendum jubet. Deficere paulatim spiritus aegrotum incipit, et signa mortis certissima visae sunt adesse in hominis corpore morituri. Cōtemplare quae so angustias istius extremi temporis, cū homo morti propinquus, et desperatus a medicis, atque ut inter mortuos numeratus jā a domesticis lugetur. Ille jacet atque decumbit delecto non amplius surrecturus. Oculi obruuntur, maculae prominentes ex parte superiore, ab inferiore multū depressae, pallor mortis toto ore suffusus, mutus fere jam, et elinguis est, interruptis, et morientibus vocibus sonans confusus, atque interturbatus: qui fere jam sine sermone, sine voce. Digni, manusque frigescut, et nares attenuantur, et comprimuntur, uterus intumescit, partes omnes corporis exanguis, et prope mortuae: quas jam, nisi moveantur a praesentibus, movere non potest homo. Paulo post jam sine aspectu oculorum, nullo sensu audiendi, sensibus est omnibus alienatus, et motem in praecordis conceptrā habens, sudore mortis multo profluens, anhelitu crebro, atque singultu, in maximis his angustiis et extremis animā agit. Quid plura? Omnes, qui praesentes sunt, maxime filii, et uxor circumstiterē, dum sensus est, et metis suae compos, lugere, deplorare mortem omnes acerbissime, aegrotus filiis obedientiam in matrem, in Deum cultum, et divinorum mandatorum observantiam, filios, et filias uxori commendare, atque omnes valere jubens, signo crucis impertito. Augentur id temporis magis luctus, singultus, atque lamenta, ut diripi videantur omnes, divellique dolore. Iam multo ante sacerdotes, qui morituro adsunt, clamare non desistunt, ut in memoria Iesum habeat, nunquam illum de memoria deponat: statuunt imaginem ante oculos Christi Iesu in crucem sublata ad impetrandam veniam peccatorum. Hortari, ac repetere saepe nō desinunt, ut in auctore vitae suae, in suam assertorem, et vindic-

Ggg di-

dicem humanae libertatis aspiciat, ut intueatur in manus, in pedes, in illorum plagas clavorum diritate factas, respiciat in vulnus patens, et apertum lateris, et pro sceleribus suis cruciatus filii sui acerbissimos offerat: plus filium ad veniam peccatorum valiturum apud Patrem, quam sua scelera, et flagitia commissa toties ad damnationem, pluris esse Patri, sanguinem, et vulnera Filii, quam dici posset, et excogitari, infiniti scilicet pretii, et existimationis, hoc esse tempus cogitandi de Deo immortalis, de misericordia sua, de spe ponenda in vulneribus, in cruciatibus tanti Domini sibi persuadeat. Quam obrem ille a rebus humanis, a filiis, ab uxore, ad caelorum gloriam, ad beatorum opes, ad illam Sanctorum societatem cogitationem suam traducat, ut Mariam recordetur Matrem Christi Iesu, perfugium, et praesidium hominum, ut meminerit Angelum Custodem, ut in animo habeat Iesum, quoties possit, nomen Iesu sanctissimum usurpet, illos aulae caelestis Heroes clarissimos, quorum in vita studiosus fuit, quos honore aliquo, et religione prosequutus, recordetur, et imploret, instant atque contendunt sacerdotes. Quid amplius? dum haec aguntur, atque sacerdos litanias usitatas Ecclesiae recitat, et adhibet deprecatores principes omnes aulae caelorum, sensus omnino perturbati vim omnem amittunt: atque sensibus spoliatus omnibus aegrotus, omni iudicio orbatus, ut neque videat, neque audiat, neque agnoscat aliquem, neque intelligat, vox denique praeccludatur, et ore toto spumas agat, et mille gestus etiam, totus tremens atque conflictatus, et aliquando spiritus maligni specie perturbatus, jam jam animam agit. Diu cum corpore confligit animus ante discessum, toleratu difficillima patitur, diu mortem in praecordiis conceptam tenet, donec tandem vi, et contentione maxima, et conflictu corporis et animi gravissimo, post unam, et alteram spiritus defectionem animam exhalat, et cadaver foedum atque deforme manet animo socio comiteque vetustissimo, tot annos ante seculum conjunctissimo vacuum atque solutum, totum pallidum

dum et exangue: quod ex omnibus divitiis, et opibus humanis, nullum majus, neque illustrius trophaeum ex hoc saeculo decedens referre potest quam sindonem ad summum ex tenuissimo lino, et comparatam aliquot horas ante mortem, tegumentum miserabile, quo obductum in sepulturam inferretur. Quis commemoret luctus domesticos, et praecipue ejulatus uxoris, et filiorum? in conclave remotissimum abdere sese, auferri statim tapetes, pulvinos sericos tolli, omni vestitu specioso nudari paritum, concludi foras. fenestrasque omnes aspicias. Exsuere infelix uxor sericum, et aureum ornatum, induere vestes atras, atque lintea longiora, et ad pectus usque delapsa statim, lamentari, ejulare, in angulum se conjicere, dicere se miseram, et infelicem, et orbam tanto viro, filios appellare calamitosos, et aerumnosos in posterum, qui tantum boni amiserunt, nullius verba, non religiosorum consolationem accipere, inferre sibi manus, intorquere saepissime, atque vestem in spoliatione vestitus ornati discindere, universa vocibus commoveri familia, filii, qui jam certi de morte parentis erant, in palatium obscurum concedere, et mutatis vestibus atrati confidere, luctum omnem, et moerorem augere servi, et ancillae omnes, quarum dissonis, et horrendis clamoribus omnis complebatur domus, venire principes civitatis consolatum filiorum orbitatem, dolere de morte patris, de casu, de jactura, sed in eam partem omnia conferre, ut causas consolationis illos habere plurimas, et non afflicti se tantopere, debeant animadvertere, quos pater natu grandiores, probos, et bene institutos, fortunis maximis auctos, reliquerit: atque mortem cum his bonis lenierit Deus, tum spe, quam de caelorum gloria consequenda pater ostendit moriens: quia conscientia expiata, munitus Sacramentis omnibus, et annos multos cum ante in obsequium Dei se contulisset, diem suum obiit. Conclamatur ad funus hominis sepeliendi, cui filii nullum majus officium

praestare possunt, neque majorem honorem, quam ut in ecclesiam deportetur cadaver, et cogniti amici, principes civitatis exequias, cohonestent, atque interim dum adest exequiarum, tempus, homines honorificam de mortuo mentionem faciant, vitam, et actiones honorifice commendant.

MORTVVS HOMO INTRA

Homo simulatque vita functus est, audire erat universam domum luctibus, et lamētis maximis personare, filios, et filias, uxorem, et universam familiam clamoribus, et ejulatibus totam completere domum, atque viciniam miseris dicere, infelices appellare, orbas jam in posterū parente, atque viro, et quo patre, tam bono, tam pio, tam misericorde, diligenti, et attento patre familias, sui ipsius negligētī familiae nunquam oblito, principe generis, ac familiae, primario civitatis viro: atque gravi illum oppressum morbo, non intra biduum ablatū esse, sed diem unum decubuisse in lecto, prae gravitate morbi subito spiritum interclusum fuisse, neque filiis suis, neque filiabus, quae in his angustiis, hoc mortis imminente tempore, patres verba facere solent, praespiritu praecluso fecisse, non accersitos filios, non filias, non matrem, non ullum verbum proloquutum. Tunc cum maxime vivere illum opus erat, ut fortunas, et rem suam cōstitueret, filios in statu collocaret, tunc cum spes maximas alere, et valere magis apud omnes auctoritate, et apud principes gratia florere incipiebat, e vivis ablatum esse, reliquisse filios parvulos, et filias inopes, et egentes, non habuisse spatiū cōmendandi filiū, filiamve cuiusque de familia, ac de genere suo. Ve mihi ille! Alter heu mihi. Quid nobis miseris? Quid mihi, et matri? Quid fratribus, et matri fiet? Clamare, lamētari

ri, vociferari, et tertio quoque verbo patrem amissum nominare, mutare vestes, induere pullos amictus. Hoc vestitu lugubri, et sonitu cymbalorum, quibus conclamabatur ad funera, majores mittebant voces, omnes iterabant, et ingeminebant clamores: tora domo nihil nisi plangor, et intermissae lamentationes audiebantur, maxime cum domo cadaver effe ferri videretur.

FVNVS EFFERTVR

Vnus effertur domo, atque pompa solita, et apparatu, anteibant milites multarum Christiānissimae familiae familiarum cum candelis inflammatis in manu, quos consequebantur Sacerdotes similiter lucernas accensas gerentes in manibus, omnes longo agmine in duos ordinis distributi: consequebantur funus viri primarii, et splendidissimi, locupletes, et copiosi, heroes, et equites diversorum ordinū militariū, Dynastae, Marchionesque clarissimi, flos denique ipsius civitatis. Atque cadaver circumfitebantur pauperes vestitu donati lugubri, cum funalibus flammarum ardore flagrantibus, praecurrentibus famulis longo ordine atratis, moestis, et ad ductus speciem maximam compositis: qui bini progrediebantur, et de fixis in terram oculis. Cadaver in lecto amictu pullo coopertum humeris comportabatur nobilium. Claudebant pompam filii atrati, qui majorem luctus speciem praestebant pallore multo, et oculis collacrymātibus, inter Praetorem, et Marchionē, et inter Duces duos sensim admodum progredientes: qui oblonga pallia, longissima, et a tergo terram verrentia trahebant. Cum in Ecclesiam perventum esset, templum apparatus, et ornatum in speciem luctus, atque moeroris erat, arae omnes amictu convestitae pullo, pavimento erat vestitu stratum lugubri, et in illo tumultus excitatus honorarius, supra quem locus ligneus cum cadavere collocatus

tus, funalium incredibili multitudine circumdatus. Iusta solvi coepta sunt cadaveri humi jacenti cantu ad moeroré cōposito, toto templo cantorum vocibus personante: post cātus legitime absolutos, cum in sepulturam cadaver inferendum esset in concamerationem infra terram defossam atque concavam, illatum est in loculo ligneo inclusum. Id tēporis renovari luctus, repetique lamenta luctuosa. Quod si nō tantum sibi fuisset divitiarum atque nummorum ad hanc sepulturam tam honorificam post mortem relinquendam, si mortalium mediocrium usitato more sepeliendus esset, inter exequias celebrandas defodienda foret sepultura latitudinis, et longitudinis consuetae, crepitu, et stridore ligonū, et similis generis instrumentorum, quae ad defodiendam sepulturam, ad terram extrahendam, ad terrae cumulum aggerandum, ad lateres, ad glebas perfringendas, ad rumpendam multorū lapidum asperitatem, atque duritiem necessario sumuntur in manus. Inferri videas cadaver, cooperiri terra, quae accumulata in cadaver rejicitur, pedibus conculcari, comprimi, constringi ligonibus: donec adaequata cum pavimento ecclesiae maneat sepultura. Cadaver relinquitur escae, praedaeque vermiculorum, qui infinitam in multitudinem scaturientes cooperiunt statim illud, et ora infra terram condita exedunt, et absumunt, nulla brevi spatio cadaveris relinquenda forma, neque specie miserabili. Aperi sepulturam biduū post dumtaxat, in vise carnem illam teneram, atque delicatā, quae escis exquisitis, et accuratissime cōfectis alebatur, cui inferiebant omnes, obtemperabant domestici, quam explendam omnes curabant. Vide quem in locum homo, in quam miseriam redactus fuerit: coopertus jam multitudine vermiculorum scaturientium infinita nullam speciē, nullam formā habebit, tetra jam sanie, et tabe foedissima, ore toto, reliquique partibus corporis manantibus, tam intoleranda odoris foeditate, ut tetrius, et foedius non oleant jumenta mortua, quae jacuerint per hoc spatium temporis in solitudine. De-

fines

fines homo profecto, si sana mente fueris, architectari turres inanes, et machinari fabricam illarum aliquam, quas mentibus, et animis suis moliantur homines hujusce saeculi, ut valere gratia, fortunis, et opibus queant. Relinquamus cadaver humi coopertum terra, glebis, et aliorum sui similium mortuorum ossibus permistum, ad summum tectum lapide inscripto litteris, et inciso ad illius memoriā aliquam inter vivos habendam, nisi qui praeterierint, atque volūtate sua, qui pauci sunt ad litteras legendas consistant, istius recordabuntur hominis mortui? Veniunt hujusmodi homines intra paucos dies in posterorum, atque in hominum hujusce aetatis oblivionē: qui tot gloriolas efflaverant, et in violis, atque rosis vixerant semper, et relinquuntur, ut praedixi, praedae direptionique vermiculorū: ut si post paucos annos, alio transferendi sint aliquot de causis, ossa cum aliis fortasse permisceantur, nec inter aliorum, qui jacuerant in eadem sepultura, tantam multitudinem possint internosci. Sed ad Pōtificum funera transeamus.

EXEQVIAE DOMINI MAR-

tini, Episcopi Cordubensis.

(S)

MORS Episcopi Cordubensis, qui pridie idus Junii, paulo ante Solis occasum e vivis excessit, omne genus virorum, atque mulierum Cordubensium moerore confecit, atque profligavit maximo, cum propter nobilitatē generis Cordubēsis, quo ille natus fuerat, tum propter singulare studiū, et pietatem in pauperes, atque immortalem bene-administratāe praefecturae gloriā cōsequatā. Magna fuit cōfessio inter ordinē canonicorū Ecclesiae Cordubēsis, et coetū familiae sacrae militū sancti Dominici de tātō Praefule Cordubē-

his Ecclesiae sepeliendo: quo in certamine canonici superiores fuerunt, et in ea parte templi maximi, quae est inter aram maximam, et eum locum (quem vulgus appellat chorum) sepultus est. Non ille sepulchro magnificentissimo, ex marmore facto politissimo, quod a terra multum esset excitatum, et cum picturis ex omni parte decoratum, et imaginibus lapideis, tum effigie sui corporis eleganter sculpta, atque incisa ad Pontificis tanti memoriam sempiternam, habitu, et ornatu pontificio, simul sculpto, atque arte elaborato eximia atque praeflora, sed qua ratione modo communiter canonici sepulti jacent infra terram marmore cooperta sepultura candenti sepulturae mandatus fuit: Ab ipso Pontificis ex hac vita decessu, ea, quae sequuntur, acta sunt: Fama summae sanctimoniae tanti Antistitis magis in vulgus exire coepit, et emanare morte, quam vitae honestissime sanctissimeque aetate consentaneam habuit cum magno sensu reru caelestiu, et Christi Iesu cruciatuum diem suum obiens. Cum sub vesperum paulo ante Solis occasum animam efflasset, statim in sacello domesticum, quod erat ad speciem magnifice ornatum, demissus est, et in lectulo amplo, pulcroque, qui tunc in domo egregie stratus erat, quoad efferretur in ecclesiam, collocatus. Ille ornatus vestitu Pontificis, in hunc modum jacebat, et ore concluso, et labiis ad summam religionem compositis, conjunctis, atque tensis manibus, vestitus albati tunica, manipulo, et stola aurea, et casula magnificentissima, calcibus ferreis, signo Crucis ornatissimis, et in dextera baculum a summo leviter inflexum, et admirabili opere, ex auro factum, in capite insigne pontificu, tiaram multo auro, et gemmis mirantem, in digitis praegrandes annulos, et in eis inclusas clarissime collucentes margaritas habebat: quae omnia clariora reddebantur, flammis lucernarum, quae in summo, et infimo lectulo collocatae ardebant, et ardore funalium, quae a lateribus lectuli accensa, et lectulum, et ornatum cadaveris, atque totum sacellum miro fulgore illustrabat. Cum hoc orna-

na-

natu, decora, et ornamenta arae, quae ante lectulum erat, pullo colore distincta consentiebant. In hac ara bene mane, statim primo diluculo, fieri sacra coepta sunt ab omni genere Cordubensium presbyterorum, et alumnorum sacrae cujuscunque familiae. Quam longum fuit spatium hujusce temporis, nunquam sacellum vacuum fuit multitudine hominum, horum ingredientium, et aliorum exeuntium. Omnes cadaveris invivendi gratia concurrebant, in praefecti tanti oculis, et vultu multum temporis acquiescebant, neque ab ore sanctissimi viri dejiciebant oculos, effundebant vim ingentem lacrymarum recordatione virtutum, et ornamentorum admirabilium sanctissimi, quem amiserant, praefulis. Cum sacra plurima recitata fuissent, tum decantata duo in eodem sacello, absolutis omnibus sacris, precatione solita (quam responsoriu dicimus) singuli sacerdotes utebantur, et in exitu precationem Domini adhibentes spargebant aqua lustrali cadaver: atque idem officium precationis milites familiarum religiosarum cantu solito praestiterunt. Interim flos nobilitatis, ordo presbyterorum, Praetor, et Senatores Cordubenses conveniebant, singuli recipiebantur, et deducebantur in stationes praefinitas: et quia domus Pontificum Cordubensium ampla satis est, et in primo statim aditu habet impluviu amplissimum, quod consequitur statim alterum magis praecipuum pavimento lapideo, medium tectum cum suis portibus, reliquum apertum patente caelo, in quo amplum erat palatium: is erat ordo recipiendorum, et collocandorum hominum suis in sedibus. In primo impluvio stabat multitudo cujusque generis eorum, qui permisti erant, et colloquentes in circulis cum amicis, aut deambulantes, vel adhaerentes ad parietem, in secundo religiosi: in palatium nobiles viri accomodate, honorificeque recipiebantur: interim comparabantur ad funus omnia. Cum jam igitur venisset tempus cadaveris efferendi, cymbalis omnium ecclesiarum multo vehementius quam antea tota civitas personare coepit, et illud in te-

H h plum

plum maximum elatū est praeeunte multitudine pauperū, qui atrati omnes gestabant in dextris accensa funalia: sequebantur statim aeditui omnium ecclesiarum cū Crucibus manicas nigro ornatas colore gestantibus: ultima deportabatur Crux templi maximi sine manica, nuda tota, dissimilis caeterarum, ut internosceretur propter speciem pulcherrimā: quippe quae nihil praeter vim auri admirabili opere facti habet, et virga, in quam infertur ipsa Crux, ex auro, et argento erat: proximi erant milites religiosarum familiarū, nullo delectu, neque discrimine antiquitatis, quā servare solent in suis supplicationibus. Progrediebātur omnes intermissi, in eo loco, quem casu, vel amicorum invitatione praecoccupaverūt, inde portionariorum, et canonicorum ordo, qua solent auctoritate, et amplitudine maxima: inter quos, et inter illum, qui palla bōbycina tectus erat, in pectore praegrandi gēma collucente, sequebatur funus: quod consequebantur Praetor Cordubensis, Senatores, flos nobilitatis. Ab aedibus Episcopi in tēplum usque maximum perpetuum agmen cernebatur: quilibet procedebat primus, medius, aut ultimus, ut locū fortitus fuerat. Viae ardore funalium longe lateque collucebant, et fulgore lucernarū, quas clerici in manibus gestabant, et quae ad decus, et ornatum cujuscunque Crucis a lateribus sublatae suis in cerealibus portabantur. crepitus maximus, et stridor audiebatur lucernarum, et funalium crebra crispatione tremantium, cera, totis funalibus liquefacta dilabebatur, et sola viarum, per quas perveniebatur ad ecclesiā, vi et multitudine guttarum sternebātur. voces cantorum tollebantur in caelum lugubres, atque moestae. gemitus, et fletus maximus eras mulierum, quae sese effuderant ad miserabile, et luctuosum spectaculum. fores, et fenestrae aediū, gradus tēpli maximi complebantur a multitudine. fiebant motus ingentes animorum, et aspectu cadaveris, et amissorum recollectione vitae cōmodorū, et moerore acerbissimo multorū equitum, atque mulierum sanguine conjunctorum, quae singul-

gultibus moerorem suum exagitabant, et alios homines suo fletu in luctus maximos adducebant, et specie praesertim miserabili, cum atrati omnes ore, et capitibus obductis procederent: vestes lugubres, atque longe a talis productae, et latissime explicatae viis aestuosis, et pulverulentis, squalidae ac fordidatae terra traherentur. Ventum tandem est longo post tempore ad ecclesiam, in qua cenotaphiū erat constructū, et insignibus familiae Cordubensium adornatum, multis versicoloribus litteris, et sententiis gravibus illustratū, multitudine, et copia funalium in circuitu collucētium clarissime, parietes pullo peristromate convestiti, et in medio tumulo lectulus collocatus. Interim dū exequiae fiebant, Praefectus ecclesiae Cordubensis mortuus cernebatur ab omnibus, vestitus amictu, et ornatu Pontificis in lecto jacens, cum mitra magnis fulgentibus gemmis illuminata. Sacella erant id temporis pullo amicta vestitu, et ad moerorem composita, praestituta jam singula singulis religiosorū familiis ad iusta privatim in eisdem sacellis persolvenda Pōtifici Martino. Omnes summo studio atque religione tribuerunt honorem ante illum in civitate Cordubensi suae dignitatis homini adeo eximiū, et illustrem habitū profecto nemini. Concio habita fuit de laudib⁹, de vita, de honoribus habitis, et gestis, diversis in sedibus Ecclesiae, ac praecipue de studio, et integritate vitae, de illo inflammato mentis ardore, quo successus, ut liber ab omnibus impedimentis, vacuus, ac solutus curis omnibus iter institutum virtutis persequeretur, et cōficeret, divitias omnes, atque facultates contemnens secessit, segregavitque se a commercio vulgi, et perfectiorē vitam amplexus, nomen dedit in sodalitatē Dominicanorum. Qui cum multos annos in hoc sacro religiosoque ordine vixisset, ut nō acquabilibus modo suis, sed ipsis seniorib⁹ exēplū demissionis, et omniū virtutū esset, Rex Catholicus nulla prorsus alia re, nō generis nobilitate, nō studiis potētissimorū de sua familia Magnatū, nō alicujus gratia, nō ambitione, nō preci-

bus adductus, sed viri sanctissimi, et integerrimi virtute commotus, qui benemeritos omnibus honoribus, et ornamentis solitus est afficere, nihil tale cogitantem, et recusantem multum diuque Martinum, Praefectum Ecclesiae Placentinae creavit: qui cum in illo dignitatis gradu collocatus admirabile se, singularique sanctitate praeditum, ostendisset, eum aliquot annis post praefectum Cordubensem Rex idem Catholicus delegit. Hujus de praefecturae administratione cum dixisset plurima concionator, plura dicere sine dubitatione potuisset. Cum autem ille ad singulare pietatem, et misericordiam in pauperes, et egentes, cum ad facta illustria, et gloriosa misericordiae venisset Anistitis, qui non ostiatim victum quaerentibus solum in oculis, et claritate civitatis, sed stipem noctu cogentibus praepudore ferebat opem, atque domi se noctes diesque continentes foeminas, nec in publicum propter muliebrem verecundiam prodeuntes missis pecuniis, atque distributis in singulas ecclesiarum tribus adjuvabat, quantus factus est motus auditorum, et pauperum praesertim parentem tantum amissum, vicem suam, atque jacturam commodorum factam dolentium? concludo, inquit, conversus ad Canonicos, atque vos contemplamini desiderium, et opinionem, quam suae sanctimoniae reliquit in vestra civitate: siquidem ab eo tempore, cum collocatus est, in hoc cenotaphio Pontifex vester ornatus amictu Pontificum, cum mitra aurea, et baculo pastorali, omnis generis hominum incredibilis concursus ad cadaver invisendum factus est, et alii praesensu, praerecordatione suarum virtutum, manantibus ingenti multitudine lacrymarum oculis indumenta sacra contingere, alii vestibus admoveere virgineos globulos, alii liberalem illam dexteram, pauperum altricem, illustriam effectricem operum osculari, pedes sanctos viri dicere, qui nesciebat vias alias, nullas lustrationes, nisi rectum, ac directum iter in ecclesiam, et ab ecclesia in suas aedes reversionem. Qui propter multitudinem propius accedere non poterat, ore, manibus, corpore quascunque poterat

moer

moeroris, et desiderii sui significationes praebat. Consistebant multi, multi in ore, et oculis acquiescebant Anistitis: qui quanvis moruus, tam egregia oris dignitate videbatur hominibus summam spirare sanctimoniam. Circuibant alii, qui multitudinem perumpere non poterant, sacellum omne, vias omnes, et rationes tentabant, et quibuscunque suis incommodis captabant tempus opportunum invisendi. Una omnes voce parentem pauperum, praesidium, et anchoram tutissimam, omnium, qui ab incunabulis suis illuxissent, praesulum principem, decus, et lumen Ecclesiae Cordubensis appellabant. Denique gratulatus est urbi, quae ut illum primam nascetem gremio suo sinuque excepit, eadem ultimos tulit virtutis tantae fructus, atque nunc demum gratissima operimento terrae suae obduxit.

EXEQVIAE ANNAE REGINAE IN Basilica Indici commercii.



On regum exequiae praetereundae sunt, quas facile erit ex subjecta Annae Reginae Hispaniarum exercitatione describere. Ut mos est nuntiata Regum, aut Reginarum morte in populos omnes, et in civitates regnorum nuntiis, et litteris pervolantibus, omnia signa sunt moeroris, atque tristitiae plenissima: quam pulsus cymbalorum una cunctis in ecclesiis aures omnium, atque pectora percellentium adauget. Mutantur continuo vestes, atque tegumenta mulierum omnium, quae nigro colore capita sua velis impositis obducunt: cujuscuque illae fuerint, tenuioris, aut amplioris fortunae. Videas Senatores comparare sese ad vestitus atros induendos, et ad cenotaphium sumtuosum, et magnificentum in templo maximo Hispalensi pro civitatis opulentissimae, florētissimaeque potestate notissima construendum tollendumque mirandam.

H h 3 in

in altitudinem. Sed quoniam ab hinc annos multos excitatam illius fabricam elegantissimam in memoria non habeo in Indici cōmercii aede excitatū tumulum admirabilem recordans in istius descriptione versabor. Ordior igitur ab illo tempore, cum Senatus Hispalēsis Regis nostri litteris certior factus est Reginam Annam, quā filiam Imperatoris Maximiliani, et quartam Catholici Regis uxorem fuisse constat, suum diem obiisse, novum in hac urbe, sed Annae mortuae meritum sine dubitatione officium gubernator, et Cōsules domus negotiationis praestandū decreverunt. Ea, quae Basilicae divi Petri consecrata est, die, Reginae Annae iusta persoluta sunt in hac Basilica Indici commercii: in qua quod sequitur cenotaphium constructum erat, et totum peristylū hac ratione compositum, ut luctus speciem praeberet intuitibus. Primum peristylum cum sit amplum valde, atque latum, quippe quod ex omni parte quadratum est, et quattuor magnificas ostentat porticus inferiores, et totidem superiores, totum, atque porticus erant pullo peristromate convestitae, et columnae identidem, atque spatia intercolumniorū a superiori parte fornicem cujuscunque arcus attingente. In medio peristylō, paene in ea parte, quae puteum cōtinet, cenotaphium ejusmodi exstructum erat, quod castelli speciem praebebat quadrati: ad quod erigendum primum tabulatum a terra sublatum erat in areae similitudinem latissimae, a quo cenotaphium excitabatur: quod in tantam altitudinem ascendebat, ut paene tecta sublimiora attingeret, porticus superiores plane superaret: quod linteo velo, ne pars ulla caeli patens, et aperta cerneretur, atque ut locus plenissimus luctus, et moeroris videretur, omnino coopertum erat. Totum autem cenotaphium ad moerorem compositum, nigro, cineraceoque colore distinguebatur, atque illud variis picturis ornatum, omni ex parte patentem, et apertum Reginae tumulum patefaciebat inspectantibus, qui in quo

quocūque peristylī loco fuissent. tumulus vero in medio cenotaphio excitatus ad speciem venustissimus, ornatu visendo cernebatur, et aureo peristromate coopertus, et in duobus pulvinis, et auri splendore micantibus diadema gemmis clarissimis collucens collocatum, cum aurea Cruce affabile facta, quam a lateribus illustrabant magis duo candelabra, ex auro similiter facta, eleganti opere, ac magnifico, et duae in utroque inflammatae lucernae. Ad hanc cenotaphii partem per quattuor scalarum gradus, qui omnes circumaedificati, et pōlla veste strati erant, ascensus dabatur. A medio cenotaphio a fronte, et a tergo quattuor minora tabulata in viae similitudinem sequebantur cancellulis ligneis interclusa, quarum illa, quae tergum respiciebant, sedem praebebant presbyteris sancti Salvatoris interfuturis funeri celebrando, alia, quae longiora, multoque venustiora visabantur, ad eum locum spectabant, et perducebantur, in quo ara eminebat erecta ad rem divinam faciendam: a quo veniendi in tumulum Reginae, et ex illo in aram redeundi, ad exequiarum ritus, et caerimonias obeundas locus, et opportunitas dabatur. Cum hoc apparatu, ornatuque magnificentissimo cenotaphium instructum esset, tum quattuor regum simulachris, quae singula cenotaphii cornua occupabant, demisso capite, inflexo corpore, et leviter incurvo, cum sceptris in sinistris, et in dextris eum regnorum insignibus, atra veste induta magis speciem luctus, et moeroris augebant, insigniter, et magnifice ornatum erat. Atque haec omnia multitudine funeralium, quibus cenotaphium circumdatum erat, mirum in modum illustrem habebant speciem, et dignitatem exequiarum regiam, et excelsam ostentabant. Ab eo autem loco, in quo erat tumulus Reginae, machinatio praecellens, et plane regalis in fastigium usque surgebat opere testudineo, quae quattuor columnis sustulsa sustinebatur: in cujus summo globus visebatur immensus duplici aquilarum

forma decoratus, et ornatus diademate Regio. Hac igitur specie ornato peristylio exequiae celebratae fuerunt convocatis plurimis alumnis diversarum Christi Iesu familiarum, magno concursu virorum, et mulierum, cantu ad moerorem composito. Archiepiscopus Burgenfis rem divinam faciebat, singulari interposita concione de Reginae virtutibus admirandis, gubernatore, et consulibus ejusdem Basilicae praesentibus: quos comitabantur, qui ad cohonestandas exequias convenerant, homines primarii civitatis. Inter illos autem, Comites, et Marchiones multos, et Duces fuisse quis non intelligat? Hi omnes, ubi tempus rei divinae faciendae adfuit, longo quidem ordine prodierunt in publicum, atque omnes atrati, pullis amicti vestibus longioribus: quae propter longitudinem suam, tota terra trahebantur, raptabanturque ad speciem honorificam, ac plane regalem exequiarum pompam ostendendam. Omnes pedetentim admodum, et cum magna pompa corporis, oculos, et caput obvoluti processerunt in eam usque partem, quae subsellia arae propinquiora continebat: quae singuli pro sua dignitate occuparunt. Cantores igitur instituant funebre sacrum, atque concinentibus mira suavitate vocibus. Spectaculum quocumque te converteres proponebatur oculis, et caeteris sensibus ad contemplandam, repetendamque Reginae mortem, et tanta exequiarum magnificentia concelebrandam. Videre erat Archiepiscopum Burgensem solenni ritu, et more Pontificum rem divinam facientem, indutum pretiosissimis vestibus, sed ad luctum, et moerorem spectantibus, ministros eidem astare plurimos, qui omnes ejusdem coloris decora, et ornamenta gerebant, duos alios adversos suis temporibus stare cum sceptris, et pullatis pallis ecclesiae divi Salvatoris presbyteros, atque hos cum reliquo sacerdotum conventu de reliquis ecclesiis coacto atque frequenti, in oedeo quasi praeesse, subsellia sua religiosos milites occupare, reliquam multitudinem porticus complere inferiores, superiores mulieres tenere, virosque nobiles, ad-

parietes pullo amictu moerorem afferre maximum, atque ipsum magis cenotaphium ante oculos mortis imaginem proponere spectandam inter seque mortalibus recolendam: ut quo Regina perveniret, nos, qui multis intervallis illa sumus inferiores, per venturos esse cogitemus.

FVNERA ROMANORVM.

Erstringam breviter, ut descriptio postulat, funebrem Romanorum pompam ab illo tempore primordia capiens descriptionis, cum scimus desperata valetudine mortalibus foeminas albensibus jam pupillis palpebras oculorum clausisse cognationis vinculo, affinitatisque conjunctas, atque eandem abluisse calida corpus, et unxisse conclamantes iterum, si forte reviviscerent. Accersebantur pollinctores libitinarii cum funereis vestibus, praesentes illico, quibus mortuos amiciebant: nisi vestibus honorificis ornandos esse viderent, militaribus scilicet, aut illorum magistratum insignibus, quos bene gessissent, et e republica vel quia Duces fortissimi fuerant, et Imperatores invictissimi, rerum praecclare gestarum gloria insignes, trophaeis plurimis, et triumphis gloriosissimis ornati. Mortui vulgo induebantur veste albenti, et simplici, neque ullis inquinata sordibus: ut jam animos omni labe expiatis fuisse mortuorum spectatores sibi persuaderent. Caput ornabatur corona floribus intertexta variis: atque ita collocabatur illum filii, vel haeredes ad aedium fores, eo loco, atque statu, ut facies, et pedes proteteri, et obversi via respicerent adhibito tubicinum genere, et amicorum ad cantus edendos: qui testes, et indices fuissent mortis obitae, morbo aliquo, non veneno, neque ferro. Cupressus praeponebatur foribus, ne quis insciens domum ingressus pollueretur: atque in hunc modum domi per septem dies asservabatur horrida jam specie, atque figura: qui canibus saepe mortuis foedius ac tetrius ole-ret, nisi avertendi gravis odoris causa odores accenderentur. Atque pueri cum stabellis assistebant lectulo, mortuo ventum facientes ad muscas prorsus abigendas. Cum octava jam lux-

esset ab hominis primarii decessu, quo de nunc loquimur, dies effereudi funeris indicebatur publica voce praeconis. Itaque noctis tenebris, istius supremi diei celebritate, quam mos, et leges comburendis concedebat, cadaver efferebatur. praeferebantur faces, et tubae horribilo clangore suis intervallis audiebantur. procedebant, qui ducum, invictissimorum insignia ferrent, et spolia, et urbium captarum imagines, et inversa signa, armorum cuspides ad terram obversas, obversos etiam falces, si magistratus gesserant, et interdum fractos, quemadmodum faces extinctas, atque papyro circumdatas ad ignem facilius concipiendum, imagines etiam nobilium, et fumosis majorum stemmatibus clarissimorum hominum, neque patris solum sed materni etiam generis ad vivum expressos ex cera vultus, et ora ad pedes usque extremum. Atque haec praeferebantur imagines, oblongis hastis infixae, vel supra cuspides illarum positae, rectae, et excelsae, et in sublime tantopere elatae, ut ab omnibus, et ex omni loco cerneretur. Iam vero plurimi lecti comportabantur ad majorem pompam, et magnificentiam. Atque filii, filiae, uxores, aut viri in veste dissimili funus antecedeabant, viri atra veste, candida mulieres, atque filii velatis capitibus, filiae nudato vertice, et erinibus passis. In his autem funeribus virorum celebritas tantum habebatur, ut praeter Senatum, Magistratus omnes, et Consules sua majestate celsitateque visenda, proximus illis esset equester ordo, et Populus Romanus universus: atque hi omnes cum composito ad moerorem vultu, tum sine toga praetexta, sine annulis, sine lato clavo, sine infulis, et insignibus honorum, et dignitatum amplissimis. Et sane hac pompa, hoc apparatu vias publicas, et forum praeteribat funus in portam usque delatum, et ad pyram, id est lignorum struem, in qua erat cadaver imponendum, ut combureretur.

CADAVERIS COMBURENDI

di Tempus.

A De comburendum cadaver pyra erat in immensam altitudinem exstructa, si potes, aut opulens fuisset homo comburendus.

vel,

vel in humilitate demissa, depressaque, ut non multum a terra tolleretur, si tenues opes, et mediocres facultates sibi fuissent: ut cum sumtus funeris suppeditare non posset, et ob eam causam fuissent imminuendi necessario, paucissimis gradibus in arae formam, specieque construeretur. Pyram perpoliendam curabant veteres cupresso circumdantes ferali, pyramque ipsam propter gravitatem odoris vino respergebant, unguentisque, myrha etiam, cinnamomoque instruebant: et ut exardesceret facilius pyra, coniciebant oleum. Aderat iam, et praefens erat tempus coniciendi cadaveris in rogam: quod cum vino, lacte, melle, sanguine ex victimis mactatis effuso conspersum, purpureis iterum a pollinctoribus ornabatur vestibus, et in rogam imponebatur, et oculis apertis, et in caelum spectantibus resupinum. Atque post ultimam conclamationem, cum sanguis profusus esset, quo quasi evocabatur anima ad corpus, quod ipsam ex Empedoclis sententia dicerent esse cordi suffusum sanguinem, qui captivorum erat, vel gladiatorum, vel mulierum genas sibi lacerantium aspectus. Pyram incendebat aliquis sanguinis cum mortuo communionem conjunctus, atque aversus, ut officii tribuendi necessitate leges afferre videretur, a faciendo voluntate profusus abhorrente. Id temporis accenso igne cadaver deflagravit in sublime flammis incredibili stridore volitantibus. Amici, filii, cognati, quique praesentes erant certatim in rogam conicerent multis lamentis, luctibus, et ululatibus horribilis aera complentes vestes triumphales, gladios, balteos, arma militaria, magnam vim vestium magni pretii, et aestimationis. neque mulieres studio superari patiebantur. Illae certatim ornamenta sua, armillas, zonas, aurea reticula, cylindros pretiosos, vittasque virginales, comas, torques, muraenulas ex auro factas pretiosissimo, intortos capillorum cincinnos, bullas, praetextasque liberorum, thura, unguenta, et odores omnis generis, quos hastis deferebant, ignibus, flammisque mactare, atque tanta vi, et copia tam incredibili profundere hujusmodi dona ac munera speciosissima, ut multitudine odorum innumerabili multum cederent

obniti miserabiliter. Omnes magnā Dis inferis, mactatarū o-
viū multitudinē, et pecudū etiā majorū, canes, equos, lusciniās,
aves, et quod crudelius est, famulos in Demiorum rogos in-
jicere. Atque ab hoc tēpore animae vita functorum, qui jam ma-
nes dicuntur, infernae fedis ripā contigisse ferebantur. Lustra-
re rogam, circuire praefica mulier, hanc reliqua corona sequi,
cōcinere lugubre carmē illo, tēporis intervallo, donec ardente
rogo cadavere consumpto, et collectis cineribus, cum jam satis
lacrymarum profudissent, novissimum verbū illic dicebatur.
Milites etiā ter sinistro orbe decurrere, projicere arma, atque
populus universus circuire rogam, omnium maxime filii, et so-
lenni ritu stantes parentum suorum mortem. His omnibus de-
more per solutis reliquum erat, ut cineres colligerētur, et in ur-
nā conderentur ad posteritatis memoriā asservādi. Qui prius-
quam mandarentur sepulturae, prodibat in mediū aliquis, atque
de praecelso loco concionē habebat honorificam, et omnibus
abundantem eloquentiae ornamentis, de laudibus vita functorū,
de reb⁹ praeclare gestis, de domitis bello provinciis, de Re-
gibus subactis potentissimis, de triumphis actis, de magistrati-
bus, et honorib⁹ Reipub. gestis, deniq; de beneficiis in républi-
cam collatis. Quod si nō essent ii, qui cremati fuerant, his orna-
mentis praediti, justitia, pietas in Deum, atque illius observantia,
religioque commendabātur. Hanc orationem veteres Epicediū
appellabāt: nam cōditis cineribus dicebatur Epithaphium. Ne-
que vero praetereundus est cantus moestus atque lugubris, quem
hōnoris causa siticines edebant. Consequēbatur circunpotatio
summo silētio, facibus extinctis, coene faciendae ferali accom-
modata: cui apium dicatum fuisse, et fabam legim⁹. Atque Pol-
linctor, tanquam magister convivii praesentes invitabat in or-
bem. Tanta vero magnificentia cineres condebantur, ut cum
illis thesauri plurimi ad mortuorum laudem, atque ostenta-
tionem superbissimam abderentur. Sed cum tempus esset jam
ab his luctibus abeundi domum, antequā populus ab exequiis,
et a lugubri officio discederet, a sacerdote primis temporibus
lauri, post Augustum olivae ramo mortuus lustrabatur aqua,
ut

et purgatus et expiatus excederet. Atque omnes novissimū ver-
bum illic praedicente praefica lugubrem speciem adhuc reti-
nentes domum revertebantur. Novem post cōtinuos dies, qui
sumtus fiebant? quam maximi? quantum pecuniarum? quātum
argenti? quantum auri impendebatur sacrificiis faciēdis, specta-
culis praebendis gladiatorum, et aliis ludis apparatussimis com-
mittēdis, cōviviiisque, cōcelebrādis apparatussime, magnificētissi-
meque? in locis celebriorib⁹ aeneae, cereae, marmoreae erigebātur
imagines: columnae cū trophaeis, atque carminibus cū decretis
magnificētissimis Senatus cōsentientis auctoritate collocabā-
tur: atque ipsae res gestae in lapidib⁹ ex marmore politissimis in-
sculptae posteritati mā dabātur sempiternae ad vita functorum
memoriam in omnes saeculorū aetates propagandam.

ILLE DIES DE OMNIBVS ANNIS

nostris sententiam laturus.

Quoniam ut constat ex descriptionibus proxime praete-
ritis ad mortē omnes contendimus, et serius, aut citius
omnes tandem homines mors una manet, et moriendi
tēpus incertum est: quemadmodum nos cōparare debeamus,
si per nos non steterit, abūde satis remedia adhibuimus, et phar-
maca salutaria: jam in exitu hujusce libri tempus illud Extre-
mū Iudicii terrificum spectemus. Postquā dies luctuosus, atque ter-
ribilis improbis, et sceleratis hominibus aderit, in quo misera-
biles isti homines poenis affiendi sunt, boni vero felices atque
fōrtunati in omnes saeculorum aeternitates praemiis sempiter-
nis: quod spectaculum hominibus, divinis mētibus visendum,
et spectandum in valle Iosaphat, in quam omne genus hominū
cōveniet, statuetur ad proborum, et impiorū sententias audiē-
das? Quae signa diem hunc antecedent? quem mortalibus ter-
rorem incutiēt? O miseros, et aerum nosos homines, qui de nu-
mero damnatorum fuerint: qui nec vultum Iudicis irati vitare,
neque ora prae metu perterriti, debilitatique sustinere poterunt,
neque judicem alium appellandi facultatem habebunt. Quo se

miseri conferent tot prodigiis, tot portentosis de caelo signis observatis? Quid agent cum tot in terra ante suos oculos, et ora versentur intolerandae res, aspectu horribiles, multitudine innumerabiles, nulla non locorum regione perspectae? Signa, quae de caelo observabuntur, innumerabilia sunt: cum tota aëris regione faces ardentes, et accensae videbuntur flammæ, horribiles stellae, cometae terrifici, gladii fulgentes, tela micantia, armorum fremitus horribilis, caelorum aspectus, et facies obscurata, vel in speciem sanguinis, tota adversa mortalibus, et infesta maxime: quae ruere velle videatur, ac praeceps ferri deorsum ad perniciem, et interitum generis universi mortalium. Quae bella movebuntur in orbe terrarum? quam gravia, quam exitiosa gerentur? Qui terrifici terraemotus fient populorum, urbium, et oppidorum florentissimorum? Quot, et quantae gentes concitabuntur in suos imperatores? nunquam antea perspectae conjurationes, execranda rerum publicarum proditioes, occasus, et interitus imperiorum exitiales, fames inaudita, pestilentia cum summa vastatione grassata, omnia mala, quae fingi poterunt, et calamitates, terrarum orbem invadent. Cōsequetur deflagratio orbis terrarum universi ab ortu Solis ad Occasum, a Meridie in Septentrionem usque: et ignis cōfusus, et commistus per omnia loca volitans, et sese diffundens latissime loca terrarum inflammabit. Ex his quattuor distantibus, tantoque locorum intervallo disjunctis partibus ignium accensorum flammæ horribiles erumpent: qui sparsi, dissipatique coibunt atque commiscebuntur, et in homines, in animalia, in res rusticas, in urbanas impetu furenti, praecipitique se se effundent, et omnia populabuntur atque vastabunt. Nullus erit tunc locus fugiendi, nulla dabitur facultas evadendi: sed omnia flammarum ardoribus deflagrabit. Bruta animalia, ferae immanes, vagae, atque solutae, aves, hominum genus universum, arces regiae, vestes pulcerrimae, supellex magnifica, tanta vis auri, et argenti, gemmae pretiosae, vasa caelata, opes et divitiae, humiles villae, populi celebriores, et urbes amplissimae, aedificia quaecunque domicilia regum, et Imperatorum, montes edi-

ti, luci sylvestres, patentes campi, denique provinciae, regna, imperia quaecunque, uno verbo terrarum orbis universus, quâ longe, lateque patet, miserrimo deflagrabit incendio. Aves ipsae media aëris regione exustae delabentur in terram. animalia, et immanes belluae speluncas, et solitudinem relinquēt. homines, quo se recipiant, non invenient. aquae flammæ spirant, et pisces in imas se condent. profundi voragine, omni aditu praeccluso, et exitu. omnia flammarum ardore conflagrabit. Quid dicam de adventu infestissimi Antichristi, qui non armorum dumtaxat strepitu, et tormentorum acerbitate gravissimorum, sed falsis miraculis, palam, et in oculis omnium conspectuque editis, omnium, quae gesta sunt, bellum maximū, et crudelissimum Christianae Religioni faciet? In media depopulatione, vastationeque miserrima cuncta terrarum loca terrifico tubae clangore, id est Archægeli ad Iudicium excitantis homines, horribili voce personabunt. Atque iste tātus, tamque Caelestis Spiritus de mādato sempiterni Iudicis vivos, et mortuos, qui ab initio nascentis Fidei in haec usque tempora fuerunt, Christianae Religionis insignibus ornatos, et expertes tātæ Fidei, Mauros, Turcas, Macedones, Persas, Romanos, Athenienses, Graecos, omnem omnium gentium, atque saeculorum aetatem, sexum, et ordinem ad extremi Iudicii severitatem convocabit. Convenient ad Iudicium hoc post natos homines severissimum, et gravissimum vivi, mortuique homines, atque omnes suis inclusi corporibus, et inter illos damnati foeda deformique figura, horribili aspectu, perturbatione inaudita, praepudore, praemetu, oculos in iudicem non audentes tollere. Iudex ipse vivorum, et mortuorum comitatu caelestium Herorum stipatus praecunte vexillo Sanctissimæ Crucis eum insignibus suorum cruciatuum, quos pro genere hominum pertulit, dignitate, majestateque visenda descendet in vallem Iosaphat iudiciū exerciturus rursus, ut praedixi, omnium maximū, et gravissimū, quae constituta sunt, et memoria saeculorum omnium

constitui possunt, atque bonos praemiis cumulabit, impios suppliciiis sempiternis addicet. Id temporis quae laetitia bonorū? quae voluptas, quam incredibilis, et inaudita, qui via mādatorum, et consiliorum Christi Iesu contenderunt? Qui metus et perturbatio? quod dedecus, et ignominia improborum? ut omittam vultus, et ora terrificas, flammis, quibus circumfusi aderunt in valle Iosaphat, nolent se natos fuisse homines, nolent in hanc exiisse unquam lucem. Colles, et montes orabunt, ut illos properent, et accelerent obducere, ora tegere, et celare corpora miserabilia: ne tantam ignominiam, atque dedecus, quanto id temporis operti sunt, subeant magis, atque perferant: quod vultum etiam, et ora Iudicis irati sibi ipsis infestissima sustinere nequeāt. Vix Christus Iesus improbos addicet inferorum sedibus, debitis suppliciorum generibus excrucianos in memoriā saeculorum omnium sempiternam, cum spiritus nequissimi, satellites, et administri inferorum praeunte Daemone teterrimo improbos invadent, et quam tumultuosissime adorientur, et hos brachiis, illos cruribus, alios capillis, caeteros aliis corporis partibus comprehensos, atque constrictos, praecipites agent in obscuras inferorum regiones. Nihil in tantis miseris, et damnatione calamitosa luctus, nihil fletus valebunt apud Deum immortalē. Non jam misericordia Dei immortalis, non patrocinium Sanctorum, nō opem Virginis Mariae, neque cruciatus Christi Iesu, neque quinque vulnera sanctissima, nō spinas, non merita reliqua, nō denique mortem Crucis acerbissimam implorare, utilitatem ullam his miseris, et calamitosi hominibus afferet. Boni vero Duce[m], et Antesignanū Iesum, quē sequuti fuerūt, omnib⁹ gaudiis, et laetitiis comitabūtur in caelorum regiones ascēdētes: ubi aevo Dei sempiterno perfruētur.



PROSOPOGRAPHIAE

Liber unus,

Nobilis Ildefonsi Suarj Laus.

TROPOGRAPHIA, Chronographiaque descripta librum ultimū Protopographiae dedim⁹, quā a laude personarum instituendam constituimus. Nobilis Ildefonsus Suarius Hispali natus, clarissimis parentibus ortus est, si ve respicias paternum, si ve maternum genus. Ille nondum quinque, et decem annos nactus, spectata quidem forma, atque figura oris, et egregiis omnibus corporis lineamentis praeditus est, venustate oculorum, suavitate coloris, rubore genarum, arcuato superciliorum vestitu. Cum habeat in ore dignitatem, et auctoritatem in incessu, et in sermone gravitatem a natura tributam, multa humanitate, et comitate conditam, tum sibi data est summa pax, summa tranquillitas, ut nihil non summa cū pace agat: quam de industria lacescentes eripere nūquam adversarii potuerunt. Hanc idem a natura bene constitutus, conservat vestitus ornatu nobilium, congressu, familiaritateque adolescentum sui generis, ac fortunae florētissimae: ut

KKK om

omnes, quibus cum loquatur, et versetur, sui ipsius studio, et eximio amore devinciat. Omnes ab illo possunt exemplum petere non solum communis munditiae, et elegantiae equitum nostra aetate politorum, et urbanorum maxime, sed modestiae, diligentiae, et reliquarum virtutum ad omne studium honestatis, et officii. Nihil habet ille a natura praestantius, nihil quod magis expetat, quam honestatem, quam laudem, quam dignitatem, quam decus. Neque quisquam est, qui tacitus virtutem tanti equitis non admiretur, et oblata de tanto adolescente quidquam occasione dicendi, non illum divinis laudibus in caelum tollat. Insistens majorum suorum vestigiis facta parentum illustria, virtutesque majorum praeclaras imitatur. Utinam qui adolescens, aut paene potius puer, tanta jecit fundamenta virtutum, is pergat in posterum facere, ut coepit: sic equidem principiis, quae dedit optima, progressus, et exitus consentient.

VITUPERATIO DIONISII.



ILLE Dionisius, quo appellatur, nomine Dionisii satis indignus, obscuro loco natus, prava natura, ingenio malo, multis, et maximis sceleribus coopertus, nunquam in virtutis officina educatus, omnes, quos potest, a bonorum praeceptorum disciplina conatur abstrahere: et si quam conjecturam affert hominibus tacita corporis figura, ex forma licet naturam perspicere repugnantem, et adversantem bonis moribus, et honestis actionibus: ut si hominem ex suis involucris, et tegumentis evolvamus, naturam praeter caeteros homines improbos, atque nefarios, huic infelam, et inimicam fuisse maxime existimemus. Huic contracta erat frons, abrasa supercilia, genae pilis obductae, vultus deformis, foedus aspectus, deformitas, ac foeditas naturalis membrorum, color mustelinus, claudicatio non levis, distorta crura, gibbus horrendus terga deformans, atque oculus uterque non rectus, ut diversas in-

par-

partes spectare videatur. Huic a primis cunabulis rixae cum famulis, et discordiae semper cordi fuerunt. Idem turbare familiam, et totam evertere superiorem, et inferiorem domum, illis maledicere, cognomen imponere contumeliosa, ancillas nunquam appellare suo nomine, irasci passim, vociferari, lugere, si quod poscebat, non daretur in manum, se prosternere confestim in terram, volutare corpus, pulvere vestes opplere, inquinare sordibus, atque ita vestitum magnam partem anni gerere dissutum, atque discerptum, neque dare locum resarcendis vestibus: quod seditiosum atque turbulentum sciebant domestici reversurum ad praedium pleno rimarum, atque hac, et illac dissecto vestitu. Idem nihili minas facere, colaphis, et flagellis fieri deterior. Denique nescire parentes, quid consilii caperent ad corrigendum, emendandumque puerum. Cum ludimagister severus, ac vehemens, cujus severitate pueri formidabant, qui terror, qui formido vulgo dicebatur, puerorum, hunc puerum, misertus parentum suorum, ad se deducendum petiisset, pollicitus, se domituum impotentem illius naturam, atque adeo quotidie ornatum, adeo depexum remissurum esse domum, ut nihil necesse habeant tentare quidquam remedium magis in posterum, quam vultum, quam minas, quam ferulas, atque flagra sua: quibus a se, quos parentes hoc puero deteriores filios blandimentis suis corruperant, ac pessum dederant, meliores factos esse constabat: consolari matrem, et sorores, visus est ludimagister spe suis animis injecta sedandi puerum, et quod ille pollicebatur, suo modo, atque exquisito more domadi. Sed ad nihilum reciderunt omnes artes, atque conatus illius: nihilo enim melior admittendos mores esse videbatur: imo deterior, et sceleratior. In schola iste perturbabat pueros, cum illis rixabatur, papyros, et libros discerpebat, reliquorum dissolvebat, dissipabatque folia. quidquid habebant pueri, de manibus extorquebat: neque parte contentus erat, nisi totum daretur in manus. Nihil ipse minus, quam ferulas, quam virgas metuebat, quibus obduxerat jam callum, et cum verberandus

KKK 2

erat,

erat, ad solvendas ligulas astrictorias auxiliares convocandi fuerat totius scholae: illos calcibus, alios pugnis propellebat, et a se arcebat procul, collum, aut manus mordebat, si quis audacior in illum invaderet: denique nisi gladio dissectis ligulis astrictoriis, nunquam vapulavit. Atque saepe idem, quod prius occurrit, bis, et tertio, atramentarium jecit in ludimagistrum: vulgo Satanas, ac parvulus Daemō vocabatur. Itaque dimissus fuit, atque redditus parentibus: quibus nullam fuisse cum ludimagistro causam exposulandi, vident omnes propter perversam, et deploratam ejusdem pueri naturam. Quod per ludimagistros consequi non potuerunt parentes, id tempus, et anni mitigabunt? afferet etiam praecceptores temporis praeteriti recuperandi rationem, et praesentis tuendi? is sane fuit, qui antea fuerat per omne studiorum tempus: ut non ad litteras, sed ad flagitia rapi praeceps videretur. Abhorrebat is ab studiis, menses totos aberat, cum interesset, turbatum omnia venire dicebatur. Denique, ut ludimagister, et praecceptores grammaticae, hunc de schola sua puerum ejecerunt. Nihil reliquum videbatur, nisi ut artem disceret sordidam, et humilem, sutoriam, aut sartoriam? Nihil a parentibus suis humilibus, et obscuris alienum faceret: qui in harum artium sordibus, et obscuritate jacuerunt, et suendo, sarciendoque, victum sibi compararunt. Ille harum nullum genus, neque aliarum artium persequutus est, sed vitam egit liberam, atque solutam, sordidam, et inhumanam, propriam bajulorum: qui se conducunt paucissimis nummis ad onera comportanda. Hos noxunt omnes. qui confestim quidquid persolutum est, totum id ventri dedunt, et abdomini saturando. domos habent tabernas vinarias, aut cauponas ad perpetandum largiter, et vescendum spurcissime. totos dies cum similibus grege medio foro colludunt, et in porticibus seni, vel octoni orbem facientes infamem, et sedentes humi, et ad summum in podium, si quae nacti fuerunt, nudati pectora, et crura, thoraces discerptos, et lacerata gerentes femoralia, quae mille par-

ti.

tibus pateant, et carnes ostendant apertas, segmentis aliquot a tergo, et a fronte propendulis, sine subucula, plerumque foedi, atque deformes, et tetrum exhalantes odore: quos non pudet botros vinaceos abligurare, recipientes acinos in os apertum resupinos, fructusque alios crudos, aut putridos in ventrem immittere. qui nullam habentes domum, ubi nox eos oppresserit, in illis locis sub dio pernoctant. Denique istius Dionisii vita fuit ejusmodi, ut quoniam, unde se aleret, nihil suppetebat, nisi quod oneribus perferendis lucraretur: atque illud delectabat otium magis, quam negotium: furtis faciendis sese dederit, tollendo de medio, quidquid obtrinebat. Ille semel cum furtum faciens deprehensus fuisset, furti reus factus laqueo vitam amisit.

ANTONII PETREII STUDIVM

in rem bellicam.

Antonius Petrejus nobili genere natus fuit, magna vi et animi, et corporis, ingenio non minus excelso, atque elato. Huic ab adolescentia ars militaris, tympanorum sonitus, clangor buccinarum, pugnae pedestres, et equestres cordi fuerunt: quamobrem in armis tractandis, versandisque gladiis multum temporis cōterebar. Corpus gladio, sicaque ornare, domi digladiare, tela habere, et omne genus armorum, quibus milites instructi, ornatique prodeunt in medias acies, comparare jucundum illi fuit, atque voluptuarium. Ad animi delectationem maximam hoc sumebat studium, ut audiret libens, et legeret historias veterum Ducum, et Imperatorum Romanorum: quas Hispanis litteris mandatas noverat. Cum ludi Trojani fuissent commitendi, et agendi diebus aliquot celebrioribus, in medio circo tauri, istius erant partes turmas equitum ducere, et prodire in medium forum ad hastam, infigendam, ad fodicandum, ad lancinandum taurum.

KKK 3, His.

His deditus studiis adolescens militiam appetit, atque adolefcens in Ducis Albani exercitu militavit: in eaque vires suas, et animum exercuit. Animus perspectus est audax, fortis, erectus, cujuslibet contentionis appetens, gloriae supraquam credibile est, avidus, vitae contemptor, ardens in praeliis, satis factorum gloria insignis, loquentiae inimicus prorsus. Huic post specimen suae fortitudinis, atque virium in Flandria datum, provincia demandata fuit arcis defendendae: quam quibus laboribus, vigiliis, periculis tueretur, dum arcis praefecti munus obiret insigniter, nihil pensi habebat. Accendebatur magis magisque indies animus acer, et excelsus ad gloriam rerum bellicarum comparandam secundis praeliis, et eventu conservatae arcis prospero felicique. Atque illum auxerant sermones ad Ducem Albanum de praefecti praestantia delati, et litterae crebro missae, laudesque suorum militum: quibus spei plenus, totus ad Imperatoriam laudem incumbabat. Neque destitit illi aspirare fortuna, tantosque conatus, et tam egregios provehere, et in eum usque gradum Imperatoris, quem Petrejus fuit assequutus. Cujus munus si obiisset, magna spes erat, magnum illum firmumque praesidium Imperiorum Hispaniensium rebus allaturum esse: sed cum exercitum extrema hyeme appararet, ineunte vere deducturus esset in hostes, mortis interventu de medio ablatusest.

MILES GLORIOSVS.



Ille quam gloriosus, qui de se quam multa jactat insolenter, et superbe? Ille praedicat egregia facinora, omnium se ducem maximum, et fortissimum militum, dignissimum cognomento Ducis propter res suas praeclare gestas. Quot, inquit, a me illata vulnera, quot caedes factas, quot impetus inimicorum propulsatos, quot in fugam cohortes con-

conversas, quot strages, et carnificinas commemorare potuissem? terror dicebar inimicorum, et exercitus nostri propugnaculum. Sine me nihil praeclare, neque feliciter gestum in bello. Vnus Hector, unus Achilles, Caesar jam, et Alexander appellabar. Neque hanc, quam aspicitis, cicatricem inultam reliqui: innumerabiles prius ceciderunt ad pedes meos, quam illam acciperem. Cum haec inaniter, et cum mendacio insigni, tam impudenter jactaret, quam inflatis buccis, ductis cruribus, rejectis a tergo manibus, et interdum in utrumque latus admotis, in speciem, et similitudinem arcus inflexis, terram utroque pede feriebat frequenter? Afflabat ille halitum, et ore tumido, et inflato, intorquebat, et retorquebat barbitium, manibus saepe atrectando, componendoque Sylvam pilorum densam, temere effutiebatur, profundeque omnia. Quem, ut credo, non multis minis, et terroribus objectis, nullo districto gladio, ad pedes tuos toto corpore, et animo trementem prosterneres: et hunc ipsum, ut tensis manibus, suppliciter, atque demisse veniam peteret, temeritatis, et insaniae suae, in angustias maximas adduceres.

SVPERBVS.

Quid illo homine superbius fieri potest? Intuere intortos, et cincinnatos capillos, modo galerum in frontem dejectum, modo revocatum in occipitium, modo rejectum in latera, et saepe ad oculos usque demissum, superciliorum ad frontem sublatum unum, et alterum ad mentum depressum. Qui status? quae sessio? qui incessus? qui sermones? qui motus? qui denique gestus hominis superbissimi? Ille stat ductis cruribus, pallio sub brachium dejecto, rejectis a tergo manibus, splendorem, et amplitudinem omnem ementitus. Ut is illam magis excitet, et ostentare videatur, refidet toto corpore resupinus, et in sellam innitens tergo, horam amplius unam, multos dies, hos, et alios appellare,

fervos accersere, dare mandata, hos mittere ad amicū famulōs, alios ad fratrem, spectare referentium respōsa famulorū, audire ad aurem accedentes, et uno quidem genu leviter inflexo loquentes, aperto capite, et aliquantulum a sella disjunctos, crura in statu, et in sessione diducere, porrigere nōnunquam, non raro in unum imponere crus alterum, atque idē crebro manu barbam comprehendere, apparare magis, et cōponere, sursum attollere, et intorquere barbitium, popismū ore, buccisque tumentibus facere. Nunquam incedit nisi cū fastidio, et arrogantia, et numeros in incessu non solum servans, sed ita progrediens, ut pedem alterum praemittens quā accuratissime, more aulicorum, et elegantia vestigium semper ponere cōsueverit, lente, et fastidiose, pompa totius corporis intoleranda: in hunc modum, et speciem superbissimā, ut tarditatibus utendo, mollissimis, pomparum ferculis similis esse videatur. Interea audire est concrepantia serica femoralia, et inter progrediendum sericum Damascenum ubique locorum perfonans. Videre etiam est apparētem ubique patentem corpore, brachiisque semper prolatis omnem vestitū, omnem sericum ornatum. Denique verbum nullum ex hominis istius ore exit, quod non superbum, et elatum sit, et ad alios contemnendos, et se magnifice effereendum nō spectet.

HVMILIS.



Sicut vultus, sermo quidā tacitus mentis est, quātam hic homo affert demissionem, oculis in terram defixis, ore quam composito ad modestiam? Sermo quam sedatus est, et lenis? Quā submissa semper voce, nullis argutiis digitorū, nullo gestū, neque motu soluto ac libero? Quantopere omnibus se submittat, nihil non submissum, nihil non humile de se loquatur, atque sentiat, ut sui prorsus despiciens videatur, declarat moderatus cultus corporis, modus gerendi pallii ex

mo-

modestiae praescriptionibus officia, quibus antevertit omnē genus virorum, assurgendo, cedendo de loco, et tribuendo sedem quibuscunque hominibus honoratiorem, loquendo semper cum de se praefinito, tum honorifice de viris omnibus, in bonis honorandis, ordinem tenendo, quem viri sanctissimi servarunt, illos seipso semper superiores ducendo: ut apud illū honoratiore, quam apud alios semper fuerint. Iam vero sic se demittit, et abjicit in conspectu majorum, et aequalium, ut neque admisceat se sermonibus aliorū, neque inferat de industria verbum aliquod, quod vel malevolentissimum quēque possit offendere. Ille contrahere humeros, demittere corpus, in simū omnium, et cōtemptissimum seipsum ducere, abjicere prorsus, atque demittere, humiliter, demisseque de se nunquam non sentiēdo, atque haec omnia demissionis munera praestare, vere semper, et ex animo, nullo fūco, neque simulationis inani specie, quam habere solet suis in sermonibus, atque factis fictum, simulatumque hominum genus.

AVARVS.

Quis est, aut quis unquam fuit, aut avaritia tam ardenti, aut tam effraenatis cupiditatibus, atque hic homo, cujus inhaerentem, ac penitus insitā sitim, cupiditates rerum humanarum inexhaustae, nullae divitiae satiare potuerūt? Ore semper est inhiante, et imminenti ad acquirendas pecunias, animo avido, appetenteque divitiarum omnium, sed contracto, et angusto ad largiendum, apertis semper manibus ad accipiendum, conclusis ad donandum, et ad remunerandum beneficium acceptum. Sic fervet, et fertur avaritia, ut nihil cogitet nisi nummos, nisi cōcupitas pecunias, et nullo adhibito modo, neque moderatione. Perscrutatur arculas quotidie, et loculos nummorum refertissimos. Lactatur ille, gestit aspectu auri, et argēti,

LII ct

et illud attrēctādo, contrectandoque, alienum appetere, cupiditate devorare, nullum ex infinitis criminibus, quibus implicata est avaritia, pro congerendis magis ac magis opibus, non suscipere paratissimus. Atque cū copiosus, ac bene numeratus sit, sic seipsum, familiamque suam fame cōficit, et encat, semper contentissimis escis, pane atro, duroque vescendo, diffutos, et discerptos filios, atque seipsum humiliter vestitu adeo indutū attrito gerit, ut neque pilus in pallio, non in reliquo vestitu appareat. Nullus apparatus domesticus, vultissima supellex, atque illa multis in locis refarta, ut mendici domum te putes ingredi: quae pecunias hominum non habuerit, neque noverit unquam. Ita permanavit in venas, et inhaesit in visceribus istud malum, et exitit tantus morbus, et aegrotatio huiusce peccati, ut avelli inveterata nō potuerit. Neque enim si avaritias omnes commemoraverimus, ad hominis istius aviditatem, et miserias, quas pro conservāda, et augenda pecunia patitur, cōparandas esse censeo. Habeant liberales homines Deo magnam gratiam, quibus benefaciendo aviditatem auxit, alienarum opum, et divitiarum sustulit, si quae in illis aliquando fuit, aut animos tenere potuit, propter sordium huiusmodi terrestrium inconsiderantiam. Quid enim hominis istius avaritia foedius?

LIBERALIS.

Non hic homo solum beneficus, atque liberalis, sed pro sua in hominum optimorum effusione, liberalissimus, munificentissimusque linguis hominum, et sermonibus praedicatur. Vel figura oris, et dignitate praefert liberalitatem, alacri, et laeto vultu in eos, qui aliquid ab eo postulant, aut expectant, verbis, et promissis magnificis, responsis liberalissimis, largitionibus maximis, nihil non eorum, quae promiserit, large, et liberaliter donando, cultu, et orna-

tu.

tu corporis splendido, comitatu famulorum praecuntium, et grege puerorum a tergo sequentium, impensis, et sumtibus domesticis, illustri, et splendenti familia, quam alit quotidie. Quae cum splendida sint omnia, tum commemoranda magis quaedam, ac divina hominis liberalitas: qua utitur in egētes, et inopes rerum omnium. Hac sic omnes complectitur, ut domus illius commune perfrugium pauperum, et receptaculum afflictorum habeatur. Neminem inanem dimittit, cum semper non nihil, aut magnum aliquid impertiatur. In quo illud mirabile est: quia cum in conferendis beneficiis, nō benevolentiam hominum consecrari, aut largitionibus, et effusionibus pecuniarum, delinire multitudinē, et inire gratiam hominum conatus fuerit: videas tamen neminem tanta studia assequi eorum, quibus se dedit unquam, atque nobilem hunc Ildefonsum. Omnes sese illi dedere, et obligatos, atque obstrictos memoria beneficii sempiterni profiteri sese. Cum liberalitatis duo genera sint, unum dandi beneficii, alterum reddendi, de primo praeter superiora, quae proposuimus, videmus etiam, quanta beneficia conferat in diversa mortalium genera: cū facultatibus suis captos a praedonibus redimat, aut aes alienum suscipiat amicorum, aut alios in collocaione filiarum adjuvet, vel carcere vincitorum miserias sublevet, et aerumnas, vel divitibus opituletur, in acquirenda, et augenda re familiari: ut nihil hoc homine liberalius, aut magnificentius esse possit. In remunerando vero, cum suppetant opes, et facultates, atque iste propter magnificentiam liberalitatis pecunias spernere videatur, atque contemnere: cum nihil tam Regium, tam liberale, tam munificum sit, quod de hominis huiusce praestantia non praedicetur: non credo, cum homines ad promerendum officium tam fuerint expediti, illum ad referendam gratiam fuisse parcum: quid restrictum dicam: qui nullum nō hominem sua praestati liberalitate nō habeat devinctū. Quod de paucis audivimus, id de Ildefonso nostro

praedicatur: ut ad illum adierit nemo, qui aliquid lenius, aut minus liberale audierit, aut acceperit, quam speravisset. Atque cum videre liceat plerosque, non tam natura liberales, quam gloria quadam ductos, ut benefici videantur facere multa, quae proficisci ab ostentatione magis, quam a voluntate videantur: in benefaciendo, in dandis, collocandisque beneficiis in Deum semper respiciebat. Id nocturnus irus illius in egeſtium domos, multae largitiones, et inscientibus suis pecuniarum in diversa loca missiones declarant, Quid plura? Duce[m] putares aliquem: nam Alexandrum appellari vestrum. Ildefonsum, usitatum erat in civitate nostra.

PROMITTENS ALIQUID.

Efflagitasti nescio quid, vel si significasses, quod tibi opus fuisset, id satis esset ad concedendum. An nescis, quam liberaliter respondeam, et pollicear, et liberaliter, quam quisquam homo? Scis me liberalem esse in promissis, et multo liberaliorem in fide praestanda, neque quenquam a me spe, vel promissis teneri: sed ea solvere, et efficere continuo sine mora consuevi. Nam iis promissis, quae ostendi, amicum pendere quem non pudeat, cum id magis extorquere videantur: ii homines, qui precibus impetrant, quod petunt, aut saepius repetunt, in memoriam postulationem redigendo, quam illi, qui largiuntur, liberaliter donare? Qui promissa mea efflagitando consequutus non fuerit, recordor neminem: aut statim, et uno verbo, si sunt ulla praesertim in homine merita, condono: vel si id est eiusmodi, quod non donandum sit, aut ego donandi facultatem non habeo, liberale responsum reddo cum magna non significatione solum, sed perspicua meae in illum voluntatis testificatione: qui omnia mihi postularim esse prae suo commodo. Age igitur, postula, quod libuerit, quod in mentem venerit, quod me facere posse certum, sit.

fit, cuius te indigere videas, quod commodum sit, id auferes proculdubio, et una verbo, atque re ad iudicabo: neque te patiar istinc inanē discedere: quod domi meae fuerit, quod ubique locorum, id modo per me, vel per alios comparare quea, id in manus dabitur. Quod vis donum, aut beneficium a me optato, id optatum feres: atque ex animo faciam, et amicum me dices, et fidelem. In quocumque hominem bonum, cum est opus beneficium conferre gaudeo: verum id maxime gratum, si quem magis aequum est, hunc omni officio prosequi studeo. Atque ego volo, et in hoc, et in aliis omnibus ostendere, quam maxime suam me facere familiaritatem, cupere hanc colere, adiuuare, et augere magis. Quid est igitur, quod mea ars efficere tibi possit amplius? industriam meam, fortunas, vitam denique, vis? et vitam offero, et amplius, si id possem. Satis quidem, satis verborum datum est: ad rem igitur, ut verbis facta respondeant. Iube, quod facto opus fuerit, tuum est, iudicare, nostrum quidem parere, et puncto temporis mandata tua exequi. nihil tam difficile factu, quod prae desiderio, prae voluntate tibi inserviendi, non facile effectum dabimus. tunc nullo me promisso teneri cernes, cum omnia, quemadmodum pollicitus fui, persolverim: quaequam vix tibi videar, quod promiseram, praestare posse.

LIBIDINOSVS.

Turpis hic, et impurus homo, quam inflammatus fertur libidine? Nihil hoc homine luxuriosius, nihil libidinosius esse potest. Is nunquam oculos, et animum pascere desinit aspectu mulierum, et libidinum corruptelis, in istiusmodi luxuria, atque nequitia perditus atque dissolutus: qui quotidie ea in se admittit, quae honeste dici non possunt. Communia sunt in hoc homine, illum festiuitates, et lepores mulieribus dicere, et eas omnibus studiis, et officiis in suam allicere voluptatem. Quando non audivistis illum diu, noctu-

que obsidere, et obire omni tempore mulierum impudicarum domos, et donis, et muneribus onerare intemperantissime? Quas effusas in omni intemperantia libidines, obscœnitates verborum, lenocinia corporis, attrectationes mulierum, effraenatam appetentiã potiũdi voluptatibus magis indies excitavit. Atque cũ a natura sua in omnes venereas voluptates proclivis feratur, nunquam se comparat, ut cum voluptate libidinum capiatur, occultet, atque dissimulet appetitũ propter verecũdiam: sed in adulteria, in stupra, in omnes corporis voluptates inflãmatus, ac fervens libidinibus fertur. Nunquam ille verbo, aut factõ continendo se, naturam jam corruptam, ac depravatam cõsuetudine libidinum comprimit. Ita flagitiosa, et perdita est libidine: ita denique facibus corporis inflammari solet ad omnes libidinum cupiditates: quas ad animi exitium accensas, ab hinc annos multos, aquae salutare multarum admonitionum extinguere non potuerunt.

LIBIDINOSVS ALTER.

Libido quãtum ardorem habet? quam efficit effraenatã appetentiã? hunc non adolescentem inflãmatus, et furentem libidine intueris? quam impudica loquitur? quã vehementer appetit formas mulierum? atque eadem respiciendo nefarias excitat libidines, et illas incendit turpitudine rerum, et obscœnitate verborum, et nefariis attrectationibus partium corporis singularum, quas propter deformitatẽ suã natura abscondit, et verecundus homo sine pudore audire non potest? nõ hæc illecebris voluptatis excitatae os, oculos, et sensus omnes impurissimi hominis flectunt, et torquent, quo volunt? non illae efficiunt, ut ille nullas non impuritates concipiat, nunquam cohibẽdo libidines a virginibus, a nuptis, a viduis, et omnes hauriendo voluptates, insatiabili cupiditate captandi plures, atque plures, et nullam earũ nõ per-

cipiendi, quibus libidines suas effraenatas, et indomitas satiare possit? Ita voluptatis fruendae, avidae libidines temere, et effraenate ad potiendum incitantur.

MVLIER LIBIDINOSA.

Quantae sunt apud mulieres illecebrae libidinũ, quẽ madmodum flagrant vitia tantae turpitudinis apud illas, nec ego dicere, neque vos audire sine pudore potestis. Cogitate vos mulierem libidinofam, meretricia vita, et instituto, non multum dissimilem illarum, quae se omnibus pervulgaverint, quae accipiant palam omnes adolescentes, cujus in aedes, in cubicula libidines omnium commentent, quae nunquam parcent pudicitiae, effundant alienã, labem, ac perniciem adolescentibus inferant: talis est mulier ista, quae in amore, et voluptatibus vitam suam degens, domum suam patefecit omnium cupiditati, palamque in meretricia vita collocavit. Omnis illa generis virorum, et adolescentum, quorum praecipue cãdor, proceritas, vultus, oculique perpulerũt, et pecuniosi, ac sumtuosi sunt, multitudinẽ conviviis distingere statuit. Nihil vicinitas redolet? nihil hominũ fama? nihil horti etiã ipsi loquuntur? Isti vero non loquuntur solũ, verũ etiã personãt, huc unius mulieris libidinẽ esse prolapsam, ut ea nõ modo solitudinẽ, ac tenebras, atque alia flagitiorũ tegumẽta nõ quaerat: sed in turpissimis rebus, in oculis hominũ, et in clarissima luce laetetur. Sic ipsa se gerit, nõ in incessu solũ, sed in ornatu, atq; comitatu, flagrantia oculorũ, libertate sermonis, omni gestu, omni motu corporis obscœnissimo, ut nõ modo meretrix, sed procax videatur: quae ad explẽdas libidines, ad expugnandã pudicitiam, omniũ mulierum perditarum impurissima eruperit. Atque hæc vitã multorũ adolescentũ labefactavit, domos evertit plurimas: in cujus domo lustra, libidines, luxuries, deniq; omnia inaudita vitia, flagitiaque versentur: in quã libidinosi cõ-

vivia sua, comissiones, symphonias, sumtus omnes, et effusiones conferant: in qua lauti juvenes, mulieres proffigatae, ac meretrices magis familiares, liberalius, licentius, familiarius aditus habent, quam dici possit. Omnes navant meretrici operam, ineunt ab illa gratiam, in diversis se rebus ostendunt, conantur vigere apud illam venustate, dominari sumtibus, haerere, jacere, deservire. Nulla explendarum libidinum ratio, moderatioque tenetur. probrum castitati, labem integritati, infamiam honori adolescentes, et viri una in domo impuratum omnium, et officina libidinum inferunt. Neque mulier perditam habet praestituta tempora, sed dies, noctesque apertam, et patentem domum, et omnium libidini patefactam. Neque unquam illa factura finem esse videtur impuratum suarum: ut quod aliae mulieres fecerunt, de hac tandem aliquando jactare valeamus. cum paruerit voluptatibus, dedit aliquid temporis ad libidines, et ad obscenas corporis voluptates, revocet se aliquando ad curam rei domesticae, lanificii, et alicujus pensii: ut ea, quae facibus libidinum accensa perspexerat, satietate abjecisse, et tot malis acceptis execrata fuisse videatur. Filia veneris, soror Cupidinis, mater libidinum execranda praedicatur: cujus libidines nunquam deservuerint.

CASTVS.



Vid hoc adolescēte castius esse potest, qui tanta fuit semper castimonia corporis, ut se castum, atque integrum omni tempore vitae suae conservaverit, et ut caste, integreque vivat, demissis oculis semper incedit? Pudet semper illum obscenitatum, et turpitudinum adolescentiae depravatae. Tantum autem idem pudoris habet, ut obsceno verbo audito, rubor ei oboriri incipiat in ore: quo perfusus, quasi virginali verecundia, rosas exprimit nativo plusquam colore ruben-

tes

tes. Componit idem vultum plenum pudoris, et verecundiae, oculis continuo, et animo infestissimo juvenes veneras redolentes voluptates intuens, et verba facere instituit de malo libidinum, et in eos invehit, qui voluptates corporis appetunt, et ut eas consequantur, et capiant, quos dolores, quas molestias excipiant, obcaecati libidine, non praevident. Cum Daemon animum pertentare visus est, cogitationem aliquam veneris turpissimam injiciens, priusquam voluptas lenitate, et suavitate sua sensus commovere incipiat, et turpi iucunditate perfunderet, ne illos titillare possit, ut ita dicam, et ad eodem cum blanda suavitate affluere, castissimis cogitationibus, signo sanctissimae Crucis, meditatione cruciatuum Christi Iesu sedare non desistit: neque conquiescit, donec commotionem effectam, et voluptatem, qua velut titillatio adhibetur, sensibus sedatam aspicit. His exercitationibus, et aliis id affectus est, ut hanc brevem dulcedinem corporis, et titillantem ex eadem natam voluptatem, qua turpes homines florae integritatis amittunt, et omnes impuritates suis animis suscipiunt, usu temporis diuturno, armis omnibus castitatis retinendae munitissimus, facile respuerit: semper etiam praecidere conatus fuerit. Ita quidem homines, qui vident adolescentem, tam castum, tam integrum, tam incorruptum, tanquam Angelum aliquem in hominis forma, atque figura inter ipsos versantem intuentur.

IRACVNDVS.



Vam illud praeclare, quod a veteribus accepimus: nihil similis insaniae, quam iram. Ita quamdiu perturbat animum, dubitationem furoris non habet. Nam cum quisquam ira exardescit, nulla praesertim, quae intimo odio, et corde concipitur, quam sui sit impositus homo, oculi declarant ardentem, vultus inflammatus, albentes ore toto spumae, sermo praecipit,

M m m et

et incitatus, perturbatus, atque confusus, verba dissipata, interruptaque, partim exesa, atque oppressa prorsus: ut nullos sonos distinctos saepe edat, quibus integrum, et sanum sensum aliquem dijudicemus. Quid ostendunt gestus temerarii, turbulenti motus, illae brachiorum iactationes incitatae, minus considerato impetu elatae, dejectaeque statim, multa cum percussione femorum, atque frequenti supplosione pedum, ut sibi manum afferret, discinderetque vestem, semper virus iracundiae evomens? Progreditur ille passus aliquot, non rectos atque directos, sed ad laevam, et ad dexteram, et sursum, atque deorsum, modo huc, modo illuc, et revocat se confestim, mutationibus, motibusque suis adeo furētibus, ut illos cohibere nemo posset: quid dicā extinguere, vel ex minima parte sedare. Homo impotentissimus, atque intemperantissimus sic ebrius videtur, sic violentus, et furens, ut iracundiam domestici formidant, neque hiscere audeant: quod ferociorem, impotentiorēque reddant. Amici res omnes ab oculis amovebant, praefertim scyphos, et gladios: ne aut in aliquē de praesentibus conjiceret, aut de manibus vasa projiciens, in caput impingeret, aut in faciem. Ille ferire crebro terram pedibus, manum utranque comprimere, dētibus stridere omnibus, Divos omnes, et Principes Apostolorum Petrum, et Paulum, caelum ipsum, Virginē Mariam, atque Filium Reginae tantae Christum Iesum, tertio quoque verbo jurare: ut falsa juramenta jurasse plurima jurantem toties, et jam caecum, et praecipitem hominem nemo non intelligeret. Tanta fuit effraenatio impotentis animi, ut color, vox, oculi, spiritus, impotentia dictōrū, atque factorū nullā partē haberēt sanitatis.

PVER TURBULENTVS.

Iracundi speciem aliquam praebet turbulentus puer, quē parentes, et domestici sedare contendunt in hunc modū.

○ puerū improbū, perversa indole, et ingenio malo, natum ad

ad rixas, et similtates. Nunquam quiesces? semper seditiosus, semper injuriosus eris in domesticos, in externos? sepe sursum, ac deorsum cursitabis? dissipabis, evertes omnia? commiscebis, et confundes accurate constituta omnia? nihil in suo loco, quemadmodū sunt aptissime collocata, relinquens perturbabis? plus nobis, et parentibus negotii futurum est tecum, quam cum fratribus tuis? quam cum omnibus patruilibus, caeterisque domesticis? Indomita bellua, bestia monstruosissima. Quid in te simile virtutis patrum, ac fratrum tuorum, non video: perspicio potius id, quod omnes vident: ut qui te viderint, ex me natum, ex me patre susceptum non dicant. Atque adeo ita me Deus amet, vel hoc nemo credet, qui norit te, a me ortum esse. Fratres sciti, faciles, morigeri, tu difficilis, malus, nunquam dicto audiens patris, imo hos caedendo, illos verbis violando, multa eripiendo de manibus, quod tibi collibitū fuerit, auferes, et quo volueris deferes: ut nihil proficiant parentes, ut te pacatum, et morigerum, et similem fratrum tuorum reddant. Vultus iste, et os sordidatū, vestes plerissimae pulveris, et inquinatissimae dāt facile specimen indolis tuae depravatae, ingenii mali ad pravitatem, ad perversitatem omnem proclivioris. Quid os distortum? oculi obruti: supercilia depressa? moestus, et subtristis saepe vultus? verba male toties facta? deterius animus? Quod os, quā frontem corrigere mores tuos volētibus, et actiones dirigere studentibus in virtutem ostendis? Ipse male accipis admonitores verecūdos, modestos, moderatos, et tuae salutis amantes, deterius teter ac nequam dimittis. Ad scholam elementariam deduci non potes, nisi traharis, atque raptatus saepe, apprehensus manibus, ne fugias. Simul atque ipse surgis; abris e cōspectu paedagogi cū pueris collusum: at quo? ab aedibus propius? Semper remotissimū in locum: ut quaesitus nō appareas, aut repertus serius, quam veniendi in scholam tempus ferebat, abripiaris, semper a legendō, semper ab scribendo ab horrens: ut cum quaerendo defessi casu in te famuli nostri

incurrerint, et ipse paedagogus offenderit, qui tuarū pertae-
sus jā quotidianarū pravitatū, nisi precibus, nisi coactu no-
stro retineretur, jam diu nobis, et hūic domui, tui causa salu-
tem dixisset; clamās, et lugens, vi adhibita, et impulsu mul-
to, multis ictibus, atque pilis de capite detractis traharis in
scholam. Nemo puer unquā gravius objurgatus. nemo puer
deterimus, et turbulentissimus omnium, plura flagella per-
tulit, quam tu perpeffus es. bis quotidie, et nunquam nō am-
plius quinquaginta pertulisti, et callū jam obduxisti flagel-
lis. Simulatq; paedagogus despexit, fugis, et advolas, quo tu
scis: quo te cum grege similium conferre soles. Tibi placet
semper seditiosa, vita, et tumultuosa. concitas omnes ad lu-
dum, et ad turbas. te, et socios perditum ire, nihil tua. si quid
mali, si quid turbae datum est domi, vel in schola, nihil opus
est de auctore percōtari. Et in omni turba, et in omni re ma-
le gesta, te principem, et auctorem omnes recognoscunt, at-
que profitentur: ut te nequitiae jam artem posse tradere cō-
firmant omnes. Hoc te nomine compellant omnes: appellāt
ducem improborum, et flagitiosorum antesignanum puero-
rum. Neque istud jam in controversia, et in cōtentione ver-
satur: quin ex improbis hujusce civitatis pueris omnes defe-
rant tibi nequitiae principatum. Parvulus Daemon, et clau-
dicans Daemon, diceris, et appellaris. Tam improbum te na-
tura evadere potuisse, ut cum accesserit disciplina parentum,
et praeceptorum minae, terrores, flagella, nihilō tibi magis
ex illorum doctrina fructus ceperis? Quam de te opinionem
accipiam? Quid conjectem nescio, nisi te magnū in aliquod
parentum tuorum malum natum esse? nam quales viri fu-
turi sunt, pueritia solet indicio esse maximo. Natus ad dede-
corādā familiam: et si maximus natu fuisses, ad patris ever-
tendā domum. Malus te quis exitus? Fatum quod exitiale
manet? An unpendens plectare? vitam mihi esse acerbā vi-
deo; meque natum perferendis miseris; qui te perferā: neque
bono, neque malo tuo, ad fratrum tuorum exemplum adeo depe-

depexum, adeo exornatum reddam: ut te domesticorum no-
verit nemo. Si vitam auferret mihi Deus, ne quod praefagit
animus, videam. Amove te jam e conspectu nostro, qui mihi
jam minus, minusque obtemperas: neque ullum in posterum
ex me filii verbum audies. Atque non ex matre honestissima
natus es, sed ex aliqua contemptissima muliere, quem expo-
suit nobis famelicus aliquis alendum: et inter meos altus, et
educatus filius, pro meo falso habitus es, et vulgo dictus. Ad-
eo tuorum fratrum dissimili studio es, et moribus a pueritia.

PATIENS.



Nescio quomodo usu obduruit, et percalluit is-
tius hominis incredibilis patientia, qui verbo,
et re violatus nunquam se commovet: et saepe
multis injuriis affectus, non modo eorum per-
se, aut per alios nihil ultus est: sed hilari, atque
laeto vultu, alacri, et erecto animo passus est injurias maxi-
mas, et cum omni dedecore, et ignominia impositas. Infert
igitur aliquis injurias, a se propulsare non studet, sed sese in-
juriosius tractari jam pridem meritum esse cognovit: et do-
lens dumtaxat vicem illorū, qui injuriosi sunt in proximos,
excusat, et modis omnibus purgat apud omnes: ut omnē cul-
pam in se transferat. Ita tranquillo vultu, ore tacito; pacato
animo, et hilaritate maxima, quae non modo homines, sed
neque pecudes passurae viderentur, fortiter, et patienter per-
fert recordatus cruciatus inferorum. Idem iste clamat, jā pri-
dē meis sceleribus, ac flagitiis debitas poenas sustineo: atque
utinam partē aliquam illorum solverem. Illa sibi semper in
ore. Recordabor ad me exercendum in laboribus, in omni
patientia corporis, et animi tormenta Christi Iesu, verbera;
spinas, mortem ipsam. Illa etiam crebro usurpat. Iesus: plura,
et ab indignioribus passus est: quā ego patientiā dolorū animi
intentione firmavi, qui nodū patiēdo, tolerādoque vitā cum
sanguine profuderim.

HELVONES.

Vide edacem, et voracem hominem. Ille quanta aviditate, quae sibi apponuntur in mensa, deglutit, et devorat? Totus ore, oculis, manibus, corpore, et animo fertur in epulas, festinans, ut se compleat, et inferciat, utranque buccam inferciendo, et complendo, sine modo, sine ratione vescens, et minime praemansum cibum in ventrem inferens. Vix in os escam is intulit, cum ad ventrem demisit continuo, et paene integram: ut ad patinas, ut ad scutellam offis undique repleta, et adaequatam ad summum usque, adeo anguste, presseque constrictam recurreret celeriter, atque ita stratam offis, et circum, circaque coronatam pinnulis devorare continenter pergeret, ac perstaret. Neque contentus est famem, et sitim depellere cibo, portioneque temperata, aut statis prandiis, atque coenis, nisi saepissime, nulla habita temporis, et valetudinis ratione Epicureorum in modum heluetur, amans quotidie structas mensas, profusas epulas, frequentia pocula, sordes omnes, et inhumanitatem: et accumbens cum heluonibus spurcissimis, et compotoribus intemperantissimis, abdomen insaturabile semper explendum curet. Dicit temperatis escis, et modicis portionibus corpus afficiat: ut tantum cibi, et portionis adhibeat, ut corporis vires reficiantur, non opprimantur: et ut caveat diligentissime, ut illis alat se cibis, quibus homines temperantes, et honesti vescuntur: et si non accurati sint, et exquisiti, egregia quadam semper arte comparati, at salutare, et necessarii, statis prandiis, et coenis apponantur, et diluta pocula ministrentur. Singulis prope horis, multum carnis semicrudae, atque semicoctae in os ingerit, et quasi id tantum muneris, et operis habeat, ut corpus immodicis epulis infertum opprimat plane quidem obruit. Ita quidem

ea

ea consequuntur, ut onustus cibo, vinoque summa deformitate sit: quae in corpus ex adipe nimia, et arvina redundavit. Abdomine enim prodigiose distento, labiis tumentibus, fluentibus malis, oculis obrutis, aspectu hebescente, ipso corpore ponderis gravitate compresso, debilitatur: ut neque pedibus queat consistere, sed labatur, et offendat passim, sui ipsius impos, et amens, et quasi alienatus: denique totus mancus, debilis est, omnibus prope membris, ac sensibus captus, miserabili Daemonis imperio oppressus. Heluo impurus, et immanis ructat, oscitat, nauseat, somno, desidiaque languet, cohorret, immoderato potu, atque pastu ea parte corporis obstupescit, in qua feritas quaedam est, atque agrestis immanitas. Ita sibi displicet ingluvies, intemperantissimas escas, et perpotationes execratur, constituit, ac deliberat modum se et temperantiam in posterum habiturum esse, neque praeteritum fines a natura constitutos: et quia, inquit, praeterita mutari non possunt, edoctus incommodo valetudinis, et deformitatis meae, et malorum, quae patior totos dies atque noctes, in futurum tempus mihi consulam, ac providebo: non enim, addit, malum est mediocre, aut obscurum, aut eiusmodi, quod sine salutari remedio praeteriri debeat. Atque cum hoc flagitiosum, atque deforme sit, illud vero foedius: quod illa ciborum redundantia, sagina intoleranda efficit cruditatem molestissimam, et periculosissimam. Inde boni homines, tanquam opimi boves, fartis epulis, atque satiatis, ructare frequenter, tetram inhalare crapulam, ut in illorum conspectu paulisper nemo stare valeat: omnes ructibus turpissimis, vinum, et popinam redolentibus rejiciantur. Quae si tantum foeditatis habent, quantum habebunt illa turpitudinis, animi statum inflammari, perturbari, et incitari intemperater, ignavum, stupidum, tardum, et ad omne laudis, et honestatis studium impeditum, humanitatis expertem, mentem captam, redigi, tanquam truncum, et stipitem: ille se loco movere non poterit, si gradum ullum facere teter: si stare velit, scis, ut labatur statim,

M m m 4. at.

atque prouat, diductis oculis, et stupentibus, huc, et illuc intuens. Cum ille cubitum concedet, et uolet somno se dedere, nullam partē noctis requiescet, gemet, sudabit, nauſebit, et projicere uolens pestem illam ab stomacho, et in hāc, et in illam partem se uersans, nullum oculis somnum, toto corpore perturbato, membris omnibus afflictis, atque perditis capiet. In medullis intimis, atque uisceribus, tanquam in profundo quodam gurgite, et in ima vastissimi vētris uoragine quattuor elementa multitudine, et diuersitate ciborū inter se grauissime disſidentium acerrime conſtigunt, et bellum horrificum, ac nefariū, omni diritate crudelius faciunt: et tanquam venti uehementes, in totum hominem irruētes, procellas, et tēpestates in tātis ſaginae, uinolētiaēque fluctibus epuloni neceſſario ſubeundas commouent, et incitāt. Si paululū ſibi ſomni fuerit, quae miſero heluoni uisa obijciuntur in ſomnis, a mente, et ratione uacua, quantae, et quā innumerabiles, ac perturbatae exſiſtūt ſpecies ſomniorū, quae illum furere, ac bacchari, nihil nō praepoſtere, monſtroſeque ſomniare faciunt? mane ſurgit quā uigiliis fractus, et enervatus, quam ſibi met diſplicens, et infeſtus omnibus, imbecillo capite, ac debili, colore naturali amiſſo, facie pallida, obrutis atque depreſſis oculis. Adeſt cōtinuo turba malorum, et agmen infinitum conſequitur, amiſſio uirium, graues dolores capitis, cruciatus podagrae, febres, aeſtusque uehementes, debilitas, horror, perdita ualētudo, et in his, et in aliis malis innumerabilibus ſumtus effuſi, et immoderati in conſulendis medicis, in medicamentis adhibendis, in antiqua tandem ualētudine recuperanda, mors ipſa, quae paſtum, et potū immoderatum ſaepe conſequitur. Adde graues animorū offeſiones, peccatum ſcilicet, quod malorum omnium maximum eſt, et inter alias uitiorum ſordes, libidines intemperanter incitatas; quibus homo mortem ſibi aſciscit ſempiternam, et in inferorum ſedes detruditur: niſi tempore ſibi poenitendi conſeſſo, redeat in uiam. Nā ubi animum impotentif-

tiſſimum intemperantiae dominatus occupauerit, neceſſariū eſt, ut ille huiusmodi mala ſubeat, atque perferat.

EBRIVS.



Antum uini in conuuiuo hauſiſti, ut indignū uisū, foedum auditu monſtrum intueremur. Totus uino madidus, aut potius plenus, mentē, et ſenſus omnes amiſiſti, neque ore, uultu, neque ſermone cōſiſtere poteras: corpore toto, et animo concidēs, furere, et bacchari, oculis multa falſa, multa conſuſa, ac perturbata, formas diuerſas, et portētoſas uidere uidebaris, et eas ab omni mente, et ratione alienus, et perturbato oculorum aſpectu. Laetus, et hilaris aperto ore cachinnabaris, conſuſe ac perturbate loquens, interruptis, et oppreſſis uerbis, rogantibus diuerſa reſpondens, longe diſjuncta, atque contraria, foeditate, et deformitate oris incredibili, ſuſpenſo, et incerto uultu, ſtupore oppreſſus uehementi, et plane quaſi mente captus. Crura paſſim lababant, crebro nutabat caput, quaſi fluctibus, tui penitus inſcius, et impotens huc, et illuc jaētabaris, paſſim prolabens, et prouens, de luſus falſis uisionibus, quas te uidere dicebas, et omnem tuum uinolentum furorem effundens in multos, cum magno probro, atque dedecore, et cachinnatione ſpectatorum: qui ubi te ebrium factum uiderunt, noſerant ante ſobrium, irridere coeperunt. Atque ueri deludebāt illis omnibus modis, quibus inſanos, et furioſos deludēdo per uias inſectantur, uexant, atque dedecorant. Quare oportet uitioſam naturā edomitam, et compreſſam eſſe doctrina: cū praefentim obriſi, plerumque multoſi eſſe ſoleant, et alias in ſe ſuſcipiant impuritates corporibus, et animis infeſtiſſimas.

PRANDIA, ET COENAE NOBILIVM.

Ocus hic poſtulare uisus eſt, ne prādia, coenaeque nobilium praetereamus. Palatium ſemper ornatum eſt mag-

nificentissime stas temporibus prandendi, atque coenandi, domibus ipsis equitū illustrissimorum. Atque abaci multis vasis aureis, et argenteis ad epulas varie factis instructi collucant, atque splendent. Lecti tapetibus primū pretiosis, deinde mappis tenuissimis, et albetibus sternuntur: mantilia similia mapparum sunt, candore, tenuitate, et venustate mirabili: quae sic complicata sunt, ut ementiantur varias multiplicesque florum formas, atque figuras. Illa imposita sunt panibus parvulis, aut placētis mirabiliter elaboratis, vel aliarum formarum spirulis, quibus communiter nobiles viri vescuntur: atque ita imposita sunt, ut panem ex omni parte tegan, et occulant. In media mensa salinum argenteum, et auro caelatum, collocatum est, duplici theca contentum, et ad piper, et ad sal cōtinendum separatim, vel utrunque permissum. Aliquando salinum tres habet partes, quarum una saccharo dando facta est, et inservit. Totum autem ita factum est, ut una pars in alteram imponatur, et cum in mensa collocandum est, disjunguntur, quae coibant, partes: ut tempus est, unum, aut alterum, accipiendi, vel duobus extremis digitis, aut cultellorum cuspide, summa cum munditia sumendi ad oras patellarum leviter spargendas, aut ad escas sale, vel pipere condiendas: et cum quidquam est, quod saccharum requirat, ejus suavitate res illa perfunditur. In his prādiis, quod caput est prādiarum, primum apponitur: nisi jam, ut haec ferunt tempora, in media mēsa praeposita fuerint. Antequam tamen pransuri discumbant, pueri progrediuntur in medium, et tunicati pulcerrime, et apertis capitibus, cū linteis alii albetibus ex humeris decedentibus, alii cum polubris, hi cum urceolis ad ministrandam aquam, ut manus lavent, et extergant: hi fundunt instillando tamen de epistomio, alii urceolis excipiunt, reliqui complicatum linteum utraque manu sic emittunt agilitate, et munditia mirabili, ut explicatū perveniat ad manus abluentis. In discumbendo invitationes praecedunt liberales, atque magnificae, ut quisque praeceat dis-

discubitum, et honoratiorem locum praecoccupatum: quae in re non parum saepe temporis consumitur, dum ad accubendum prius mutuis officiis, et blandis verbis seipos allectat, et invitant: dum alii cedunt, atque adeo saepe discedunt a mensa, et retrogrediuntur, nisi alius praecerit: dum apprehēsi multi vestibus, honoratioribus in sedibus collocantur, vi magis, quam voluntate sua: atque illi id tēporis hāc esse vim factā sibi dicunt, aut se jussos facere, qui parere debeant, heros domi suae esse, posse imperare, atque convivias obtemperare debere. Denique omnes post hanc officiorū cōcertationē accubunt, explicāt mātilia, sumūt cultellos in manus, et ad voluntatē de variis rebus, quae ad convivii caput in mēsa sunt, partiuntur. Instituunt igitur hilares, atque laete accepti accubationē epularē a malis medicis dulcib⁹, a cremore lactis saccharo multo perfuso, ab uvis Granatē sib⁹, quae in illud tēpus Granata delatae fuerūt, adeo succi plenae, ut de vinea decerpatae nō multo ante viderētur. Inferuntur statim carnes plurimae, et variae, et inter alias pavones praegrades, nitidi, et splēdētēs, vitulina caro, assa, petasonis integrae partim pernae vino albeti decoctae, partim scissurae tostae, frixaeque intermixtae pinguibus, macrisque carnibus, atque logo intervallo redolētēs mirū in modū arvinā, suavitatēque suam. Proximi, fuerunt ministrati pulli teneri, capones pulcerrimi, et opimi valde. Inferūtur etiā gallinae infertae, refertaeque plurimae, suavitare mirabili, multitudineque cōditionū cōpletae diversarū. Nō absunt artometaliae cuniculorū, aprorū, et venationis animalium cujuscūque reliquorū: quae esui sūt appositissima, et plurimi aestimantur, et apponūtur in cōviviis magnificentissimis, et apparatussummorū Principū. Hoc in cōvivio despectui habebantur palābi, ludibrio similiter reliquae carnes, quae nō in cōviviis solū moderatis, et honestis immittūtur: sed inter singulares, et exquisitas epulas numerantur. Mittant⁹ reliqua fercula, missus innumerabiles, nō omitte dō quod a cōviviis propter praestantiā, et suavitatē suā nunquā

abesse solet, leucophagum: quod illatum fuit adeo suave, adeo bonum, et praeclare affectum, ut nihil supra: quod saccharo perfundere opus non erat ad suavitatem edendi. Mittimus placentas Regias, varias atque multiplices, quae acerrima arte concinnatae, ex suavissimis, et conquistissimis conditionibus constructae, colore dissimiles, sapore dispares, et impensis sumtuosae, nihil esse melius in genere placentarum omni declarabunt, et quod non magnificum, et splendidum, et regali mensa dignum videretur. Atque salsamenta, conditiones varias, in vitamenta prandendi dissimilia, poma limonia, ad carnes assas perfundendas, et ut singulae flagitabant escarum varietates, apta admodum, et apposita mirifice praetermitto. Ad extremas mensas veniamus, quae fuerunt oleae Hispalenses, caseus recens, poma varia, grana saccharo condita, atque avellanae, amigdalae eodem saccharo obductae, varii fructus, atque multiplices, qui dari possunt id temporis. Antequam tamen finem prandendi convivae faceret, Cydoniatum per totam mensam circumferebatur, quod valere plurimum putant homines ad stomachi rectam constitutionem, et post multitudinem, et varietatem escarum opinio fert hominum, opportune cadere Cydoniatum. Inter prandendum pueri, et administri, agiles, et expediti, paratissimi promptissimique aderant, et in ora semper intuentes convivarum, si quid innuissent, si quid significarent: qui aderant semper, neque discedebant de palatio, ut accurrerent statim, et satisfacerent discumbentium postulationibus. Alii expediebant mensam, tollebantque patinas, et vasa omnia, alii inferebant, ministrabantque fercula, designati pueri erant ministrandis poculis, atque omnes in aula Principum, annos multos versati, convivorum non insolentes, et in his adeo munis exercitati, ut cum multi essent convivae, nihil unquam desideraretur in mensa, nemo non officio suo satisfaceret: atque id faceret non modo fedulo, et diligenter, non modo non confuse, neque perturbate: sed summo, ac singulari ordine, munditia, et elegantia au-

licorum, omni denique ritu, atque caerimonia principum. Dum enumeratae dapes accuratae, et exquisitae ministrantur in mensa, et haec apponuntur, aliae auferuntur, et expediuntur patinae, poscere variis poculis vinum convivae, illi minoribus, alii majoribus, dari continuo ad arbitrium suum pocula vini veterrimi, et suavissimi, quo quisque delectabatur: quod nive frige factum e pleno defundebatur oenophoro, et ipsa nive frigidius, quod dentes frangere videbatur, vixque vim frigoris, et magnitudinem suam multi sustinere poterant. Alii quoniam frigidi adeo vini bibendi fuerant insolentes, per aliquod intervallum, in mensa poculum statuebant: plures avidissime bibebant ad ardorem piperis, croci, aromatum, reliquarum conditionum, quibus alvum inferebant, extinguendum facilius. Inter prandendum convivae de variis rebus loquebantur, quae aut occurrebant, aut actae fuerant, de suavitate ciborum, de magnificentia convivii, de scientia coqui, vel inscientia, de gustatu, de suavitate in absolute perfectioneque escarum sentienda, de multis praecipue cibis, tam bene affectis, et praeclare constitutis ad vescendum, atque adeo in convivio praesenti absolutis, atque perfectis. Denique convivium fuit non moderatum, aut mediocre, quod inire soleant non admodum divites, et copiosi homines, sed magnificentissimum, atque regale, omni ciborum varietate structum: quod dignitatis causa institutum, et apparatus est, atque adeo ornatum magnifice, et splendide, ut nihil ad apparitionem, et magnificentiam regalem deesse videretur. Tale quidem, qualis fuit conditor, instructorque convivii, Princeps regni huiusce potentissimus. Sublatis mensis bene pransi convivae, beneque potius sederunt, per horam unam confabulantes, et varios conferentes sermones inter se, atque dentiscalpiis dentes purgantes suos, quae fuerant politissima arte resecta, trahebant, ducebantque tempus in horam usque requiescendis: interrumpabantur non nunquam sermones dictis his, et aliis ridiculis scurras, quo cum joco agebant convivae, varia per-

contantes, et instigantes, ut in quem vellet, dicta diceret. Atque haec sufficiant ad divitum ostendendam iactationem, et ad intemperantiam conviviarum fugiendam, et execranda. Nunc de abstinentia religiosorum pauca dicamus.

TEMPERANTIA RELIGIOSORVM

Interest multum profecto inter divitum, et Principum intemperantiam, et inter moderationem, temperantiamque religiosorum, qui bibunt, et edunt, et parce, moderateque coenas, et prandia sua faciunt. Cum enim datum est signum praedendi, discedunt omnes viri religiosi refectum magis corpora sua, et sustentatum ad obsequii divini praestandas operas quotidianas, quam delicias, et suavitates aliquas perceptum: quas, et si vellent propter inopiam suam, non possent percipere. Primum omnium ingressi in triclinium mensam et ea quae apposita fuerunt, vel ministrantur postea, ritu, et caerimoniis Religiosorum familiarum sacrare consueverunt. Horum si vultis apparatus agnoscere, dapes communiter appositae non longum est numerare vobis: quippe duo fercula, vel missus sibi sunt ad summum praestituti, unum juris, et non pipere, vel cocco conditi, alterum arietinae carnis, vel sulae decoctae. Caput his mensis nullum est. Hinc coenas, quae magis moderatae, magis temperatae debent esse (nam herbarum non nihil in illis apponendum est) conjectare potestis. Ita praedere mos est religiosos, ut corporibus magis sint praesentes in triclinio, reficiendis viribus, quam indulgendo carni ciborum suavitatibus. Magnum est videre modestiam religiosorum inter coenandum, et prandendum. Quanta vespuntur moderatione, modestiaque quam demissis oculis? quam magno silentio, quasi despiciendo cibos, et necessitati potius obtemperando naturae, quam aviditatem, et suavitatem sentiendo ciborum, qui apponuntur in mensa. Illi escas codiunt sacra Bibliorum, et sanctorum, qui per anni totius diversa te-

pora designantur lectione librorum: ut dum corpora cibis necessariis, mentes pastu caelesti reficiat. Pransi, aut coenati gratias agunt immortalis Deo pro beneficiis acceptis, et donis, quibus eos tantus Dominus affecit, famem, et sitim depellendo corporum, et precantur, eundem caelorum Opificem, ut non sibi solum, sed eis, qui misericordia sua domum illam, atque coenobium alunt, bonorum caelestium largitatem impertiri velit in caelo post mortem. Ita religiosi non saturi, et omnes affectis bene corporibus ad operas, et ad suas exercitationes de triclinio discedunt, et recta in duos ordines, agmine duplici in ecclesiam usque concinentes laudes immortalis Deo stant, praefinitasque.

JENTACVLA PVERORVM, ET anticoenia.

Non relinquendi sunt pueri, qui praeterquam quod bis saturi fiunt in die, et praedendo, atque coenando, mane ad jentaculum petunt adhiberi ad panem fructus aliquos, aut perasone vespere poma, quae id temporis veneunt: et illa, quibus gustum habet, et majorem voluptatem percipiunt, et ab aequalibus, qui sunt in schola avidius appeti videt, deferri frequentius, et commedari magis. Quibusdam efflagitandi modus non est. Hi priusquam cotenti dimittantur, et comportent in cistellis panem cum fructibus: quibus cum sodalibus in schola vescantur, abjiciunt, et rejiciunt de manibus, quidquid datum est, et aliud alio spargunt, atque dissipant, aut deponunt in arca, plorando, multum, et assidue, et saepe se abjiciendo ad pedes matrum suarum flentes, efflagitant, et obsecrant, neque desistunt cum multis orare lacrymis, ut quod petunt, quod domi est, quod dari solet, et alii pueri deferunt in scholas, ne inferiores videantur, aut ab aliis infimi appellentur, concedant atque largiantur. Instant magis, ac magis, donec jubent parentes ad amovendam importunitatem, et ad arcendum a se puerum, dari sibi, quae voluerint, quaeque concupierint. Tanta vis est et contentio, quam adhibent in petendo. Toto ore illi mille ge-

stus agunt, atque corpore terrâ crebris pedum ictibus percipiunt. Quod si illum ancilla placare velit, et injiciens manû a matre, cui molestus est, et importunus valde, conetur abstrahere, continuo in ore pueri, sunt illa verba. Impudens, prava, profligata: et corpore tamen toto connitentes retrocedunt, atque vî magna ad matres, unde avulsi fuerunt, se ipsos revocant: nihil sua id temporis, vestes inquinentur, aut discindantur. Qui vero magis quiescunt, et pacati sunt, illos matrê orare videas per patrem, per vitam suam, et quam indulgêtes sibi, ad matris corpus adhaerere perstant, quâ blande suo saepe nomine appellando, matrem, et parentem suam, amâtissimam, et carissimam dicendo: atque ut misereat illorû parentes, unam, et alteram lacrymulam exprimût, allectâdo, et invitando matrem, ad se intuendos, et plorâtes jam, atque flêtes, usque eo, quoad impetraverint, quae postulant. Vbi gaudentes concessa jã re dimittûtur, usque eo properât in scholâs, dum in illarum conspectum veniunt. Iucundum autem est videre pueros, quemadmodum cõveniunt inter se coeundo societatem, et faciunt pactiones de suo, deque sociorû jêntaculo, pro rata portione dividendo, partiendoque. Ita primum jentaculû unius, postea alterius profertur in publicû, de cistella depromptum, et paulatim absumunt: usque eo ut nihil reliqui fiat. Aliquando pueri in stylo graphio affigunt partem aliquam panis, aut pomum mediû, vel integrû, moribus alternis absumendum: in quo cautio prima est, ne quis majorem morsum efficiat, quam a primo effectum viderit: ubi vero quis mordicus panem tenere visus est, et dentem infigans utrunque, alter objurgans eum, et de violata lege ex postulans, ex ore, ac dentibus extorquere conatur: puer vero magis, ac magis mordicus premit, donec tandê extorsit unus, quod pressum dēribus, et strictum tenebat. Altera cautio est, ut cui inter mordendum panis, vel pomum illud de stylo fereat, vel de indice ligno decidens, caput panis, vel alterum pomum conferat, ut tucatur partes edendi.

FI-

FIGVRA BACCHI.

A Cibis sanus homo saltê abstineat, usque eo, ne cum bonis suis, fortunisque omnibus, corpore etiã, atque animo, cupiditati aviditatieque carnis tradatur: quod ut faciat, et temperet seipsum, non faciet, quod homines edaces, et vinolentifaciunt, ut ex nimia ciborum redundantia, ore foetido teterrimam popinam, et infamem vinolentiam inhalent, redigens in memoriam morem Socratis, qui, quo melius conaret, solebat obsonare ambulando famem. Neque ille obliviscatur Darii, qui in fuga, cum aquam turbidam, et cadaveribus inquinatam bibisset, negavit unquam se bibisse jucundius: quippe qui nunquam sitiens biberat. Idem recordetur Ptholomaeum, cui cum peragrâti Aegyptum, comitibus non consequutis, cibarius de casa panis elatus esset, nihil visum est illo pane jucundius. Atque ipse mentis oculis comprehendat Bacchum, quê, ut ne longius abeam, declaravit ejus descriptio, esse deformem, atque ita magnopere fugiendum, tanquã tetram pestilentiam: quae ubi est in aliqua civitate, abesse a suis longe moenibus eam omnes cupiunt, et vehementer precantur. Ille foeda fingebatur forma, atque horribili figura praeditus: qui fertis redimitus, cornibus huc, et illuc eminentibus, perturbatis oculis, accêso vultu, inflatis buccis sistrum habebat in sinistra, et in dextera bacillum ad pulsandum, orbitibiam admotam. Ille opimo, et farto jecore, ventre prominente, stupêdum in modum diductis cruribus, sedebat innitens cubito sinistro, quasi vacuus omni cura, flammaram intrinsecus ardore conflagrans: quas ex oculis, ex ore, ex intimo pectore spirare videbatur. Sic ille depingebatur, et illius similis ebrius: ut enim quisque avide biberet, ita necesse est huc alterû esse Bachum: quod ut in homine plus est sanae mêtis, et integri judicii, ita maxime dedecus, et infamiam is pertimescet. Quare in hunc modû dicet. Sic me debeo respicere, ut optime, diligentissimeque possim: quam obrem vereor cõ-

O o o mi-

mittere, ut non bene valetudini meae cōsulam, et in tetrum deformemque bacchum trāsferar. Volo sic venire ad coenā, ut animo quieto satiem desideria naturae: neque multarum sim assecla coenarum. Non faciam, nec obibo coenas splendidas, atque apparatus: et aliquando invitatus si māsero apud divitē, parsimonia victus delectabor, nihil magis excerpēdo de multis, quae mihi ponantur in mensa, quam quod necessitati corporis sufficiat. Nō in me inexhausta erit cupiditas ciborum, quorum satietas quamquam vitetur varietate, non dicam, quotidianus hic cibus multum affert satietatis, et fastidii. Nihil mea accumbere Reges convivii magnificētissimis, abacos complures ornari argento, auroque caelato. Ad mēsam eximia forma pueros delectos cōsistere, eosque ad nutum Regum intuentium ministrare, adesse unguenta, coronas, incendi odores, mensas conquistissimis epulis exstrui, in hoc tanto apparatu, ornatuque splendenti, pulcros hos administratores aspiciendo, et plenum artis argentum, manum porrigere in unam, et alteram patinam, et eisdem de vasis aureis elcas capere jucundissime, nunquam denique ab epularum apparatu, et magnificentia recedere: non odore, non sapore capiar: cū ducendae non sint voluptates magnae, quae sapore percipiuntur ab homine, qui his cibis, aut potionibus fruetur: quia quamvis suavissimae sint varietate permistarū escae conditionum, innumerabiles tamen morbos gignunt, et multitudine, et diversitate sua, acres nimis, et cōcretos humores colligunt. Illud etiā habent incommodum maximū, ut nunquam, quemadmodum jubet Plato, ad somnum proficisci possimus, sic corporibus affectis, ut nihil sit, quod errorem animis, perturbationemque afferat.

SOMNIANS.

Quoniam frequenter vocaris ad coenam, et reprehēdisti audaciam hominis, qui dederit tibi coenam sine pavore

ne

ne, opiparas semper, et splendidas coenas appetens: vide quid somniorum sit in coenis. Quamvis somnus perfugium videatur omnium laborum, et sollicitudinum, quippe nonnulli dicunt, nihil morti tam simile, quam somnum, alii mortis imaginē, et simulachrū somnum appellant: cum coenatus somnum in sella vix tenere soleas, et cubitum discedentē arctior, quam soleat alias noctes, somnus complectatur te, tamē plenus cibo, vinoque obrutus, totam aliquando noctem somnum oculis tuis non videbis: quem capiunt illi, qui bene affectis corporibus somno se dederunt. Sic equidem mihi videris dicere. Gravitas ciborum nō solum somno privavit me, verum nec vigilare sine summo passa est dolore: et quamvis iussi, ne famuli a somno me excitarent, nihil tamen somni erat, cum me omnes oppressum somno putarent. Atque si ego dormire coeperā, minimo strepitu excitabar: deinde somno repetito, molestia, et gravitate corporis ex perrēctus coenasse nollem. Quoniam autem animus, cum languore corporis, nec membris, nec sensibus uti potest, incidit in varia visa, et incerta, ex reliquiis, ut ait Aristoteles, inhaerentibus earum rerum, quas vigilantes gessimus, et cogitavimus, harum perturbationibus innumerabiles exstiterūt species somniorum: in quibus objiciebantur mihi visa a mente, ac ratione vacua. Ipsae sane cogitationes pepererunt aliquid simile in somno, quale fuit, de quo vigilans cogitabam. Itaque pavones, perdices, pocula frequentia, mensas exstructas cogitabā, et somnians loquebar. Verum illud, nullam tam inusitatam formam esse, quam animus effingere non possit. Ita mulier somniavit quondam se peperisse Satyros, alii se mortuos esse. Hecuba gravida gerere in utero ardentem faciem visa est in somnis. Alii libidines, caedes, alienationes, et perturbationes animorum somniarunt. Quid plura? nihil tam praepostere, tam incondite, tam monstrose cogitari potest, quod non homines possint somniare. Quia somniantium visa insanorū visis multo perturbatiora sunt:

O O O 2 nam

nam illi nullam partem noctis saepe requiescunt, saepe somniantes surgunt de lecto, et si ita natura paratum esset, ut ea homines dormientes agerent, quae somniarent, alligandi essent omnes, qui cubitum irent. Quare ut somnia illustria, ac certa sint, desinam obire coenas frequentes, et carebo violentia, cruditate: et jucundissimis semper somniis utar. Itaque coenatus hora decima cubitum ibo, quemadmodum illi, qui bene constitutas habent actiones, et partitas suis temporibus: qui cum diem in magna contentione corporum, et animorum posuerint, partem etiam noctis, legendo, scribendo, agendis negotiis, vix cubuerunt, cum somnum capiunt, et multas horas saepe continuas dormierunt. Quod si aliquando expergiscuntur, aut ab aliis excitantur, facile se colligunt, et recubendo versant se in alterum latus, et ad primam usque lucem dormiunt: albente enim caelo, surgere de more habuerunt, nisi dies festus fuerit, tunc enim tardissime praesertim si expediendis negotiis, praeter consuetudinem, nocte proxima vigilarunt.

VOMENS.

HELVO, non in somniorum solum detrimenta capit, sed vomitus: sic enim inquit. Damnus ex inferta repletaque alvo datum fuit mihi maximum: qui cum cibum gravem, die et nocte, concoquere non potuerim, cruditates stomachi perferre nequeam. Itaque faciam, quod avis illa, quae fertur conchis se solere complere, eas denique, cum stomachi calore concoxerit, vomere: deinde cibum facillimum ad concoquendum capiam edens, et bibens praefinito: neque vescar cibis illis, qui magnam habent inflationem, neque carnibus subradicidis, male olentibus, et paene corruptis. Sed quid remedium comparem ad alvum commovendam, scio. Faciam hanc medicinam, ut phialam plenam aquae calidae bibam, et toram exhauriam: movebo fortasse nauseae molestias, quas suscipiendo, et nauseando digitos in fauces usque inferam: neque desistam, quoad

la-

laxissam, et provocem stomachum, ad eiciendam sentinam: visceribus ipsis inclusam, et ad pestem pellendam foras malorum, quae accipi comedendo, bibendoque intemperater. Infedit equidem, et penitus impressum est in stomacho frustulum petasonis male assi, quod inhalare ructado videor, et cruditates ad fauces redire visae sunt: neque possum eas depellere, vim faciendo mihi maximam, et inferendo, obtrudendoque digitos in illas usque partes oris, quae esculentis, et poculentis iter natura patefecit. Si vomero, levabor, et releabor: magnopere Urgeor nunc maximis angustiis, et onere intolerabili premor intestinorum. Itaque conando, mittendoque ex toto corpore his faucibus tantam pestem evomam, forasque projiciam. Quare levatus morbo liberabor gravissimo, in quem periculum est incidendi. Sudem, nauseam, nihil me admodum frustis esculentis, vinum redolentibus, urceolum subjectum ori complevero. Tantum enim cibi, et vini neque Clodium notissimum, suis faucibus, suis lateribus, sua gladiatoria corporis firmitate devorare, et exhaurire potuisse nemini credibile videretur.

TEMPERANTIA.

Vidimus incontinentiam, et intemperantiam helvonum, et ebriorum: videamus modo continentiam, et temperantiam hominum in vescendo parcorum. Hi cum mirifice sint abstinentes, quanta cum temperantia, sine voluptate, sine iucunditate, quam in cibis desiderant, et conditionibus multis intemperantes adhibent, sola corporis adducti necessitate vescuntur, statis iam temporibus, affectis bene corporibus, decoctisque, quos antea ceperunt, cibis, parca nimium, atque sobria: ut praefinito semper edere, et bibere videantur suarum virium reficiendarum, et corporis alendi, sustentandique causa. Ab epularum illi apparatu, magnificentiaque recedunt contenti quotidianis, et moderatis escis. Atque parsimonia praediorum, et coenarum contractionem facile significant: modus, et adhibita moderatio vescendi: qui non se parcos solum, sed etiam elegantes praestant ab aliis ad prandia, vel ad coe-

nas invitati: nam ita accumbunt, ut manum in patinam, aut in lancem non porrigant, nisi postremi, atque sensim, moderate, una bucca, et manus cibum inferentes in ventrem, sine crepitu, sine stridore dētium. Quanta autem cum munditia, et elegantia, cibos illi capiunt, cū digitis extremis capiāt, et dissecent, quod communis fert urbanitas, et elegantia aulicorum, id in communem paropsidem referendi non insolētes? Patinas idem suas non omnino expediunt, reliqui semper facientes aliquid, quod ministratores in abacos auferant, et tollant in suos usus convertendum. Atque saepe ad speciem aliquam simulant se cibos attingere, praeter communi elegātia, et aulicorum urbanitate: ne fastidire, quae dantur, et inferuntur in mensam, aut respuere videantur. Poculorum parcissimi sunt, adeo continentes, adeo moderati: ut nisi post multos ciborum missus, jam tunc in mediis ferculis nūquam poculum ministrari jubeant, atque illud aquae modica potatione, vel vini admodum diluti, neque ad gustatum praelibātes. Sic pransi surgebant a mensa, ut nihil gerēdis negotiis cibum captus impedimento fuisset: atque similiter coenati, probe affecti ad mutus omne fungendum viderentur. Quamobrē totos dies, bona valetudine, nulla perturbatione, nec dū etiā tentationibus, ad extremam usque senectutē pervenire multi solent. Istud tēperantia facit singularis, et admiranda, quod saturi nunquam de mensa surgunt, totos autem dies in meridiem usque jejuni sunt: ut neque quidquam gustent ante meridiem, sicut nec pransi pomeridianis, vespertinisque temporibus usque in coenam, ab escis semper extraordinariis, et alienis a prandis, a coenis abstinentes. Cum dies inediae incidunt, eam facile pervigiliis omnibus solennium feriarū perferunt, religioforumque ritu, atque more, quo jejunia observant.

INVIDVS.

Sequitur invidia tetra, et immanis bellua, principiū fraudis, iracundiae, odii, avaritiae, seminarium scelerum, et flagi-

gitiorum omnium: quam si vultis, inspiciamus a capite. Vultus illius, qui janua est animi, sensus intimos, et perditos mores indicat. Quam foedus, teter, et execrabilis est? quo pallore oris? quanto oculorū dolore? quo luctu? quibus lacrymis? Obliquo semper aspectu, livore deformatis dentibus, contaminato spiritu, ore venenum exhalante, incredibili macie, et imbecillitate corporis, angore, et cruciatu diurno, nocturnoque. Atque illa semper excubat, et vigilat, nullam partem capiens quietis, rugis exarata facie, annis, et canis oppleta, inculta, aspera, tristis, horrida, tota plena squaloris, et fordiū, una manu spinosis armata telis, altera vim sibi faciēs, et quasi doloris magnitudine in os, in faciem modo involans, modo discindēs vestes, atque lacerās, et quod magis tetrū est, et magis pertimescendum, fremitu recondito, et horribili exedens animū, et plane conficiens, neque finem faciens unquam absumēdi. Invidia horribilia secum loquitur, meditatatur, cōmolitur dolos omnes, atque fraudes inexpiables, involat in Regiam aulam, in summorum Principū palatia invadit, aggreditur Marchiones, Duces, et in amplissimo statu collocatos homines, Senatū cujuscunque civitatis amplissimum, atque sacrarum familiarum, si posset, conventum apertis, et occultis cuniculis oppugnare cuperet. Quid plura? in ipsis caelorum palatiis celsissimis stragem quondam edidit horrificam, in sedes inferorum, cum sui sceleris consortibus deterrimis deturbato Lucifero. Quae praediximus, ea suo ordine licet, nobiscum recognoscatis, et ab aula regia quaecunque facta testata relinquamus.

INVIDIA IN VADIT IN AV-
lam Regiam.

Vi locus reperietur vacuus, atque liber hominibus invidis? in aula regū cruciatur, et cōficitur invidus, cū videt aliquē ingenio, eruditione, nobilitate, virtute in aliquā dignitate ascendere, famam sibi

plurimum comparare, et Indies plus nominis apud Regem, gerere non solum magistratus sibi commissos ex sententia Regis, sed etiam ad usus publicos, et communes regnorum utilitates, et ob eam causam quotidie faciliores habere aditus ad Regem, et ad res omnes strenue gerendas, ad Regnorum cōservationem, in procuratione suscipienda, tanquam aptissimum consilio, et prudentia caeteris jurisperitis praecellentē evocari, ad deliberationem omnium maxime consiliariorū adhiberi de mandato Regis, primam illius requiri sententiā, et quam ille dixerit, omnium, et ipsius Regis assensu cōprobari, denique Regiorum consiliorum participem esse, laudari ingenium, in caelum ferri prudentiam, negotiorum agendorum studium, et industriam, expediendarum causarum celeritatem, et quidquid ab illo cōstitutum est, id excipi laude, et plausibus maximis: usque eo, ut felices negotiorū exitus, regnorum amplificationes, et status provinciarum praeclare collocati, litteris, et prudentiā istius hominis tribuantur. Quid si Rex ipse sibi persuasum habeat, hunc hominem illis sapientiae opibus florere, quibus facillime orbē terrarū universum moderari possit? Ita ad tantam amplitudinem pervenit, ut praeses summi consilii creetur. Hoc simulatque vidit invidus, vel audivit, tāta hominis istius celebritate, seu noctua splendore lucis, offenditur, neque dormire, neque quietē habere potest: et facile sibi persuadet, se magis dignum esse, quē Rex in familiaritate suam accipiat, summis honoribus, et ornamentis illustret, et sibi deferat summam Regii Cōsiliū praefecturam. Quid enim, inquit invidus, a me abest eorum, quae vulgus in hoc homine tanta laude, et gloria cumulado inesse jactat? Aliis honoribus, ac reipublicae muneribus functus fui, navavi strenuam operā. Principibus, ac Regibus nostris, difficillimis, ac periculosis temporibus, et in omni muneris functione colui honestatem unice, illisque ab ineunte pueritia dedi me disciplinis, quibus fructus possum, et magnā reipublicae opē afferre. Multum posui operae, et studii in juris-

pe-

peritia, in omnibus prope consiliis Regiis summa cum laude versatus, et ab adolescentia in forensi splendore florens, forum, subsellia meditor, et somnio, orbē quasi terrarum humeris inclinatum habere visus: ut ad negotiorū amplitudinem, ad Regiarum causarum magnitudinem naturae vi, et professione proclivis ferar. Quid in illo praeside inest plenum laudis, et admirationis, ut is tantam a Rege gratiā inierit, nos vero in oblivionem venisse videamur? Solebam ego gratus, et acceptus esse Regi, et in ejus palatio frequēs versabar, et hūc ille mihi modo praeposuit? quam opinionem studiorum, virtutis, et integritatis mentē suā jam diu comprehenderat, et in animo insitam habere videbatur, tam brevi tempore, tā praeter omnium hominum spem, deimproviso deposuerit? quaque ad hanc usque diem retinuerat, abjecerit? Quod dicā, ex me ipso id natum non est: sed ex hominum opinione, sermonibus, et fama loquar. Non istud accidit ignoratione meorum ornamentorum, aut ulla culpa, quae in me fuerit, aut imprudentia: nam illo tempore, cum Rex mihi primum magistratum mandavit, nullum equidem, quātum recordari possum, tempus, nec momentum praeteriisse video, quod non ex Regis voluntate in meo munere, et officio posuerim. Nisi vero illud est, quod vulgo evenire solet, ut dolum, et machinā aliquis mihi cōmolitus fuerit: ut me de gradu dejiceret, et hunc Regi magis cōciliaret, et intimum faceret, et familiarissimū, gratia, et auctoritate florentem. Hoc cōcine, addit invidus, credibile est, aut memorabile, tanta innata vegeordia, cuiquā ut fieret, ut illum mihi praeposendum curaverit? Cur ita? quia scilicet ego fidem Regi servo, nec me muneribus corrumpi patior, me stantem perfidi homines perculerunt? Ego quidem caedendi, et conveniendi Regem, quemadmodū illi occasionem aucupati fuerūt, tempus capiā, et quibus fallacis, et fraudibus callidi, et malitiosi homines ad fraudes, et insidias solertissime machinandas, me familiaritate Regis excluderunt, exponam, et per me Rex cognitum, et exploratū habebit, ni-

Ppp hil

hil esse tam benefactum, quod male dicendo, aut obrectando depravari non possit; habeo fidas mei amantium familiaritates amicorū, per quos amissam volūtatem recuperē, quāque Rex erga me habebat, nunc denuo non suscipiat solum; sed etiam cumulo majore praestet. Ille, cui orbis terrae gubernatio, et summi delata fuit imperii administratio, Cæsii, quem populus Romanus verissimum, et sapientissimum judicem putabat, faciem expressam affert, sermonē fingit ejusdem, atque sonum. nihil ejus sermone subtilius, et ornatus esse potest: est in illo ubertas orationis, gravitas sententiarū, et copia, et ornamenta dicēdi, quibus rebus aditus omnium concessu ad summam auctoritatē datur. quod ad devinciendas multitudinis voluntates, et conciliandas amicitias, et easdem firmissime retinendas, et ad constringendas plurimum valet, id totum, et amplius est in homine. Adhibet magnum studium, et diligentiam in negotiis agendis, litibus aures faciles atque benignas praebet. in miseris, et periculis multorū misericordiam, in vindicandis maleficiis severitatem, in cōsiderandis rebus tempus, et judicium, in tanta potestate modum, et moderationem, in creandis magistratibus, et urbiū, et populorum regni cautionem, atque delectū, denique in omni genere negotiorum, et privatim, et publice rationē, et curam, et laborem incredibilem adhibitum omnes laudant, atque commendant. erigit jacētes, cōsolatur afflictos, oppressos allevat, fert praesidium innocentibus contra vim, et gratiam locupletum. nobiles, et potentes cum Rege in summā gratiam ponit, nobilitatem generis, merita majorum, singulorum in Rempublicam officia commemorando, et augēdo verbis amplissimis, et privatim, et publice prosequēdo multis, et maximis honorib⁹. Ita in omni actione, et administratione Reipublicae flores ex omni hominū genere tenet summū gradū, et dignitatis, et gratiae in aula Regia. Interim tacentur praedae, quae ex regis negotiis, et sumtibus negotiatorū, et expensis litium infinitis aguntur. Praetereuntur silē-

tio

tio, quae negotia impedita, qui litigatores cū magna rei familiaris jactura tot annos, nimium jam diu detinentur, nec in animo est illi tot annorū cōtroversias expedire, dimittere alienigenas, tot advenas in alienis terris, incommodius, et sumtuosius, indies cum offensionibus maximis, et cum probro, atque dedecore consortium suae dignitatis consiliariorum commorantes. Hoc item tempore non quaerimus, nec ex homine fortunato, neque ex amicis ejusdem de rei familiaris accessione, de multa, et lauta supellectile, et magnifica, cūctis in cubiculis aediū suarū, et praecipue in suo maximo palatio, atque adeo in bibliotheca pulcherrima, magnificentissimaque, neq; libris solū, sed aulaeis ex aureo filo pretiosissimis ornata, valdeque splendenti. Nihil quaerimus de pecuniis praegrandibus in reditus annuos collatis, de numero, de grege praecentiū, et consequentium famulorū. De comitatu quotidiano, de specie, de splendore, de pōpa prodeuntis hominis in publicū, et in Regiā, vel in aulam sui cōsiliū progreddentis nullus sermo, nulla verba fiunt. Sunt haec omnia Praefidis non tam maleficiis, quam virtute probati. Sed omnia haec silentur, quemadmodum ea, quae sequuntur, caedes in urbib⁹, in hac aula Regia passim hominū insontiu factae, homicidia impune suscepta, stupra per vim multis virginibus, et ingenuis mulieribus illata, direptae fortunae, tenuiores a potentioribus vexati, domus, et familiae multae exhaustae, exactiones acerbissimae, exitia, et everSIONES rerum publicarum, magistratus, praefecturae hominibus indignissimis demadatae, in civitatib⁹ plurimis ludi publici, atque adeo charitarum pictarum alvei domibus ipsis propositi, communes hominū mores fluxi, et ad perniciē Imperii delapsi, studium virtutis, et honestatis abjectum, et extinctum. Constat nihil magis vigere, quā studia libidinū: ut neque se nobile, neque virū quis putet, qui nō turpissimis libidinib⁹ deflagret. Valeat igitur, cōcludit invid⁹, virtute cognita, et explorata Praefes, multos viros habeat sui cupidos, et studiosos, atq; hos no-

biles, et gratiosos. Ille sit post homines natos, qui nostra memoria, magis cunctis, et artibus, et studiis apud Regem vigeant. Quāto illi supplicio digni sint, qui virtuti, qui litteris nostris munus meritū, et iustā, et debitā gratiā nō referendā curent; cernant animo, qui vident oculis, sepultos homines claros; et propter perfidiam hominum invidorum, in summa ignorantia, et tenebris jacentes. Haec invidus de praeside, quo nullus post hominum memoriam neque praestantior, neque summa praefectura dignior fuit, loquebatur: nunc in viros in aula Regia versantes invadit.

INVADIT AVVICOS INVIDIA.

Persequamur connexos in aula Regia versantibus invidiae sermones: nam aulae Regiae sectatores, non honoribus invident parium, aut superiorum, dum ferre non possunt se ab aliis aequari, vel aliquo genere procerum inferiores esse, in Regis gratia, et benevolentia? Quam erecti vultus Regios, et motus omnes aspiciunt intenti? quanto opere aditus, et introitus, exitus unius, et alterius, receptus singulorum in Regis aulam, sermonem quotidianum speculantur, et observant? Si quis cum primum ingressus est in Regis cubiculum, et se apte, atque cōcinne ad Regios pedes abiecit, aliquo nomine, et honore affectus fuit, si Rex iussit statim eum surgere, aut manu propria sublevare tentavit, stare aperto capite, vel accedere propius illum imperavit, cōvenire, et colloqui, quae vellet, et in animo esset, si benigne, et comiter audiebat, et inter loquendum Regi verbum aliquod solito benignius excidit, si Rex suo se loco movit, si gradum unum, aut alterum fecit, si subrisit, si innuit capite, oculis, aut animi propitii voluntatem significavit, si dedit alia non obscura signa amoris, et benevolentiae, si dixit, quod praemiū optaveris, et honoris insignem, pete, cum haec videt, cū audit invidus, quā est vehementer anxius? quam de suo statu valde sollicitus? Quemadmodum suam dignitatem amplificatā, suas opes cum-


mulatas, et adauctas cernere concupiscens, jam jam aditū ad aulam Regiam sibi praecclusum esse, putat? Quemadmodum se Regis ope, et patrocinio destitutum, et ab omnibus honoris, et dignitatis opibus nudatum, et spoliatū, arbitratur? Intuetur perversissimis oculis, et iniquissimo animo, de cubiculo Regio egredientem hominem, prae gaudio exultantem, et elatum insolēter, ab amicis laetitia, et plausu maximo exceptum. Ille omnia dignitatis ornamenta, et honoris insignia, verborum honores, quos Rex ad eum, tāquam, ad benemeritum, et omnium virtutum opibus excultum, et ex amicis intimis benignè ac liberaliter detulerit, longa oratione commemorat: quae cum invidus accipit, ejus viri praestantissimi, et a Rege tantopere honorati studiosum se simulās, omnia praesens cum dolore audit, curis angitur, molestiis afficitur, et moerore contabescit miser, et post longum sermonem, cui interfuit, moesto inde, et conturbato magis animo discedit. Ut ex illius sermone cognovit invidus, quē locum apud Regem obtinuerit, quē nunquam ille, nec sui majores tenuerant, nec unquam se obtenturos esse sperarunt, neque fieri posse arbitrabatur, ut ei quisquam clarus, et illustris homo in ulla contētionē dignitatis anteponeretur, cum clarā ad huc, et insignem putet suam apud Regem esse gratiā, in regiam adit, et omnes homini praepotēti conatur aditus ad Regē praeccludere: sed ne aperte deprimere, et violare videatur illum, quem Rex tantis honoribus affecit, nobilitatē hominis laudat, industriam ad res bellicas in caelum tollit, commemorat merita majorū, neque alium reperiri posse cōfirmat, qui in externis, et alienis regionibus, majore cum auctoritate, et dignitate personam Regis sustineat atque tueatur. Vellet equidem invidus, ut Rex praecleara laudatoris fraude inductus, per speciem honoris Romam ablegaret functurum officio legati in Aula Romani Pontificis: aut ut mitteret Proregem in aliquot provincias ab aula Regia disjunctissimas Regis officio, et munere luculēter exornatum: fu-

turum enim sperat, ut simulatque removerit hominem ab oculis, et aspectu Regis, ipse locum viri amplissimi praeoccupet. Quem ubi profectum jam, et cum potestate maxima missum aspexit, primo clanculum absentem mordere per leviter, saepe pungere, tandem aperte rebus illius obrectare, et dare operam non desistit, ut Rex quotidie seipsum plurimi faciat, de illis autem, qui Regi cari fuerunt, et ab eodem in summo pretio, et honore haberi poterant, in quotidianis sermonibus, quos cum Rege habet, multa verba facere, hos imprudentiae accusando, vel ignaviae, vel timiditatis, alios insolentiae, et audaciae, et temeritatis. Si quae plures magistratus habere animadvertit, id hominibus invidiosum esse dicit, quorum mos est ut nolint, et oderint plane, eundem pluribus excellere, tum Reipublicae perniciosum esse, quoniam pluribus officiis implicati constrictique tenentur, et id in omni procuratione, et negotii, et muneris publici caput esse singulas res speciatim, et maximas, et minimas, et mediocres moderatorem exploratas habere, versare semper, et nunquam nisi manu (quod dicitur) tractare sua. Et quoniam periculum est ne diuturnitate temporis in alios magistratus homines huiusmodi veniant, et in Regis aulam penetrant, adhibet invidus latebram obscuritatis, et opprimit laudem rerum, quas alii gesserunt in praefectura, ut sibi Rex in animum facile inducat propter exiguitatem suam confici potuisse. Cum difficile negotium, et arduum, et prudenter, et praeclare gestum, propter magnitudinem, et amplitudinem suam dispergi, ac disseminari coeptum est, ut omnes de tanto viro laudes quotidianas, et assiduas habeant, quibus Regis aures jucundissime personant, magnitudinem, et difficultatem rei gerendae, quoad potest, extenuat, negotium esse facile ait, et expeditum, et ejusmodi, ut a quocumque homine confici possit: hoc mali res humanas habere, ut quales sint, et quemadmodum se habeant, nunquam ab hominibus narrentur, sed parvis momentis multum affingere, aut mutare, vel detrahere mortales, quo faciant id,

id, quod voluit, majus, aut minus. Si rumor aliquis, aut aura sinistra affavit, omnia confestim in auctorem tela jacit, atque contorquet. Sic equidem invidus magnas opes, summos honores per summum scelus, atque fraudem praeripit. Ad hanc amplitudinem, Christe bone, quibus initiis invidus pervenerit, difficile esset explicare: nam totum diem ad cubiculi Regii fores assidens, adeundi difficultatem omnem patientissime tolerans, assurgens familiaribus Regis, atque domesticis, servos etiam blande, atque benigne salutans, eo tandem se demittit, ut nihil contemptius esse videatur, quoad blanditiis, assiduitate, vultu sermone, muneribus, assentatione, et officiorum omnium simulatione, patrocinio Regi notus, et insignis factus est, et in domesticis numeratus. Hunc locum ubi tenuerit, ne quibus modis alterum ille deturbavit, ipse quoque detrudatur, quantum adhibet solertiam, ut naturam suam facile verset, et quam Rex voluerit personam induat, et quidquid eidem libuerit, summa cum calliditate simulet, totumque se ad libidinem Principis, cuius gratiam aucupari conatur, effingat. Itaque quocumque modo, Regem affectum, aut studio captum, aut morbo oppressum, aut flagitio corruptum cernit, in eodem ille versatur, et dies, atque noctes consumit.

INVIDIA AD ORTA COMITES,

Marchiones, et alios Principes.



Quemadmodum invidia animos hominum exulcerit, comites etiam, Marchiones, Duces, Principes terrarum testantur: qui sic Regum aemulari Celsitatem, et Majestatem videntur, ut se Regulorum simillimos praebeant, et ostendant, sive privatim, sive publice, sive foris, sive domi, in oppidis suarum ditionum, et externis in locis, atque regionibus. Equidem huiusmodi inter illos invidia excitatur, ut

Comes Marchionem, Ducem Marchio, Dux Principē imitetur: omnes in statu suo, atque fortuna ad Regiā prope Majestatem enitentur, atque cōtendunt. Comes inquit, quid invidiam mihi magnam faciet Marchio uno dignitatis gradu, quem altiore meo. dominatu assequutus est superior? Marchio autem. Et in invidiam quotidie vocabor, uno dumtaxat Ducis titulo inferior? et tam celsum Dux locū obtinuit, ut Ducis fortuna, et statu solo meam laudem, et dignitatem obscurare possit? Quemadmodum ille splendide, ac magnifice, ac plane more Regio, quasi ad summum imperium, elatus se ipsum, domumque suam tractandam magnopere cepset, et ego gradu honoris, in quo Dux est collocatus, expectabo, et ab illo tam parvo intervallo disjunctus, genere, opibus, potentia conjunctus in hoc meo dominatu excellentiā, et gloriam meam, si non ampliorem, at simile efficiā: et quoad portero, constituam fere parem, et ejusdem sociam splendoris, atque dignitatis. Quid vero eques illustris dicit? fateor me ad dignitatem, et ditionum amplissimarum gradus non venisse, in quibus collocati sunt, qui Comites, Marchiones, et Duces nominantur: sed, isti ditionis honore, nō genere differunt, quorum plurimi mecum sanguinis communione conjuncti sunt: si non ad tantam honoris amplitudinem, et gloriā ostendere possim, quid ni sint instituendi mei generis homines ad aliquam honoris, ac nominis illustrem speciem? Mercator habeat excellentem, et praeclaram meae dignitatis speciem, domi jam conditam, et collectam ex clarissimis nostri splendoris insignibus, et quas nobis praedicti Principes, invidiosas flammis subjiciunt, non opprimendas, extinguendasque curabimus? Si clari, aut reliqui homines finibus suis contenti erent, non in hoc studium, et curam, oculos, et animum incederem: sed more hominum vivendum, et temporibus interveniendum est: neque me plurimum effero, aut quidquā facere mihi videor praeter spē, quam habebā in Comitibus dignitate ascendendi: consequar ergo Regii legati honorem, aut prae-

toris Hispalensis Praefecturam, spero quidem fore, ut caetera mihi facilia sint, et expedita. Ad hoc nobilitas generis, Crucis istud insigne pectoribus assutum, sermones hominū, opinio magna, commendatio frequens, memoria parentum habita meorum, honos, et existimatio nominis mei in aula Regis honorificis semper sermonibus usurpata hortatur. Cum redit amplius pecuniae maximae, populi duo meae ditioni, potestati que subjecti sint, qui ad comitis dignitatem spectare videantur, tum forma oris, et habitudo corporis apposita nimis ad dignitatem excitant, et inflammant. Mercator conquietescere non potest, nisi sumtibus immodicis, laeta, et magnifica supellectile, apparatu, et magnificentia nobilium, illustris viri summam speciem habeat, et dignitate sustineat: qui sunt infimo genere, ac conditione fortunam excitare suam, et ad claram, et illustrem status dignitatem contendere non desistunt, et nos generis, opum, spei, commendationis majorum obliti, quam isti viam munitent, quod iter affectent, non videbimus? Ita res omnes exulceratae sunt, et in summam invidiam adductae. Videas equidem illud genus hominū, quod primum a nobis positum est, non aliam, quā summorum Principum, et Regum clarissimorum imaginem, et oculis, et animis obversantem adumbrare. Si domum adeas conveniendi Principis alicujus gratia, plurima cubacula transiturus es, donec in palatium magnificentissime ornatum, et apparatu Regio instructum venias, quod ab omni subselliorū genere vacuum est. Atque Princeps iste sellam habet sericam in medio palatio averfam, collocatamque suo ritu, et ad parietem conversam: in qua praeter fortunatum hunc, et splendidum hominem, tanquā in aliquo loco sacro, et omni religione munito considerare fas est neminem. Hanc sellam cohonestat peristroma quoddā omni tempore anni suspensum, majorū tantū Ducis insignibus distinctum, quae in summo decorantur Regio diademate, quod Regali genere natus ad Regiam dignitatem, si Regi successores, et suorum Imperiorum propin-

quiores haeredes nō essent, jus haereditariū haberet. Vbi v̄ero de conclavi unus ex his Magnatibus in palatiū prodit, eos audiēdi causa, qui certis horis diei illū adeunt, atque conueniūt (neque enim more Regio se omni tēpore adiri patiūtur) in sella conversa, regū faciē afferentes, et effigiē, qua gravitate, qua dignitate oris, sermonis, motus, atque sessionis Regiā dignitatē referre visi sunt? Interim dū isti Principes accipiūt, audiūt, aut dimittunt ingrediētes, in cubiculis, quae praecesserunt, hos ad januā stare, ambulare alios, et tēpus opportunū singulos exspectare mos est: quoad per janitores ad Marchionē, vel ad Ducem introducātur. Atque ut omnes vitae rationes istorū Principū cognitae habeatis, ita Regū morē, et vitam imitantur, ut quibus Regem studiis, et artibus deditū intelligant, quo victu quotidiano, et cultu corporis delectari, hunc Principes huiusmodi potissimū sequātur. Surgunt de lecto quam tardissime, multā post lucē, hora fere undecima. annus est, interim dū se induunt, et ornāt. Paulo ante duodecimae signum horae, diebus festis sacrū audiunt, et quidē quā brevissime factum, pulvinulo dextro genu subiecto, et altero crure diducto distētoq; foedissime, oculos huc, et illuc retorquendo, oscitando, colloquendo, in antennarū speciē corpus motitando, et quasi agendo res alias, ut adesse corpore videantur, et animo a rebus divinis abesse. Ab hora duodecima in secundā usque, dum tēpus appropinquat prādendi, quod magis vacuum ex omnibus horis diei datur his fortunatissimis hominibus ad res familiares, et ditionū suarum gerendas se conferunt in palatia, negotia expediunt, ea postulata: et quoniam calore stomachi cibum decoquere nō potuerunt, adhuc ructātes crapulam noctis praeteritae, crudiores ad prandia veniunt, inferciuntque corpus epulis exquisitissimis, et se frequentibus poculis obruunt. Hic ego prandiorum apparatus nō proferam? Ecce e. culina pueri ad ministri, et tunicati omnes, capitibus apertis, ad speciem venustissimi, cum dapibus assis, et coctis, in aulam usque lon-

go agmine, tenentes paropsides utraque manu, et in illis apparentes palam escas, et omnibus ad spectandum, qui sunt in porticibus, propositas gestantes, et praeunte Architiclyno, in abacos apparatusissimos comportantes, unde splendide ac magnifice, plane Regio more, ac caerimonia dapes in mēsam apponendae deferuntur, et solenni ritu, statisque praescriptionibus pocula ministrantur, consistentibus ministratoribus plurimis ad mensam, et eximia forma pueris delectis, eisdemque semper, et admotum, et ad nutum Ducis intuentibus: qui summa diligentia, et alacritate, munditia, et elegantia nunquam ministrare desinunt. Interim scurrae, parasitidicaces, nōnunquam cum aculeo, et maledicto faceti, interdū omni lepore, et suavitate affluētes ridicula jaciendo, mittendoque ficta ex tempore, et ex rebus, quae incidērunt, prādiis sales intemperanter aspergunt, et dicta dicunt multis nō jucunda quidem, quod in illos dicuntur, et jaciūtur, aut mores, aut vitā parasti carpunt. quamquā enim per jocū, aut ludum ea jaciuntur, tamen quia saepe verum parasti dicunt, et id nollent audire Magnates, nō aequè afficiuntur animis jucunditatibus illis, vel asperitatibus potius rerum: atque saepe epularum gustum appositarum non habent. Pransi jā, et bene poti quantopere salibus, et festiuitatibus abutuntur? quemadmodum residentes aures praebent cātibus parastorum, et eos nominib⁹ suis, aut tacitis, secunda persona semper appellando, ad canendum more consueto, ad citharam pulsandam, ad sonos varios efficiēdos, et ad magnum praecipue numerum Hispanorum versuum fundēdum ex tempore, hortantur, et incitat? Cum illi hos viros illustres attingunt, alios mordent, guttā aspergunt huic, illis nō raro labeculā, crebrae assensiones, risus immodici, cachinnationes plurimae cōsequūtur. Ita tēpus ducitur, et protrahitur in his vanitatib⁹, et infantiis, quoad somni plenissimi cubitum in cōclave cōcedūt, atq; in multū vesperū dormiūt, neq; surgūt de lecto, nisi a cubiculariis excitati: qui hora fere sexta, more Regio orna-

ti, in equos pulcerrime stratos ascēdunt, et usitato peditū, et equitū praeceun, e, consequenteque numero prodeunt in publicum, magistris equitū semper subsequētibus. Quaecunque autem isti Magnates praetereunt omnia fragantia redolent odoris. inuisunt Marchionem aliquem, aut Ducem, cui debent aliquam gratulationis, salutationis, aut adventus usitati vicissitudinem, et officium necessario reddendum. Quid si officiorum huiusmodi rationes persolvendae non sint? Raro se dant in hominum conspectum, nisi verno tēpore, sub occasum Solis, et aura frāte lenissima, vel hyem ali, cum dies laetus est, et Sole clarissimo nitēt omnia, duas horas, ante Solis occasum. Sic enim parietum umbris se tegūt, ut quasi signa quaedam dedicata domi se contineant, quae certis tantū diebus sunt in aperto, et propatulo collocanda. Ut autem, et foris, et domi ad illam superstitionem, qua Reges imbuti videri, et adiri solent, nihil deesse videatur, vultum sibi severum, et gravem fingunt, et summo studio cavent, ne cunctis hominibus sui conveniendi potestatem faciant, ne benignitatis alios sui generis dissimiles appellent, ne cū populo loquantur. Atque ne quid etiam illi populare habeāt, ludis illis animos relaxant, et eis se praecipue dedunt iucūditatibus, quas percipiunt Reges, et in eis dies noctesque conterunt. At quo modo? tēpus isti praepotētes homines in primā usque horam post mediam noctem chartis pictis trahunt, atque fallunt. Quoniam autem Reges praecipue venationibus delectantur, in Sylvas, et nemora perlustrant. Quid convivia dignitatis, et ostentationis causa passim cōcelebrata? quid hospites magnificentissime acceptos? quid datos populo ludos cōmemorē? quas vestiū donationes? quas pecuniarū effusiones fieri? quae scuris, et parasitis donari quotidie videmus? Itur ab his principibus in aulā Regiā Regis invisendi causa. Quid ad sumtū itineris, ad magnificū apparatū, ad comitatū prope Regium addi potest magnificentius? Videas praemitti impedimēta omnia, iumēta multo numero pecuniarū, grādi pon-

pōdere auri, et argēti onusta caelati. Audias qua iter faciunt hinnitibus repleti loca celebriora, atque deserta percrepare sonalibus, et nolis argenteis, et ipso strepitu equorū, et hominū tanto Principi famulantū, iumenta suis cooperta tapetibus, cū Principū stemmatibus in claro lumine apparētibus, et in oculis omniū positis agi ab stabulariis, vociferationibus multis, et clamoribus, ut excitent, et trahant currētes, et ad volantes homines ad apparatū Magnatis praetereuntis, et contendētis in aulā Regiā spectandum. Qui verō Principum in aulam tantam ingressus cunctorum? qui comitantium nobiliū flos, et splendor, pueris, qui in famulatu suo fuerint, versicolore vestitu ornatis consequentibus? Ingrēditur Princeps quicumque superbissimo, magnificentissimoque splendore, cunctis se incolis, et habitatoribus ad invisendū Principē effundentibus. Quae per multū tēpus in aulā Regis mansio? Quae iactatio Ducis, et ostentatio magnifica? Quae prādia? Quae coenae dantur quotidie? Apud omne genus hominū ille dominatur sumtib⁹, viget gloria splendoris clarissimi, floret apparatus iactatione superbissima, et cūctis in rebus eam adhibet speciē, et dignitatē, quae splendida, et illustis, quae Regia Majestate digna videatur, et ad illā sine controversia accedat: ut Regulū se quendā omnes intueri dicāt. Ita quidē Principes isti quantū in se ipsis est, aliis volunt honoribus, et dignitatibus praestare: atque in quo non possunt omnes excellere, in eo fit tanta contentio, ut habere studeāt similitudinē, aequalitatemque vivendi regiā ritibus, studiis artibus, ludis, moribus, famulatu, reliquo modo, et omni dignitate Ducū, et Principū maximorū domestica, et externa: ut sane unum ab altero dijudicare nescias. Sic in praecello, et edito omniū maxime loco visi sunt omnes cōsistere, et quāquā inferiores aliqui dignitate sint, omnes omnibus in rebus aequabilitate quadā praestantissimi videri volūt, et haberi.

INVIDIA MERCATORVM.

Sequitur, ut videamus, quemadmodum mercatores illustriū virorū status imitatores existant, et studiose, dili-

genterque curent, in omnibus factis minimis, et maximis, in domestico, et externo cultu, nobilium mores, et vitam usurpare insolenter. Domus imprimis magna, et nobilis, atrius, palatiis, cubiculis, et conclavibus, hortis et fenestris, et insignibus permultis, peristromatibus pretiosissimis, fellis parvulis, et majoribus, lectis pulcherrime stratis, pulvinis sericis, et ancillarum, et puerorum grege venustissimorum, abacis auro, et argenteo collucetibus, et omni supellectili ad speciem, et ornatum equitum illustrissimorum abundat. Vxor, et filiae honoribus nobilium afficiuntur, et quam officiose titulis, et cognominibus illustrii appellatur. Pro foribus sunt more nobilium duo honorarii senes, qui istud solum operae praestant, ut expectent mulierum, aut virorum adventus, atque illos officiose excipientes deducant in Dominorum palatia praecedentes, et eosdem exeuntes ab invicem dominis in valvas usque reducant: ubi apertis capitibus, et genibus leviter flexis dimittunt, summo cum honore, et urbanitate politissima. Antequam in uxoris palatium ingrediaris, praeterire debes palatium unum amplum, et longum, aulaeis pretiosis ornatum. Cum in uxoris conspectum veneris, in strata spoda tapetibus longissime, latissimeque explicatis, et medium fere cooperientibus palatium, ipsas residere mulieres aspicias, et in binis singulas pulvinis sericis, multis aliis vacantibus ad aliorum sessiones invicentium sui generis mulierum, et hoc ordine, atque modo singulari, ut in alios alii visantur impositi, compositi, et ornate admodum, ut magis compositi, et ornati esse non possint. Has cum alloquutum pueri veniunt, et cum primum famuli aliquot in illarum conspectum se dederint, quam apte, et cocinne, unum, et alterum genu non nihil inflectunt: atque cum ad illas accedunt, in terram usque; genua flectunt, atque in unum genu procliventes postea, ut terram ipsam tangerent, oculis mode ste terram intuendo, mandata dant, et accipiunt, referuntque. Atque hac elegantia, et urbanitate filias isti pueri alloquuntur, ancillae matronas, et filias utroque; nixae genu. Cultus corporis splendidus est, et ornatus, et sumtuosus, quem nobilitate praestantes viri, et splendidae mulieres, et quae ex nobi-

bilium sanguine procreatae induere solent. Odorum omnium suavitas, unguentorum fragrantia, praegrade pedis auri, et argenti, gemmarum splendor, ornatus domesticus, mollietates omnes delicatior, quam nobilium, molliorque ratio, conviviorum apparatus magnificentissimi, non paucus equorum numerus, et ad equitandum, et ad comodandum, et ad urbanas lustrationes, et ad villas adeundas, et ad lecticas, et ad currus agendos, nobilium sermones, vocum soni, status, incessus, motus omnis, et dignitas quaedam, et equestris amplitudo, cogitationes, spes, conatus coniungendi sese sanguine cum nobilibus, studium, et opera pecunias in reditus ampliores conferendi, et ad illos novas indices accessiones faciendi, satis magno argumento sunt, mercatores emenda specie, et splendore nobilium, in hac decoris, et gloriae praestantia adipiscendi tam altum gradum, et honorem invidia ferri caecos, et amatos. Sed istud nihil habet admirationis, cum haec labes, et macula in fordidos homines, et abjectos, in sordidissimae faecis, et contaminatissimae multitudinis suam pestiferam, et funestum halitum efflaverit: ut iam nequeas virorum, ac mulierum conditionem, et fortunam inter noscere, nisi cum diebus profectis hebdomadae operas praestant, et pensa solvunt servilia. At litteratos homines, et academias non invadet lege subjectas strages, et calamitates miserimas.

INVIDIA AD ORTA ACADEMIAS.

Perspiciuum est etiam, quam invidiosum homines litterati habeant sapientiae nomen, et infensum, quot, et quatis labores maximi, et vigiliae susceptae, honores, et plausus consequuntur invidiae moribus, a plerisque; lacerentur, quam violenter ab invidis secundi publicarum actionum eventus, et munera praecedendi delatamajore sufragiorum parte discerpantur consendanturque. Infidet in invidio quoque; litterato invidia quaedam, quae animi stimulis invidiae cocitet, et in animis imprimat, atque; infingat sapientissimi cuiusque existimationem augendam, et gloriam sui nominis omni honore, et praedicatione coonestandam.

Quare ferre sapientes isti non possunt, quoniam sapientiae nomine excellere, et ut haec opinio tota academia opteat, perque animos, et per mentes scholasticorum pervadat. Siquis ad lauream doctoris aspirans litterarium actum magno ingenii, et eruditionis nomine, prae caeteris perspicua excellentia, et ostentatione suae cognitionis habuerit, hunc multum temporis in eo comparando licentiatum posuisse, de gloria nominis consequuti quidquam detrahendi causa, spargunt in vulgus adversarii. Addunt illum non tantam argumentandi, quantum respondendi praestantiam habere, saepe autem in summas angustias adductum fuisse, in publicis concertationibus, et oppugnando, et refellendo non magnam habuisse vim, neque promptam, atque paratam. Si in honorum renuntiatione primum locum consequutus est, multis aliis viris post se relictis, litteris, doctrinaeque praestantibus, longe multum praestare huic licentiatum multos de renuntiatione praesenti, scientia, cognitioneque disciplinae ceteris, sed fortunam favisse licentiatum, quae saepe rebus popularibus dominari solet, ad istius hominis res, et actiones litterarias feliciter saepe adiunctam. Addunt praestitisse strenuam eidem operam, studia, et officia simul omnia doctores aliquot amicitia, patria, et officiis conjunctissimos. Ex licentiatum aliquot nominantur, qui cum illo renuntiatum fuerunt, quaquam locis inferiores, qui excellere debuissent, et primas sine contentione deferre. Atque adjungunt etiam illi doctores habuisse quaestionem maximam, atque controversiam de prima laurea deferenda, sed qui partes hujusce doctoris agebant, quod plures fuisset, numero praestitisse suffragiorum. Si cathedram petenti honos praelegendi delatus est, suum cuique honorem, et gradum redditum concupiscere vehementer invidiam saepe confirmant, sed non doctoris istius tanta fuisse merita, non progressus, et scientiam tam incredibilem, ut praeterito antiquiore, et de academia benemerito doctore repulsum passo, sacrae Theologiae interpretandae cathedram consequi deberet, lapsos scholasticos ignorantia partim, et infamia, partim donis, ac mu-

ne-

neribus infascatos, partim amicorum furore, et lenociniis verborum infatuatos, et quod, ut accidere solet, haec vulgo jactata fuerint, antiquiorem cathedram obtenturum esse, magno suffragiorum numero: quam obrem qui vellent hunc in aliquo praestantiore loco relinquere, non a primo multum distanti, ut iterum contendens cum alio jus haberet consequenda cathedrae, ad hoc studium potissimum incumbere, ut doctor iste suffragiorum partem aliquam deferret. Ita factum est, ut quem a cathedra magis alienum omnes putabant, eorum, quae sibi collegerat industria sua, et amicorum gratia, excellenti suffragiorum numero cathedram adipisceretur. Quid, quod eidem, sicut aliis candidatis, magno usui fuerunt verba, quae doctores gravissimi, et valde gratiosi apud scholasticos, de ingenio, de laboribus, de meritis, deque cognitione sua fecerunt, nihil se mali doctores antiquiori facere suspicari? Quid, quod occulte multarum pecuniarum effusiones fuisse, nummos condonatos egentibus, et non paucos divitibus mutuo datos, concelebrata fuisse praedia, coenasque datas, non obscuram concursationem, et contentione procuratorum, et favorum suorum, subornatos multos corruptosque muneribus, quos nunquam putares, fuisse constat? Atque haec propter effusas largitiones, nota sunt. Quibus maleficiis, in eum statum res adducta fuit, ut omnia simulate metuens novus doctor, et varios petitionis eventus sicte formidans, cathedram exploratam, ac paene conditam domi haberet. Iam vero ille famulorum in more, sic se demittebat scholasticis, usque eo suppliciter, ac demissa blandiebatur occurrens casu, et de industria obviam cuicumque scholastico, ut nihil illo abjectius, nihil contentius videretur, caput aperiendo, utrumque affectu genu, et ad pedes usque se prosternendo scholasticorum, verbis, et officiis omnibus reliquos superando candidatos. Ille blandiri omnibus, in illorum se insinuare gratiam, apprehendere manus, subridere, vultus intueri suffragatorum, dicere illos dominos, spem suae dignitatis appellare, decedere devia,

R r r in-

infimum quenque inter se, et inter alterum fratrem medium interponere, nullum non in loco honoratiore collocare, latus sinistrum sumere, cōcedere dextrum, nihil loci relinquere caeteris, neque spatii ad colloquendum, allegare viros sui studiosos, qui domos tenerent, et adirent scholasticorum, denique suavitatem, facultatemque sermonis natura largitum habere, illa demulcere, allectare scolasticos ignotos, et sui amantes efficere. Quod si tanta fuit magnitudo suorum prae caeteris candidatis meritorum, cur novus doctor initio petitionem integram relinquebat antiquiori? cur hanc sibi causam contendendi dicebat, quod vellet hac prima petitione gradum sibi facere ad postulationē aliam, et aliquod sui ingenii specimen praebere? Exspectatur tēpus praelegēdi, et interpretādi materias ex Academiae praescriptionib⁹ demādatas: in quibus si doctores auditorum animos expleverint, et non modo de se habitam sustinuerint opinionem, verum etiam auxerint magis, ac magis, ex sermone vulgi, atque fama, qui nullo iudicio, sed errore ad iudicandum plerūque fertur, haec manasse jactant atq; clamant adversarii: nullum autem lapidem non movent, ne ea existimatio permaneat, ne confirmetur progressu tēporis, et sermonibus scholasticorum inveterascat. Ut igitur florem tantae sapientiae infringant, multa de ordine interpretandi susceptam materiam percontantur, de sententia, quam sequutus est in hac, et in illa difficultate, quae sollicitos, et anxios doctorum animos habet, de rationibus allatis in medium, ad hanc partem potius tuendam, quam alteram antiquissimorum, et sapientissimorum hominum iudicio, et opinione firmatam. Si deflexit ab adversariorum sententia, et ductus multis, et exquisitis rationibus, et auctoritate praestanti virorum, qui de eare gravius, et certius iudicium fecerunt, magnum (inquiunt) semper damnum via trita, ac communi relicta, res cujuscunque facultatis, et disciplinae fecerunt, in scholasticorum perniciem, et in academiae pestem, novis opinionibus introdu-

ctis.

ctis, et inveteratis penitus, desertis, atq; derelictis: ut invidi communem causam studiorum tueri, et quasi patrocinium academiae suscipere videantur. Cum opinio haec nihil fidem, nec religionem attingat, sed ad res alias disjunctissimas spectet, et juri civili consentaneas, et de pactionibus agentes, infidiosam, et suspiciosam nimis opinionem, et occulte veneni spargendi metum esse nonnullum, confirmare non verecundantur. Quod si praeceptor in ea sit opinione, quam veterum omnium auctoritate, ac jam persuasione doctorum, et ipsa veritate teneri ab omnibus vident, carpunt gravem doctorem, et exquisitum intelligendi, et interpretandi praeceptorem, qui in theologiae studiis otium, et aetatem contrivit, libris se totum dedit, fontes aperuit, flumina hausit, omnes versavit auctores, momenta contulit rationū, quod probabilius, quod verius, quod cum sacris annalibus, cum sanctorum doctrina, cum Conciliis, cum Christi Iesu disciplina magis esset conjunctum arripuit, idque in commentarios relatum praelegit, et exposuit auditoribus, nihil unquam confirmans, neque proferens in publicum, nisi quod argumentorum vi, et robore incredibili munierit: hunc minime praelegendi muneri aptum esse contendunt, qui nihil nisi tritum, ac pervulgatum afferat, notum, ac perspectum omnibus. Idem isti boni viri sermonem illius obscurum quoque, ac difficilem intellectu jactant, et in rebus etiam perspicuis, atque claris, illum perturbate, et confuse docere, oratione, quae rebus lumen adhibere debet, obscuritatem, et tenebras afferentem, agendi deformitate, voce absona, motu deformi, gestibus ineptissimis ac turpissimis, sese in praelectionibus gerentē. Ita in circulis, et sermonibus scholasticorū, in publicis disputationibus, in concertationibus, in conventu, et frequentia doctorū, hujus dictis, et scriptis invidi nituntur obistere cōtra ejusdem sententiam, disputando subtiliter, instādo acriter, premēdo vehementer, atque argumentationibus saepe captiosis defen-

fores hujusce praeceptoris impugnant, et ad impugnationem adhibent praestitiores, et ingeniosiores de sua classe scholasticos, qui munus respondendi suscipiunt, et objiciendi magnificentius, ad plausum, ad clamores populares: quibus cum factum fuerit satis, fallacissimis argumentationibus delectis, declinat, aut perfractis omnino, atque doctis probata fuerit contraria sententia, et omnis circumstantibus ablati, scrupulus, ne victi, superatique fuisse videatur, cum clamoribus de medio discedunt, quasi compotes, argumenti, quod posuerat: cum nihil veri exquirere, nihil probati, atque conclusi constituere visi fuerint, sed plane invidiae stimulis agitati quaerere discordias. Atque illud commune satis est inter hos litteratos antiquitati invidere doctorum aliquos, vel se illos antiquitate, et dignitate praestare caeteris, praesse in disputationibus, dicere sententiam suam summo cum silentio auditorum, movere approbationem eorum, quibus esse loquuntur, manuum percussione mirum facere silentium, ut omnes suae sententiae laudatores, atque praedicatores habeat: tanto plausu, tanta approbatione, ut nihil magis verum affirmari, nihil probabilius, aut apertius auditoribus videri velint. Quid plura? concludunt saepe doctores, hoc quia perspicue verum est, nihil attinet ab adversariis approbari, doctis hominibus, et veritatis cupidissimis, approbantibus, ad aliud argumentum, quod premendum etiam, atque etiam sit, traseamus: cum haec sic posita argumenta diluerimus, ut nihil in respondendo praetermissum fuisse videatur, quod amplitudo loci, vel materiae difficultas, vel spectatorum dignitas, vel dissectis ingenium, aut doctorum iudicium, et acumen desiderare debeat. Cum isti vident omnes annuere, cum pede suppositum nemo, cum omnes quiescunt, et aliud expectant argumentum, laeti sunt, residet, quasi aliud agitates animo, dum argumenta ponunt alii oppugnatores. Ita doctos, et indoctos morsus invidiae lacerat, atque confundit.

DE-

DESIDIA.

Invidiam consequitur desidia, quae nostras ad se vocat exercitationes. Non aspicias tardam, et languidam pecudem, noctes totas, et magnam partem dierum in lecto jacentem, cum vero prope meridiem surgit, complicatis manibus, aut in sinum illatis, porrectis cruribus residentem, et in sella resupinum, pervagantibus mentem variis cogitationibus, turpibus, et iracundis, et insolentibus, atque vinolentis, aut cum domesticis tempus conterentem, aut quaerentem, et captivum sermones inanes, aut minus commodos, vel tetros omnino? Quos ille sermones non lacepsit, et excitat solum, sed etiam persequitur, et sustinet, donec miseros homines exhauriat, ut nihil habeant reliquum, quod loquantur? Cum sedendo defessus fuerit, cerne illum ambulare testudineo gradu, omni cura vacuum atque solutum, oscitantem, feriarum semper cessatione, laborumque fuga, temere, inconsiderate, negligenter, quasi minuta, quae maxima sunt tractate, convivis, odoribus, mollissimo cultu, infringentem, et languefacientem indies magis naturam suam, ut domesticis suis languore affert. Ita quidem umbris, deliciis, otio, desidia omnes inficiens, maloque more delinitos molliens, atque corrumpens, ut ad inertissimum, et desidiosissimum otium domesticos redigat, tanquam sponsos Penelopes mollissimis cogitationibus, effoeminatos. Ita desides os habere visi sunt, ut ad ventris ingluviem solum habere videantur: ita pedes, et manus, ut socors illorum natura, negligensque, ad agendas res necessarias retardet: ita mentem, et animum, ut otio diffuertes languent, et hebescat ita ingenium, ut illius acies, inertia, atque desidia hebes, et obtusa reddatur: ita membra, sensusque, ut languore corporis, nec membris, nec sensibus uti possint: ita postremo vivunt, ut molles, languidi, enervati, omnia ad corporis voluptatem referant, voluptariam, delicatam, mollem, re-

R r r 3 mis-

missamque vitam cōfectentur. Quamobrem qui se languori defidiaequē dedunt, cū multis in rebus negligentia plectantur, tum maxime in monstrosa portentosaque oris, atque corporis figura: ut ad hauriendum spiritum, ore inhiante, atque patente similes chamaeleontis, stulti, stupidi, ac prope mente capti vagentur, et errent.

DILIGENS.

Nihil diligentia melius esse potest, nihil fructuosius, nihil magis necessarium ad omnium munerum, et officiorum functiones: neque enim quisquā officio justo, ac debito fungetur unquam, nō ullo sapientiae, non rei militaris, non Reip. non ullo liberalium, aut fordidarum artium munere, nisi diligentiam, et curam saltem mediocrem ad res agendas adhibuerit, eandemque per omne vitae tempus contulerit. Hanc quoniam adhiberi veteres in rebus publicis, et privatis voluerunt, laborem fingebant, navum quendam, et industrium, et experientissimum, et diligentissimum aratorem, patientissimum hyemalium aquarū, frigoris, atque pruinarum Solis, et caloris aestivi, brevi, crassoque vestitu, solutū ac liberum, alacrem, et erectum, cū ligone in manu, quasi fodientem terram, cujus corpore, et animo diuturna laborandi consuetudo callum jam obduxerat: ut impiger prorsus esset ad labores excipiendos, neque unquam labore superfedere sciret. Itaque sine ulla molestia, vel potius suavitate maxima exercitationes omnes corporis, et animi suscipiebat laboriosas, nunquam vacans, etiā si moriturus esset ob magnum, quem caperet, et impederet in rem aliquam laborem. Altius oculos ille tollebat in caput ipsum, spicis ubertate granorum incurvescentibus redimitum, ex quibus tantum, commodi consequi videbat, ut horrea frumenti vim, et numerum maximum non caperent. Ita suavi praeteritorū laborum memoria fructu, mercedeque futura, diligentissime,

la-

laboriosissimeque ad omne studium, et munus honestum, atque necessarium incumbebat. Sed quid laborē spinis coronemus solum, cum omnes omnium honorū, omnes cunctarum dignitatū, atque praemiorum maximorum sedes, et gradus amplissimos, merito ac jure suo, labori tanquam auctori, perfectori que praestātissimo acceptos referre debeamus. Atque rei militaris, et litterariae, saeculi, et Ecclesiae insignia fortes, et sapientes, et honoribus sacris, atque profanis affecti, atque illi ipsi caelorum incolae, et habitatores immortales, laboribus, et virtutibus, quem obtinent, post merita Assertoris IESV excelsum dignitatis gradū sunt assequuti: quoniam prae reliquis hominibus laborem ferre cōsueverunt.

EFFICATIO INFANTIS.

Paucae restant jam ad Prosopographiam absolvendam exercitationes, quarum prima puerorū erit. Nutrix quaedam infantē in brachiis gestabat venusto ore, capillis aureis, et crispis cincinnis, lactum totum atque hilarem, rosas in facie nativo colore expressis, totum sale conditū, bellum, et omni suavitate affluētem, risum oculis, et ore ferentem, tanquam Angelulum quendam vulgo depictū, suspensō vultu res omnes, et ipsos homines, qui occurrerāt, intuentē: quā in una manu pomum, in altera placentā habebat, et vicissim pomo, et pane vescebat. nutrix cistellā amigdalis, avellanis, uvis passis, nucibus, et aliis fructibus variis cōpletam inter infantem, et se ipsam comportabat: quā cum puer ante oculos positam haberet, et nutrix infantem ad fructus capiendos singulos suis nominibus cōpellans invitaret, ille relictis rebus, quas in manibus habebat, hos, et illos fructus efferebat, referēs statim in cistellā, nōnūquā ori nutricis admovebat, ludicris donis, et munusculis puerilibus delectabatur, subridebat delusus a nutrice, e cōspectu sublata cistella, aut aliis reb⁹ furrim subtractis gestiebat, risū tollēs, ut poterat, brachiolis, manibus, huc, et illuc jactatis, et agitatione crebra corporis, et

Rrr 4. ocu-

oculorum in omnes partes conjectu. Quid ad oblectandum puerum nutrix non faciebat, cum illum in gyrum circūageret, in sublime efferret, demitteret statim, subagitaret, atque contrectaret nonnunquam? ridere multum puer, nunquam quiescere, crebro movere corpusculum, amovere se puncto temporis, adhaerere, retrahere corpus eodē momēto. Si statuebatur humi aliquo intervallo disjunctus a nutrice, iussus consistere, ac sese pedibus sustinere suis, vocatus in cōplexū veniebat, accurrebat sine mora, complexum appetens nutricis, nimium sibi ipsi indulgens, os ori nutricis admovens, cōponens labella ad osculum, osculans semel, et iterum, appetens mammas, attrectans, lac sugens. Atque ille visus erat inter sugēdum, illico nominatus animadvertere, conati loqui, neque coepto desistere, nisi dimitteretur ad fructus, et ad res ludicras repetendas: quae cum ablatae de conspectū sunt de ludendi causa, eas repetere solet, et nisi reddātur, plorare, subtristi, et demisso ore despiciere terram, vel se in terram profternere, aut ad matrē adhaerere, flere quā maxime, donec in conspectum, et in manus suas referantur omnia. Interim audias illum nominare auctorem luctus, nequā, improbum dicere, neque rectis oculis intueri quenquam. Sed quemadmodum facilis erat ad plorandum, ita placatu non difficilis: quia natura sua mitis, et māuetus erat. Itaque redditis rebus, tranquillitate mira, et hilaritate oris erat. Accersitis interdū fratribus, aut famulis per parētes suos, quasi illi lacefissent lumē oculorum suorum, illos pater, aut mater jubebat accedere, et in manum spuere puerum ad seipsum ulciscendum. cōtinuō mater: ulciscar scelus, qui te violavit. vel si attigerit Ioannē nostrum, luet graviores poenas. atque praebēs speciem caedentis percussos leviter mater dimittere, et amādare procul a cōspectu suo simulabat, quasi non ausuros ullam molestiā fingere, neque iterum quaerere puero bellissimo. Hac specie, et simulatione placatus ridere puer, et laetari, et minari magis illis, qui sibi molesti esse pergerent in posterum.

EF-

EFFICTIO ADOLESCENTIS.

SI bene totam istius adolescentis fabricationem perspexi, Seam in illo finxit Deus figuram oris, et reliquam corporis formā, ut capillo subfavo, et cincinnato, superciliis eodē colore, et pilorum specioso vestitu adornaverit. Cum frons esset tranquilla, ac serena, tum ad aspectum grata, ac jucūda, facies honesta, ac liberalis, et sine ullo fuco, verus sanguine diffusus color, dentes candidi, os ipsū, quo decet virū a natura bene formatū, pro proportione, et modo, tergū ex omni parte acquabile. Cum humeris esset non subductis, tum erat magna statura corporis, homine liberali, ac nobili digna, recta, et apposita ad dignitatē tuendam. Denique cū rectis pedibus, directis cruribus, tum egregia reliquorum mēbrorum cōformatione, et cōpositione tanta lineamentorum omnium, ut omnes partes inter se miro lepore consentirent, nihil autem in adolescente conformando, neque productius, neque brevius, neque praetermissū videatur, sed omnia summo quasi artificio elaborata. His accēdebant firma latera, vires integrae, suavitas vocis, comitas sermonis, et foecunditas ad homines voluptate perfundendos, lepos, et humanitas ad alliciendos, et capiendos animos eorum, quibus cum ageret: ut iam nihil praesidii, et ornamenti ad hominis abolitionem deesse posse videretur. Atque omnia reddebat ornatio quotidiana vestium mutatio: quarum ornatu, et varietate omnium in se oculos convertebat.

EFFICTIO SENIS.

Incidi in senem, quem vidisse nollem propter nauseae molestiam, quam suscepi. Is annos octoginta natus erat, capillo neglecto, et impexo, barba longiore, plurima canitie, rugis deformibus, exarata facie, atque frōte, sine dēnibus, sine colore, sine sudore, corpore incurvo, cruribus infirmis, tardo incessu, scipione, cui innitebatur, cū neque cōsistere, neque fir-

Sfs mo

mo gradu progredi posset, toto corpore tremente, nutanteque debilitatē sustentabat suam: ille plenissimus erat fordium, et squaloris. Collare subuculae pendeat a fronte subductū, a lateribus, et a tergo latebat omnino. Atque idem loquebatur balbutiens omnia, prorsus impos sonum nō edebat clarum, dentibus jam deficientibus, neque vocem propter tenuem spiritum, et jam exhaustum, nisi magna cum difficultate mittebat. His omnibus accedat perdita prope valetudo, ut exhaustus jam, et paene cōsumtus esset, atque ut vere dicam exanguis, et enervatus: quibus de causis intolerabilem vitam agebat. Hunc omnes, morosum, difficilem, intolerabilem dicebant, hominibus cunctis, et sibi ipsi jam displicentem, propeque jam desipientem senectute.

ANVS.

Vista est anus lepida, annis jam confecta plurimis, oppleta canis, et rugis deformata foedissimis, ore blaesco, verbis oppressis loquens, tota tremens, atque passim proruens, cum gibbo a tergo magno, atque deformi, in colum stamen infertum habens, unde filum fuso trahit, et intorquet ad tempus, quem relictum de manibus puncto temporis circumagit e filo tenui suspensum, interim saliva leviter extremos digitos aspergens, ad pensum melius absolvendum.

HOMO VESTITVS HYEMALI

tempore.

His diebus praeteritis tantū fuit, et est hodie frigus, ut vix testis ipsis, intra domesticos parietes ad nos etiā ad ignē calefaciēdos vitare illud queam. Homines incurvo corpore, infirmis eruribus, labiis demissis ac tremulis, et eisdē vi frigoris, et magnitudine hyidis, et propter vctos vchemētes adustis, stridore dentium, livore in facie, colore naturali amisso, manibus illatis in oru, galenis demissis in aures usque, involuti pallis incedunt, et nullo frigore semper confecti.

A E.

AETHIOPS.

Vide Aethiopē, nigro colore, vastu miac deformem, incientem sermonis, labiis crassissimis, tanquam stipitem, atque truncum, foeditatem odoris exhalantem ex toto corpore, graculos dices foetidos inhalare.

FABRICA CORPORIS HVMANI.

Speciatim hominis habita ratione, ab specie ad genus trāsitu dato cadit opportune in hunc locum fabrica corporis humani ad praestantiam hominis habilis, et accommodata, tā Regio, et excelso animali dignissima: cuius ut praestantia facilius intelligatur, et quemadmodum ab immortali Deo sit homini provisum, erit tota hominis fabricatio perspicienda, omnisque humanae naturae figura, atque perfectio: quam, quo commodius describamus, ordine dumtaxat commutato, a Cicero totam petemus: et quamquā ille ab ore, nos a capite incipiemus, gradibus suis ad pedes descendendo. Primum Deus homines humo excitatos, celos, et erectos cōstituit, ut Dei cognitionem caelum intuētes capere possent: sunt enim homines, non ut incolae atque habitatores, sed quasi spectatores superarum rerum, atque caelestium: quarū spectaculum ad nullum aliud genus animantium pertinet. Sensus interpretes, ac nuntii rerum in capite, tanquam in arce mitifice ad usus necessarios, et facti, et collocati sunt: nam oculi tanquam speculatores altissimum locum obtinent, ex quo plurima conspicientes fungantur suo munere. Hos membranis Deus tenuissimis vestivit, ac sepsit: quas primum perlucidas fecit, ut per eas cerni posset, firmas autem, ut continerentur. Sed lubricos oculos fecit, ac mobiles, ut et declinarent, si quid noceret, et af-

S s s 2

pe-

pectum, quo vellent, facile converterent. Atque acies ipsa, qua cernimus, quae pupilla vocatur, ita parva est, ut ea, quae nocere possint, facile vitet. Palpebrae, quae sunt tegumenta oculorum, mollissimae, ractione laederet aciem, aptissime factae sunt, et ad claudendas pupillas, ne quid incidere, et ad aperiendas, idque Deus providit, ut identidem fieri posset cum maxima celeritate. Munitae sunt etiam palpebrae, tanquam vallo pilorum: quibus, et apertis oculis, si quid incidere, repelleretur, et somno conniventibus, cum oculis ad cernendum non egeremus, ut qui tanquam involuti quiescerent. Latent praeterea utiliter, et ex ocellis undique partibus sepiuntur: primum enim superiora superciliis obducta sudorem a capite, et fronte defluentem repellunt: genae deinde ab inferiore parte tutantur subjectae, leviterque eminentes. Nasus ita locatus est, ut quasi murus oculis interjectus esse videatur. Quare obrem nares, eo quod omnis odor ad superiora fertur, recte sursum sunt: et quod tibi, et potionis iudicium magnum earum est, non sine causa vicinitatem oris sequuntur sunt. Atque illae semper propter necessarias utilitates patent, et contractiores habent introitus: ne quid in eas, quod noceat, possit pervadere: humoremque semper habent ad pulverem, multaque alia repellenda non inutilem. Aures cum sonum recipere debeant, qui natura in sublime fertur, recte in altis corporis partibus collocatae sunt. Auditus autem semper patet, ejus enim sensu etiam dormientes egemus: a quo cum sonus est acceptus, etiam a somno excitamur. Flexuosus iter habet, ne quid intrare possit, si simplex, et directum pateret. Providum etiam, ut si qua minima bestiola conaretur irrumperere, in foribus aurium, tanquam in visco inhaeresceret. Extra autem eminent, quae appellantur aures, et legendi causa factae, tutandique sensus: et ne adjectae voces laberentur, atque erraret, priusquam sensus ab his pulsus esset. Sed illae duros, et quasi corneolos habent introitus, multaque eum flexibus: quod his naturis relatus amplificatur sonus. Quocirca, et in fidi-

bus.

bus festidine resonatur, aut cornu, et ex tortuosis locis, et inclusis referuntur ampliores. Cum vero tribus rebus animalium vita teneatur, cibo, potione, spiritu, ad haec omnia percipienda os est aptissimum: quod adjunctis naribus spiritu augetur. Dentibus autem in ore constructis manditur, atque ab his extenuatur, et molitur cibus: eorum adversi acuti morsu dividunt escas, intimi autem conficiunt, qui genuini vocantur: quae confectio etiam a lingua adjuvari videtur. Linguam autem ad radices ejus haerens excipit stomachus, quo primum illabuntur ea, quae accepta sunt ore: is utraque parte tonsilla, attingens palato extremo, atque intimo terminatur, et agitatione, et motibus linguae, cum depulsum, et quasi detrusum cibum accepit, depellit. Ipsius autem partes eae, quae sunt infra id, quod devoratur, dilatantur, quae autem supra, contrahuntur. Sed cum aspera arteria (sic enim a medicis appellatur) ostium habeat adjunctum linguae radicibus, paulo supra quam ad linguam stomachus annectitur, eaque ad pulmones usque pertineat, excipiatque animam eam, quae ducta sit spiritu, et eandem a pulmonibus respiret, et reddat: tegitur quasi quodam operculo, quod ob eam causam datum est, ne si quid in eam cibi forte incidisset, spiritus impediretur. Sed cum alvi natura subjecta stomacho, et potionis sit receptaculum, pulmones autem, et cor extrinsecus spiritum adducant, in alvo multa sunt mirabiliter effecta: quae consistant fere e nervis. Est autem alvus multiplex, et tortuosa, arcusque et continet, siue illud aridum est, siue humidum, quod recipit: ut id mutari, et consequi facile possit. Ea tum, astringitur, tum relaxatur: atque omne, quod accepit, cogit, et confundit: ut facile, et calore, quem multum habet, et teredo cibo, et praeterea spiritu omnia coacta, atque confecta in reliquum corpus dividantur. In pulmonibus autem inest raritas quaedam, et asimilis spongiis mollitudo ad hauriendum spiritum aptissima: qui tum se contrahunt aspirantes, tum spiritu dilatant: ut frequenter ducatur cibus animalis, quo ma-

S i s 3, xi-

xime aluntur animantes. Ex intestinis autem, et alvo secretus a reliquo cibo succus is, quo alimur, permanat ad jecur per quasdam a medio intestino usque ad portas jecoris (sic enim appellant) ductas, et directas vias, quae pertinent ad jecur, eique adhaerent: atque inde aliae pertinentes sunt, per quas cadit cibus a jecore delapsus. Ab eo cibo, cum est secreta bilis, iique humores, qui ex renibus profunduntur, reliqua se in sanguinem vertunt, ad eadem portas jecoris cōfluunt ad quas omnes ejus viae pertinent: per quas lapsus cibus, in hoc ipso loco, in eam venam, quae cava appellatur, cōfunditur, perque eam ad cor confectus jam, coactusque perlabitur: a corde autem in totum corpus distribuitur per venas admodum multas in omnes partes corporis pertinentes. Quemadmodum autem reliquiae cibi depellātur, tum astringentibus se intestinis, tum relaxātibus, haud sane difficile dictu est: sed tamen praetereundū est, ne quid habeat injucunditatis oratio. Illa potius explicetur incredibilis fabrica naturae: nā quae spiritu in pulmones anima ducitur, ea calescit primum ab ipso spiritu, deinde coagitatione pulmonum, ex eaque pars redditur respirando, pars concipitur cordis parte quadam, quam ventriculum cordis appellant: cui similis alter adjunctus est, in quem sanguis a jecore per venam illā cavam influit, eoque modo ex his partibus, et sanguis in omne corpus diffunditur, et spiritus per arterias. Vtraeque autem crebrae, multaeque toto corpore intextae vim quandam incredibilem artificiosi operis divinique restantur. Quid dicā de ossibus, quae subjecta corpori mirabiles commissuras habent; et ad stabilitatem aptas, et ad artus finiendos accommodatas, et ad motum, et ad omnem corporis actionē. Huc adde nervos, a quibus artus continentur, eorumque implicationem toto corpore pertinentem: qui sicut venae, et arteriae a corde tractae, et profectae in corpus omne ducuntur. Ut autem ad os revertamur, gustatus, qui sentire eorum, quibus vescimur, genera debet, habitat in ea parte oris, quae culen-

culentis, et poculentis iter natura patefecit. In eodem ore sita lingua est, finita dentibus: quae vocem immoderate profusam fingit, et terminat, et vocis sonos distinctos, et pressos efficit, cum, et ad dentes, et ad alias partes pellit oris. Quā vero aptas, quam multarum artium ministras manus natura homini dedit? digitorum enim contractio facilis, facilisque porrectio, propter molles commissuras, et artus nullo in motu laborat. Itaque ad pingendum, ad fingendum, ad sculpendum, ad nervorum eliciēdos sonos, ac tibiaram apta manus est admotione digitorum. Postremo crura, pedesque ejusmodi sunt, ut crura sint recta, et exaequalia, pedes habiles et apti ad standum, ad incedendum: et ejusmodi commissuris crura sunt, ut flectere, intorquere, porrigere, contrahere possit homo. Atque cum haec sit humani fabricatio corporis, et forma praestans adeo, atque elegans ex omni parte, partes etiā sint in homine ad obtemperandum corporis necessitatibus, principio corporis nostri magnam natura ipsa videtur habuisse rationem, quae formam nostram, reliquamque figuram, in qua esset species honesta, eam posuerit in promptu: quae autem partes corporis ad naturae necessitatem datae, aspectum essent deformem habiturae, eas contexerit, atque abdiderit. Nā ut in aedificiis architecti avertūt ab oculis, et naribus dominorum ea, quae profuētia necessario terti essent aliquid habitura, sic natura res similes procul a mandavit a sensibus. Hanc naturae tam diligentem fabricam imitata est hominum verecundia, quae enim natura occultavit, eadem omnes, qui sana mente sunt, remonent ab oculis: ipsique necessitati dant operam, ut quam occultissime pareant, quarūque partium corporis usus necessarii sunt, neque eas, neque earū usus suis nominibus appellant: quodque facere turpe non est, modo occulte, id dicere obscœnum est. Hac fabricatione corporis humani tota ex Cicerone deprompta Prosopographiam absolvi, ut a quo au-

512 PROSOPOGRAPHIAE LIBER VNVS.

ctore tanto rem descriptam haberem, eam quasi per manus nullius sermone violatam, integram, et incorruptam traderem: quid enim ego dicerem, quod Ciceronis lucubrationibus multis quidem ex partibus non esset inferius. Nos minime gloriae saeculi, sed utilitati scholasticorum consulimus: quibus cum in hac facultate praecclare tunc actum fuisse confirmamus, cum illi speciem aliquam, aut similitudinem Ciceronis adumbraverint.

